


G: FONTANI
MEDICINA
ANTIHERMETICA







D. GABRIELIS FONTANI, IACOBI FILII,

ARTIVM ET MEDICINÆ DOCTORIS, MEDICORVM Massiliensium Collegio aggregati,

DE VERITATE HIPPOCRATICÆ MEDICINÆ FIRMISSIMIS rationum & experimentorum momentis stabilita, & demonstrata;

SEV

MEDICINA ANTIHERMETICA,

In qua Dogmata Medica physiologica, pathologica, & therapeutica, contra Paracelsi, & Hermeticorum placita clarissimè promulgantur: non reiectis penitus Chymicorum inuentis, ad Hippocraticam artem conferentibus.

Adiectus est ad calcem generalis index rerum in hoc opere contentarum: necnon introductio ad methodum medendi: atque Apologeticon aduersus [illegible] vsu firmissimè demonstratur, quatuor humores Galenistarum con[illegible] fictos: caetera octauo abhinc folio recensentur.



LVGDVNI,

Sumpt. PHILIP. BORDE, LAVR. ARNAVD, & CL. RIGAVD,

M. DC. LVII.

CVM SVPERIORVM PERMISSV.



CVSTODI FIDELISSIMO,

DVCI SINE PERICVLO,

COMITI INDIVIDVO,

ANGELO FELICISSIMO,

CREATVRÆ IMMORTALI,

Suorum operum fœtus vouet, dedicatque GABRIELIS FONTANVS, Doctor Medicus.

QVIS *amabo? eò vsque temeritatis æquè ac insaniæ deuenit, vt propriis omninò viribus innixus, illuc directoris opem, & præsentiam non admiserit; vbi potissimum labyrinthei viarum flexus sese offerunt, hostiumque callidissimorum insidiæ sæpenumerò prætenduntur. Sine duce, heu quàm grauiter ad scopulos alliderемur. Ecquis nos? nisi Custos amantissimus ab ingruentium periculorum voraginibus reuocaret. Fateor ego, non tantum Angelos ad regnorum, prouinciarum, & ad tenuissimarum vrbium custodiam à Deo Optimo Max. fuis-*

ſe delegatos: ſed etiam & ad vnius hominis, multiplicis ignorantiæ tenebris inuoluti, ſiue facta iam incepta proſequenda, ſiue iam dudum proſequuta, ad vltimum ipſius tandem rei faſtigium feliciter deducenda, Angelos quoque ab eodem omnium rerum ſatore Deo deſtinatos, aſſerere nihil dubito. Quidni? quemadmodum enim inferiora corpora ſuperiorum mole, motuque reguntur: ita profecto reor, inferiores, & tamen immortales hominum ſpiritus cœleſtibus Angelorum mentibus gubernari. Supremus ille rerum moderator Deus, vbi poteſtatem facultatemque vexandi homines, cacodæmoni concedit; quis quæſo, ferocientes illius impetus ſuſtinere ac retundere poſſet? atenim ex templo adeſt noſter ille tutelaris Angelus, & comes indiuiſus, velut eques metuendus haſtâ, qui conatus eneruat, ictus eludit, & planè reddit imbelles. Proh immenſam, prouidamque ſupremi numinis bonitatem. Quæ quidem ne rugiens ille leo, qui circum quærit quem deuoret, ne (inquam) infenſiſsimus ille ſycophanta ſecum ad æternos inferorum vortices mortalium, & corpora, & animos detrudat inuitos, Angelum cuique hominum adhibuit comitem, qui nos ad bona opera compellat, expellatque, videlicet ad mala facinora declinantes. Nemo non videt (opinor) quàm clementer à diuino cœleſtique numine cum homini-

bus

bus actum sit, & optimè consultum. Quapropter tibi grates rependimus immortales, ô ter adorandum numen, pro collatis tantorum beneficiorum cumulis; & si fuerit visum maiestati tuæ clementissimæ, quò tutelaris mei Angeli charitatem homunculus ego pro viribus agnoscam, operum meorum fœtum (quem tuum veriùs dixerim) eidem ipsi voueo dedicoque, necnon sub ipsius tutela lubens emitto. Enimuerò, cui meliùs (si tamen Deum, Deiparamque exceperim) laborum meorum conatus sacrare possum, & debeo; quàm ei, qui me dè summis & innumeris erutum periculis huc vsque seruat incolumem: noui ego, & muneris mei debitum, & munusculi tenuitatem, sed enim (quæcunque tandem illa sit) gratam & acceptam habet, & in sempiterni obsequij votum amplectere. Multum me hercule tibi nostra vetus & vera debet medicina; in cuius defensione incumbenti, & pro virili parte laboranti opem, & auxilium tuum tam liberaliter, tamque salubriter contulisti: valeat igitur deinceps Paracelsistarum, & Hermeticorum secta; & ad Pannuceam Baucidem amandetur: facessat imprudens & temeraria: abeat demens & commentitia; sentiet oppidò nostrum robur: & quamuis, vel vnius tutelaris Angeli fretus auxilio, in hocce opere desudarim: spero tamen futurum vt arma deponant nostri nouatores;

jam iamque, iuxta illud Horatianum, turpe ſo- 1. Carm. 7.
lum tetigere mento : totaque iam ſecta, procu- Virg. Æn.
buit moriens, & humum ſimul ore momordit.
*Nequaquam ego partæ victoriæ laudem adſcripſerim mihi, ſed enim tibi vni ô Custos Angele, lubens appendo : gnarus maximè tibi iure debitam. Reuera ſiquidem me tanti laboris imparem plerumque tacitus fatebar, & profecto contra tot, tantoſque hoſtes præliaturus viribus diffidebam meis, teque etiam, atque etiam haud rarò precatus, vt te mihi ſocium dares : dediſti ſane? ſentio ego, ſentient & hoſtes, vt confuſi latebras petant : ſentio ego, vt tibi meritas laudes referam, ſentient & hoſtes, vt tibi quoque vel inuiti perſoluãt. Cæterum (*PRINCEPS INCLYTE MI*) ad pedes prouolutus, & humiliter lapſus, te oro atque obteſtor, vt ad vltimam vſque vitæ meæ periodum ſolitos influxus, mihique quàm optatiſſimos perenniter elargiare: rogatumque pro me diuinum numen velis, vt me (licet indignum) ad æterna illa tabernacula recipiat; quò videlicet quas tibi nunc laudes mancas quidem, & imperfectas modulor, perfectas illic, & omnibus planè numeris abſolutas mihi liceat æternaliter decantare.*

LECTORI



LECTORI BENEVOLO, S.



ATVRÆ inſcrutabilis principia & cauſas perquirenti, tam caliginoſa occurrit obſcuritas, vt ſciendi deſiderio ſuos inueſtigatores magis inuoluat, quàm cognitionis certitudine inſtruat: & veritatem in occulto reconditam aperire, ac cognoſcere menti rerum ignaræ non ſinat.

οὐδεὶς ἀνθρώπων ἐστιν ἅπαντι σοφὸς.

Nec datur omnium demonſtratio, multaſque ſcientiarum propoſitiones ſupponere, quàm certâ demonſtratione conſequi cogimur: multa item experientiâ potius quàm ratione tenemus; vt in decurſu rerum tractandarum innoteſcet. Principia naturalium corporum primus Hippocrates præ cœteris Philoſophis rectè propoſuit: poſt illum Ariſtoteles diuini Platonis præceptione imbutus, omnium rerum ſcientiſſimus veritatis claritatem exactiſſima indagine attigiſſe cenſetur. Verùm quia experientia rerum magiſtra per varios vſus artem perficit; inuentis antiquorum ſua adiunxit dogmata, quæ tamen illorum principia non funditùs euertunt, & eliminant, ſed magis in ſingulis rerum naturis patefaciunt, & explicant. Ideò veterum doctrina viris doctis ſemper probata complacuit, quia non magis ſapere potuimus nec fulgentiora recipere lumina in rerum cognitione, quàm illi diuino numine afflati obtinuerint. Hinc Albertus Magnus qui omnia quæ in vniuerſa natura ſciri poterant, callebat; attamen ab Ariſtotelis Magiſtri ſui veſtigiis non receſſit. Notitiam habuerat mercurij, & ſulphuris metallorum; quam applicauerant operi philoſophico Hermes, Geber, Lullius; & neoterici antiquorum effatis, nouum principium adiunxerunt, ſalem videlicet, fixationis & corpulentiæ mineralium authorem; Mercurium veluti materiam & ſulphur metallorum formam eſſe cenſuerunt: & cum m,etallorum principia inueniſſent, Iſaac Hollandus cœteris etiam corporibus viuentibus, tam ex familia plantarum, quàm animalium adaptauit: adeo vt in hiſce omnibus ſalem, ſulphur, & mercurium, non tantum mineralem, ſed

etiam

etiam vegetalē, & animalem comperiat. Porro Hermetici ſeu Chymici nonnulli Paracelſicæ doctrinæ labe infecti, vt cœleſtia cum ſublunaribus firmiter connexa eſſe demonſtrent, voluerunt ſpiritum mundi vniuerſalem ex cœlo manantem, & ad elementa effuſum in metallis fieri metallicum, ex his ad plantas transfundi, & in vegetalem abire; & denique ex plantis in animalia tranſire, vnde omnium corporum proprietates & dotes proficiſcuntur: hinc ſpiritibus æthereis actionum artificibus mechanicis agendi cauſam tribuunt, qualitatibus verò materiæ inſitis, inſtrumenti rationem ſingularum actionum & paſſionum adſcribunt. Maioris & minoris mundi concordantiam & analogiam magnopere prædicant. In plantis, animalibus, & mineralibus quintas eſſentias cœleſtes, principia mercurialia, ſulphurea, & ſalina propalant: vnde in cauſarum indagatione nouam iſtam Philoſophiam amplectuntur, veteribus (vt dicunt) incognitam. Ipſa experientia ſuis operationibus eſt innixa; cùm per ſublimationem, deſtillationem, circulationem, cohobationem, exaltationem, digeſtionem, ſimileſque elaborationes volatilia fixent, & fixa reddant volatilia; & mixta quæque in ſales, ſulphura, Mercurios reſoluant. Hinc fit vt nouam artem condere meditantes, & ad chymiatriam reuocantes, principia phyſica, Hippocratica, ac Ariſtotelica flocci fecerint; vt quæ ſolis qualitatibus elementaribus inſiſtant, & materiam elementarem penè inanem redoleant: quod vt meliùs nouitatum ſectatoribus inculcarent, inauditis vocibus ac terminis ſuas adinuentiones fucarunt, & nouam doctrinam pro vera venditarunt. Quamobrem ab inſtituto doctiorum non aberrantes, veterum doctrinam imitari, & approbare conabimur: oſtendentes tria principia reſolutionis chymicæ, non alia eſſe, quàm partes mixti artificio chymico ſeparatas in aquam, oleum, & ſalem, quæ ſub calido, humido, ſpirituque partium, earundemque concremento cohærent, & reliqua Chymicorum, Hermeticorum, ac Paracelſiſtarum dogmata dilucidis rationum momentis exactè ponderabimus, tam in rebus phyſiologicis, quàm pathologicis, ſymioticis, & therapeuticis. Poſſet tamen quis alienæ gloriæ æmulus me calumniari, quod factum facere videar, & recoctam crambem commandere. Sciat velim non ſine cauſa me hoc negotium ſuſcepiſſe: cùm enim non tantum in Germania,

ſed

ſed etiam in Gallia pſeudochymiatrorum prouentum animaduerterem; imò & chymiæ operâ multa in Medicinæ penum transferri; neque hactenus omnium rerum perfectam cognitionem innotuiſſe, hanc expeditionem ſumere in votis habui, non eâ mente vt anteceſſorum meorum dicta ineptè contemnerem: ita vt illorum laboribus nihil aut parum addidiſſe videar. Attamen Hermeticorum peruicacia ita mihi fuit oneri, in peruertenda veterum doctrina; vt etiam omnes tenuis mei animi conatus inſumere optarim, ad veræ & veteris Medicinæ defenſionem indeſinenti curâ ſuſtinendam. Quod ſi argumenta à me adducta, retundendis hoſtium telis, leuiora viſa fuerint: aduertant quæſo, me ad hunc ſaltem ſcopum collimaſſe, vt noſtris principiis veriora non adinueniſſe, ſed nomina ſolùm immutaſſe monſtrauerim. His fruere, ſin meliora proferas, Vale.

Ex noſtro Muſæo; Maſſiliæ Kal. Septemb. anno 1655.

AD CLARISSIMVM D. GABRIELEM Fontanum Medicinæ Doctorem Maſſilienſem, Iacobi filium, EPIGRAMMA.

Quid pretij FONTANE *tibi, qui docta parentis*
Protegis eloquia, atque infenſis hoſtibus obſtas?
Alboinum quondam Thorimundo Marte perempto
Admiſit pater ad menſam, dapibuſque paternis
Veſcitur; & tu iam meritos cape patris honores.
Te, Gabriel? fama eſt, patrem coluiſſe Iacobum,
Quem Medicina colens Doctoris nomine magni,
Huic quoque multiplices ſacrauit laudis honores.
Quid mirum eſt Gabriel? vincis ſi ſcripta Iacobi,
Nam quò longè abeunt fontes, hoc flumina creſcunt.

P. I. LVDOVIC. BRINON.

C. O. S.



DE VERITATE HIPPOCRATICÆ MEDICINÆ,

PRÆFATIO.



OGITANTI mihi hominis animalis omnium præſtantiſſimi, noſtræ artis ſubiecti naturam reconditam, omnique admiratione dignam, huiuſce ſeculi hominibus obiicere, ipſius ſanè nobilitas vnáque caducitas, ſuis viuis coloribus ita ſe repræſentauit, vt ferè in incredibilem admirationem adductus fuerim (*Sapientiſſimi reconditæ naturæ Indagatores*) Illa plaſmatoris in opificij fabrica potentiam, ſapientiam, & bonitatem ſuſpiciendam & adorandam indicauit: hæc verò hominis humilioris & elementaris materiæ periturææ, & continuò pereuntis ſtatum deplorandum manifeſtauit. Hominis enim vita à ſuis domeſticis perenniter impetita, ad ſui lapſus reparationem, & ſuorum principiorum redintegrationem promouendam, & comparandam nos inuitat. Quid verò humani operis nobilitatem, & excellentiam, quàm ipſa operatoris eminentia commendat; cuius beneficentiam, & perennem influentiam recognoſcere meritò debemus. Quid enim commodi rebus creatis, (vt inquit D. Athanaſius) ſi ſuum creatorem non cognoſcant? aut quomodo rationales eſſent, ſi non cognoſcant patris Verbum, cuius operâ creati ſunt? nihil ſiquidem à brutis different, ſi nihil magis quam terrena percipiunt.

de incarnatione verbi Dei.

Cœterum nemo in formationis huiuſce microcoſmi opificium oculos coniecerit, quin ſtatim eiuſdem plaſmatoris prouidentiam, naturæque à Deo præceptore docta (non enim eſt ἀπαίδευτος ἡ μαθοῦσα) diſciplinam, & mirabile artificium admiratus

miratus fuerit. Quis enim pro dignitate ſatis prædicare poſſit huius vita præditi animalis formationem? quam & multi alij conantur calumniari, & inprimis Manetis ſucceſſores, Theodoreto teſte; Quamobrem non Deum, ſed ſatanam id formaſſe dicunt, qui eſt princeps materiæ. Græcorum autem ſapientes, Hippocrates, Plato, Galenus, humani corporis aptam compoſitionem ſuſpiciunt, & admirãtur vſum vniuſcuiuſque particulæ, fatẽturque laudes ſuas ſuperari à præclari vniuerſorũ artificis ſapiẽtia, quę in hoc animali cernitur. hinc Ouidius. *In epitome diuino. decreto. cap. de homine.*

Sanctius his animal, mentiſque capacius altæ.
Deerat adhuc: & quod dominari in cætera poſſet. *1. metamorphos.*
Natus homo eſt, ſiue hunc Diuino ſemine fecit.
Ille opifex rerum, mundi melioris origo.

Hominis ergo nobilitas non tantum ex corporis formatione eluceſcit. Verùm etiam ex animæ rationalis ſublimitate. Quia Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum. Hinc D. Gregorius Nazianzenus, verbum Dei (filius) animal (ait) vnum ex vtraque, hoc eſt ex inuiſibili ac viſibili natura hominem creauit, atque à materia quidem iam ante producta, ſumpto corpore, à ſe autem inſito ſpiraculo (quod quidem intellectualem animam, Deique imaginem ſcriptura vocat) velut alterum quendam mundum, in magno paruum, in terra collocauit, Angelum alium, mixtum ad oratorem, viſibilis naturæ ſpectatorem, intellectualis myſten; eorum quæ in terra ſunt regem, ſuperis ſubditum, terrenum & cœleſtem, caducum & immortalem, viſibilem & intelligibilem, medium inter magnitudinem & humilitatem, eundem ſpiritum & carnem, ſpiritum propter Gratiam, carnem ob elationem: illud vt maneat, eumque (cuius beneficiis ornatus eſt) concelebret: hoc vt vexetur, ac vexationibus admoneatur, & de magnitudine ſibi placens erudiatur, animal hic variè gubernatum, atque aliò demigrans, & (quod myſterij extremum eſt) animi ad Deum nutu & propenſione diuinitatem conſequens. *Sap. 2.* *in apologetic. orat. 42.*

Inſuper ſpirituum in organis corporeis contentorum præſtantia hominis naturam illuſtrat; quorum quidem excellentiam multi ex eo trahunt, quod animæ ſint & corporis vinculum, ex cœleſti ſubſtantia progeniti; proinde aſtrales eſſe ac ſydereos, animæ currus & vehiculum à Ficino nuncu- *Commẽt. in conuiuium plato. c. 9.*

patos, eundem firmamenti seruantes cursum, quorum vires peculiari vi magneticâ ad se attrahant. Verùm anima eo spiritu velut intermedio glutine non eget, contra Academicorum sententiam; cùm ex sola creatoris præordinatione corpori vniatur, nullius intermedij concursu: & vt forma informatæ materiæ copuletur. Spiritus verò nobilitatem non tam ex origine accipimus, quàm ex illius famulatu ad animi & corporis operationes exequendas. Quomodo enim calor vitalis cunctis partibus communicaretur absque illius influxu: & quorsum animæ facultates sua obirent munia sine hoc vniuersali instrumento. Et proinde spiritum fluxilem permeabilem & tenuissimum esse decuit, cuius operâ anima suas operationes promptissimè exequatur; proindeque tantâ excellentiâ sunt prædici, vt animæ currus appellentur: quod illi imperia, influxusque principum facultatum, prout cuiusque naturæ & conditioni competit, à primariis earum sedibus, cœteris membris impertiantur, & ab illis cognita referant & enuncient; necdum ex substantia cœlesti decisos esse, dicendum; quod nihil corruptibile ex cœlo dimanet. At huiusce spiritus excellentioris natura est mortalis & corruptibilis; & ideo reparatione quoad fieri potest, indiget: quæruntur ergo hac de causa in cœteris corporibus mixtis vegetabilibus & sensitiuis ac mineralibus tincturæ vitales, & spirituales, in quibus omnium operationum vigor consistit; eaque inuenta præsidia à summa Dei liberalitate concessa, hominibus applicantur, vt pote cum illis symmetricam concordantiam, & anagogiam physicam habentia.

Quò igitur præstantiora beneficia suscepimus, eò ardentiori animi confidentiâ, & curâ Dei præpotentis manum recognoscere decet; qui hominem postquam cœteras creaturas condidisset, in Theatrum vniuersitatis reposuit, vt reliquis præstantiorem, omnium creaturarum perfectionem suo ambitu comprehendentem: in quem diues vniuersæ naturæ supellex, omniaque superiorum & inferiorum corporum munera, tanquam in alteram Pandoram confluerent. Cuncta Deus Max. propter seipsum creauit, & propter hominem singula; vt illa ad Deum suum vltimum finem, & primum auctorem dirigeret. Homo igitur postremus opificis labor, tanquam operis vmbilicus aut corollarium, nobilitate & excellentiâ

cœteris

cæteris præſtat, quia in ſe omnes mundi partes comprehendit: adeo vt nihil in magno mundo, quod certo quodam modo in homine non reperiatur. Sed ne Paracelſi deliria inſequi videar; cenſeo hominem ob id non dici paruum mundum, quia omnes maioris mundi partes, & mutationes in ſe actu habeat: ſed quia ſimilitudo quædam in eo huius vniuerſitatis elucet, & cunctarum creaturarum ſymbolum; vnde pene omnium rerum ſympathiæ & conuenientiæ cum homine, ob principiorum naturalium cum illo affinitatem, atque cognationem: nam corpus habet palpabile ex elementis confectum, & proinde corruptibile: anima quæ in ſenſus non cadit, cœleſtis eſt & immortalis: per nutriendi vim plantis, per ſenſus brutis eſt ſimilis: mente ad naturam beatorum ſpirituum accedit, & Dei opt. Max. imaginem inſculptam retinet. Quare homo mundanæ fabricæ compendium, naturæ miraculum, magnum & admirabile extractum, quatuor elementorum mixtum, maximum Dei artificium, homo denique exemplar mundi perfectiſſimum, ad talem perfectionem promouetur, vt ſe cum Deo (ſi gratiæ iuſtificantis particeps fiat) perfectiſſimo amoris vinculo coniungat, atque vniat.

Enim verò hominis dotes excellentiſſimas contemplando, caducitatem, & humilitatem ipſius cogitemus. Homo nudus naſcitur & inermis, & quò ſe à contrariis rebus tueatur neſciens, remedia ignorat, vt ſuæ caducitati ſuccurrat. Hugo in didaſcalico apprimè annotat, non ſine cauſa factum eſſe, quòd cùm ſingula animalium naturæ ſuæ arma habeant ſecum nata, ſolus homo inermis naſcitur & nudus. Oportuit enim vt illis, quæ ſibi præuidere neſciant, natura conſuleret; homini autem ex hoc etiam maior experiendi occaſio præſtaretur: cùm illa quæ cœteris naturaliter data ſunt propriâ ſibi ratione inueniret: multò enim magis enitet nunc ratio hominis, hæc eadem inueniendo, quàm habendo claruiſſet. Eodem modo cœtera animalia natiuâ quadam propenſione ſua quærunt remedia atteſtante Plinio; cerui paſtu dictamni *Lib. 8. hiſt nat. cap. 27.* excutiunt corpore ſagittas: à phalangio percuſſi cancrorum eſu ſibi medentur: lacertæ à ſerpentibus ictæ herbâ quadam ſe refouent. Hirundines vexatis pullorum oculis chelidoniâ ſuccurrunt. Teſtudo cuniculæ paſtu vires aduerſus ſerpentes reficit: muſtela in murium venatu rutâ ſe confirmat: ciconia

origano: hederâ apri sibi medentur in morbis, item cancrorum esu: anguis fœniculi succo abiicit exuuium. Breuiter nullum est animal quod non intelligat sua remedia, solus homo nescit vnde corporis vel animi medelam petere debeat; quod ex protoparentum peccato fluxisse fertur, propter quod iusto Dei iudicio factum est, vt non solum humana caro mille morborum generibus posthac subdita fuerit; sed etiam intellectus alioquin splendidissimi radij, densissimis ignorantiæ tenebris circunfusi fuerint: atque omnes creaturæ in homines deinceps maledictione diuinâ vndique conspirarint. Verumtamen Deus summè bonus hominem omnino perdere noluit, sacra namque remedia tam animi, quàm corporis præbuit, quæ ab hominibus requisita & sibi applicata, ipsum renouant & plenè reparant. Medicina in subsidium concessa (nam *Altissimus creauit de terra medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa*) vt sua mala abigere possit, & sanitatem à variis causis lacessitam protegat. Artem inuenere homines longâ experientiâ & ratione vtentes, vt medicamenta profusè à summo Deo elargita ad corporis sanitatem rectè accommodarent.

Ecclesi. cap. 38.

Ars medica diuinitus accepta est, & diuinitus exercetur: nonne Raphaëlem Archangelum Hebræi volunt huius artis opus exercuisse? mittamus reliquos, Christus ipse tanquam generis humani Medicus, ægros quotcunque afferebantur curabat; discipulisque tradidit potestatem medendi. Hanc igitur artem vt pote nobilissimam reges meditari, & exercere quondam nequaquam dedignabantur. Quales fuerunt Sabor & Giges Medorum reges, Sabid rex Arabum, Mithridates Ponti rex, Ægyptiorum verò Hermes, Mesues regis Damasi nepos. Volunt nonnulli & Auicennam fuisse Cordubæ principem, Democritus, Timeus Locrus, Plato, Aristoteles, Galenus Medicinæ Hippocraticæ restaurator, innumerabilesque Philosophi, & nobiles Medici.

Hippocrates magnus Medicorum facilè princeps artis Medicæ necessitatem & existentiam demonstrat, & à sophisticis aduersariorum reprehensionibus vendicat. lib. de decenti habitu præcipit sapientiam ad Medicinam traducere, & Medicinam ad sapientiam. Medicus enim Philosophus Deo æqualis habetur. ἰητρὸς γὰρ φιλόσοφος ἰσόθεος.

Lib. de arte.

Hocce

Hocce ſeculo triplex eſt Medicinæ docendæ faciendæque ratio, primam appellant ſectam Dogmaticorum & Rationalium, cuius profeſſores Hippocratici & Galeniſtæ nominantur: Quidam adiiciunt Arabum doctrinam ſeculo elapſo valde excultam, iam verò ad doctrinæ Galenicæ & Hippocraticæ fontem, & puram ſcaturiginem reuocatam; non reiectis omnino illis quæ ab Auicenna, Meſue, Rhaze, Serapione, Auerrhoë fuerunt vtiliter adiecta, tum ad theoriam, quum ad praxim, præcipuè in remediorum & antidotorum præparandorum admirabili ſerie.

Altera Medicorum familia eſt Chymiatrorum, qui veterum methodo adiecerunt pharmaceuticem Chymicam, & non tantum vulgariter præparatis vtuntur medicamentis, verùm etiam ex alchymia petitis. In hac claſſe excellunt priſci Arabes, & alij recentiores Albertus, Arnoldus Villanouanus. Lullius, Andernacus, Hartmanus, & ſimiles: ex quibus aliqui ſimpliciter & vulgari conſuetoque Galenicis ſermone diſſerunt de Medicinæ regulis, in Chymicis ſaltem Chymica proferentes. Nonnulli ad dogmata priſca accommodant diſciplinam Chymicam, & quod Galenici vulgares ſuæ ſcholæ verbis enunciant, id hi Chymicè vel macrocoſmicè expediunt, vtrobique tamen eodem circa vniuerſalia præcepta, & praxim ſenſu. Hi Hermetici dici cōſueuerunt, aut Chymiatri, qui ab Hermetis antiquitate ſolent ſuam nouam Medicinam, Paracelſicæ tamen æmulam commendare. Sunt denique alij ſophiſtici, Galenicorum hoſtes infenſiſſimi, qui ſub chymiæ ductu, falſa aſtruunt principia, & cœteris ſapientiores & doctiores eſſe ſe prædicant.

Tertia ſecta eſt Paracelſiſtarum ab authore Paracelſo quondam Galenicæ & Arabum diſciplinæ addicto, chymicoque non indocto, nec imperito, ſed qui propriam tandem ſectam condidit, coaceruatis ex omni paradoxorum abſurdorumque & deliramentorũ angulo portentis, quæ fucato quodam colore inducta ſtuduit veriſimilia reddere. Hinc duo conatus eſt facere Paracelſus, vnum quidem magiam damnatam, & arte diaboli comparatam in Medicos vſus introducere: alterum Hippocratis, Galeni, Platonis, Ariſtotelis, & aliorum antiſtitum veram Philoſophiam (quamquam ex iſtis multa ſuffuretur (verbis & geſtibus explodere. Cuius libri,

cenſuram ab Eccleſia Romana, & interdictionem promeruerunt. Et præ cœteris Chymiæ Doctoribus Andreas Libauius vir egregius, Alchymiam ab erronea Paracelſi doctrina vendicauit, eamque à falſis ipſius dogmatibus conſpurcatam in priſtinum ſplendorem reuocauit. Quid ſentiat circa libros Paracelſi accipite ex Dialogo de Mercurio Philoſophorum, vbi introducitur Philiatrus. Diabolum ipſum puto archidoxi authorem eſſe: itaque non admodum eius lectione & citatione delector. Euthymus cur iſtud? Philiat. Non vidi magis blaſphemum ſcriptum in Deum & naturam, quàm eſt illud ipſum, præſertim ſi coniungas ei librum, qui azoth inſcribitur, & eum qui eſt de natura ſerpentum, vbi illum diuinæ mentis in homine radium, Deique imaginem, intellectum ex diabolo in ſerpente morantem, ortum eſſe dicit, cùm homo in paradiſo nihil omnium rerum nouarit. In archidoxi verò purum putum magum præceptis ſuis depingit. Euthym. En quidais? adeone impium & ſceleratum fuiſſe Paracelſum? Phili. Opera extant & ſcripta eius, idque teſtantur. Euthym. maximo tamen ſtudio conquiruntur, imprimunturque cum laude maxima Triſmegiſti, Principis, Monarchæ, &c. quin & in cœlum vſque à multis tollitur author, voluntque aliqui, vt etiam Paracelſia publicè doceatur. Phili. Qui veterum fuit in pietate feruor, eiuſmodi libros cum authore exuſſiſſent. At noſtra ſecula laudant & promouent. Veteres combuſſerunt Salomonis libros cum æneo ſerpente, & in actis magnam vim Vulcano conſecrarunt. Noſtri homines vel ex mediis cineribus repeterent. Lingua malè vſurpanti nomen Dei militi, à piis Imperatoribus iubetur præſcindi: hic ipſa blaſphemia per publicas typographias poſteritati mandatur. Romani pontifices comburunt ignibus ſæuiſſimis eum, qui Papæ maledixit: Pontificij quidam conuitia in Deum & naturam maximè impia luci mandant, & æternitati conſecrare ſtudent: ô ſecula, ô mores! poteſtne quis adeo improbus, impius, & nefarius eſſe, qui notam huius beſtiæ & nomen ſuſtinere auſit, & ſe Paracelſi diſcipulum nominet? Phil. quid mirum? nuper Galenicus quidam ſcripſit ad familiarem, ſe optare, vt totus in ſe repſiſſet Paracelſus. Euthym. imo legionem diabolorum ſibi potius debuerat optare: ſpes enim erat expulſionis à ſacerdotibus exorciſtis, & à Domino noſtro ſaluatore, hîc

parte 2. lib. 2. cōmētar. alchym.


verò

verò ipſe ſaluator à Paracelſo blaſphemiâ inceſſitur

Paracelſi dogmata abundè refutauit peritiſſimus Eraſtus tribus tomis ſuarum diſputationum. Nos verò visâ Chymicorum quorundam proteruiâ, qui hiſce temporibus, vt Hippocraticam doctrinam vnà cum communibus remediis condemnant, ſua anteponunt & cœteris præferunt: inter quos numerantur Quercetanus, Crollius, Dariotus, Vanhelmontius, qui Paracelſi doctrinam, quam Hermeticam dicunt, proſequi videntur, noua principia aſtruunt, ſua remedia Chymica noſtris anteponunt, in veræ veteriſque Medicinæ ruinam: noſtrum eſt hunc lapſum reparare. Paracelſiſtas verò ignaros prauæ diſpoſitionis nuncupamus, quorum ignorantiam duplicem diſtinguimus: vnam quæ ex veris principiis perperam intellectis falſas colligit concluſiones: alteram quæ ex falſis falſa elicit. Quo iure Paracelſus eiuſque ſequaces, vt veram & Hippocraticam Medicinam peruerterent, ſalem, ſulphur, & mercurium pro principiis corporis propoſuerunt, quibus ſanè poſitis tota pars Theoretica corruit. Et vt praxim euerterent, ſimilia ſimilibus curari cenſuerunt.

Hæc ergo deinceps noſtræ diſceptationis occaſio erit; quatuor elementa eſſe corporis humani principia, tum humores nempè ſanguinem & ſemen vtriuſque parentis; ſpiritum autem & calorem noſtrum non eſſe cœleſtem, ſed illi analogum, & cuius ſortis ſit quinta eſſentia; vnde prodeant ſapores, colores, & corporum mixtorum facultates. Præterea an ſint morbi aſtrales, tartarei, arſenicales, & quomodo cognoſcantur, ac quæ ſint eorum cauſæ: & quodnam remedium inquirendum, an ſimile, an contrarium; & vtrum præparationes veterum ſint recipiendæ, & an præſtent quod promittunt, vel an ſola Chymica ſint præferenda, & potiſſimum ex mineralibus repetita: vel vtraque nobis conueniant. Vbi multa myſteria Chymica, & Medica ad hominũ ſalutẽ explanabuntur. Ideoque totum opus in tres ſectiones ſecabimus; prima erit phyſiologica, ſecunda pathologica & ſymiotica, tertia Therapeutica. Hinc arcemus nummarios medicaſtros, & empyricos circulatores, Agyrtas item, Theriacopolas, compitalitios Præcones, & ſimilis farinæ loculorum tantum emunctores, qui verborum lenocinio adulatorio decipiunt, & ſermonis

assentatorio delinimento illudunt ac imponunt. Qui etiam Medicinæ Spagyricæ & Hermeticæ nomine, necnon mutuatis ab Hippocr. & Galeno nonnullis discursibus, & ab aliis Medicinæ doctoribus, quoslibet morbos curare, vno tantum remediorum genere falsò contendunt. Nec viros huiusmodi intus quisquam nouerit, quin eosdem pharmacorum adulteratores, Chrysopœiam meditantes, & in omnibus in quibus veram Medicinam profitentes eruditos esse oportet, ignaros non experiatur. His ita in genere strictim breuiterque statutis, singula deinceps accuratiùs persequemur; primúmque non tantum mixta, sed etiam hominis corpus quatuor elementorum mixtione constare commonstrandum.



ELENCHVS

Omnium opusculorum in hoc volumine contentorum.

I. MEDICINA Antihermetica p. 1.

II. APPOLOGETICON aduersus Van-helmont circa jactantiam passiuæ deceptionis scholis Humoristarum imputatæ. p. 245.

III. EPITOME tractatus de Febribus. p. 309.

IV. ΤΕΤΡΑΣ grauissimorum capitis affectuum, Vertiginis, Epilepsiæ, Conuulsionis, & Apoplexiæ. p. 374.


V. QVÆSTIO medica practica. p. 402.

VI. APHORISMI Hippocratici XV. p. 411.

VII. APOLOGETICON quo vera Galenistarum doctrina circa pleuritidis ideam & curationem defenditur aduersus Van-helmont. p. 423.

VIII. CONSVLTANDI methodus ad quoslibet affectus propositos curandos necessaria. p. 447.

SERIES



SERIES SECTIONVM, CAPITVM, ALIORVMQVE TITVLORVM QVÆ In hoc toto volumine continentur.

Præponitur Præfatio de hominis præstantia, artis necessitate, atque Medicorum Sectis.

Sectio I. Physiologica:

EIVSDEM SECTIONIS CAPITA numeris diuisa.

Cap. I. *Qvod quatuor sunt elementa, quorum mixtione corpus constat: imo & Chymicorū magisteria & essentias ex ipsis esse cōpositas demōstratur: nec in easdē numero partes componentes resolui posse.* pag. 1

1. *Sententia Hippocratis & Chymicorum exponitur.* ibid.
2. *Quatuor esse elementa.* pag. 4
3. *Chymicorum magisteria & essentias ex elementis esse conflatas* pag. 8
4. *Corpus in easdem numero partes componentes resolui non posse.* pag. 10

II. *De principiis rerum naturalium aduersus Paracelsum & Chymicos: vbi veriora non inuenisse sed nomina variasse constabit.* pag. 12

1. *Quotuplex sit principium.* ibid.
2. *Opinio Paracelsist.* pag. 14
3. *Disquisitio de seminio rerum.* pag. 17
4. *Principia Paracelsistarum, Hippocratis, Galeni, & Aristot. Dogmata non euertere.* pag. 19

ĩ 1

5. *Tria chymica principia cælorum aut elementorum corpus non componere.* pag. 22
III. *De principiis corporis humani contra Paracelsum, ex lib. correctionis Dialogi Apologici cuiusdam Empyrici, composito à D. Iacobo Fontano parente colendiss.* pag. 25
IV. *Vtrum quinta essentia Chymicorum sit cœlestis, vel elementaris.* pag. 29
1. *Quintam essentiam non esse à cœlo.* ibid.
2. *Obiectiones aduersariorum diluuntur.* p 31
3. *De cælorum influentiis.* pag. 34
4. *An qualitates omnes ab astris procedant.* pag. 35
5. *Opinio Paracelsi de astro interno refutatur.* p. 37
V. *Spiritum & calorem nostrum esse calori cœlesti similem.* pag. 38
1. *Caloris natiui quodnam est subiectum.* ibid.
2. *De caloris vitalis origine.* pag. 40
3. *Respondetur argumentis eorum qui asserunt calorem vitalem cœlestem esse.* pag. 42
4. *Caloris vnicam esse speciem.* pag. 43
5. *An spiritus sint ætherei.* pag. 44
VI. *Examen sententiæ Hermeticorum, de natura, origine, & viribus spirituum.* pag. 46
1. *Causæ actionum naturæ indagantur.* ibid.
2. *Hermeticorum opinio de spirituum natura examinatur.* pag 47
3. *Argumenta aduersariorum refelluntur.* 51
VII. *De humido primigenio, & in quolibet viuente triplex humidum inesse ostenditur.* 55
1. *Humidi ad vitam necessitas, deque humido aqueo, oleoso, ac concreto salis nomine à Chymicis expresso.* ibid.
2. *In qualibet parte spirituosum, humidum, & solidum quid distingui.* pag. 58
3. *De origine, materia, & subiecto calidi natiui, & humidi radicalis.* pag. 59.
IVII. *De temperamentorum differentiis ex Galeno aduersus Paracelsum.* pag 60
1. *Temperiem esse qualitatem ex aliarum complexu ortam.* ibid.
2. *An præter temperamentum alia perfectior natura quinta reperiatur.* pag. 61

IX. *De*

IX. *De humorum naturalium numero & natura, ex Hermetica secta Medicorum, necnon Hippocraticæ veritatis doctrinâ.* pag. 64
1. *An dentur humores, quid sint, & cur.* ibid.
2. *Per varias naturæ operationes produci humores nutritios, & excrementitios iuxta Dogmaticorum effata.* pag. 65
3. *Sanguinem intra venas contentum non esse sincerum, sed variis partibus constare.* pag. 70
4. *An humores successiuè an simul generentur, ab vno eodemque calore.* pag. 72.
5. *Sanguinem non tantum tribus succis constare.* pag. 73
6. *De sanguinis partibus Hermeticorum opinio examinatur.* p. 75
7. *De humoribus secundariis.* pag. 78
8. *Hermeticorum opinio examinatur circa excrementitiorum humorum naturam, & cum illa Dogmaticorum comparatur.* p. 79
9. *Humorum principia qualia sint ex Paracelso & Dogmaticis.* pag. 82
10. *An principia Hermeticorum Hippocrates nouerit.* p. 85
X. *De formationis hominis principiis.* p. 88
1. *Quid semen & quotuplex.* ibid.
2. *De vi formatrice, & quî semini communicetur.* p. 90
3. *Hermeticorum opinio de formatione fœtus examinatur.* p. 91
XI. *Anatomes Dogmaticorum commendatio, & Paracelsi anatomiæ nouæ refutatio.* pag. 92
1. *Anatomes vtilitates iuxta Dogmaticos.* ibid.
2. *Anatomes Paracelsi refutatio.* pag. 96

Sectio II. pathologica,

DE VERITATE HIPPOCRATICÆ Medicinæ: Eiusdem capita numeris diuisa.

I. *De morbi definitione, eiusque subiecto.* pag. 100
1. *Galeni de morbi definitione sententia stabilitur.* ibid.
2. *Argumenta Argenterij diluuntur.* pag. 102
3. *Quodnam sit morbo subiectum.* pag. 104
II. *De morborum generibus & differentiis iuxta Hermeticorum doctrinam.* pag. 105

1. *Hermeticorum doctrina circa morbos stabilitur.* ibid.
2. *Responsio ad argumenta aduersariorum.* p. 109
III. *De primis morborum generibus ex sententia Dogmaticorum.* pag. 113
IV. *An dentur morbi totius substantiæ, & sub quo genere morborum contineantur.* pag. 117
1. *Variæ sententiæ proponuntur.* ibid.
2. *Controuersia deciditur, & argumenta pro morbis totius substantiæ examinantur.* pag. 120
V. *Vtrum aliqui morbi sint astrales.* pag. 125
1. *Astrale pro spirituosa substantia ab Hermeticis accipitur.* ibid.
2. *Astrale est quid diuinum Hippocratis vel à Deo missum, vel à cælo ortum, vel ab aëris dispositione.* p. 127
VI. *De causis morborum, & vtrum humores sint causæ morborum ex Chymicorum & Dogmaticorum sententia.* pag. 130
1. *Quæ sint causæ morborum iuxta Dogmaticos.* ibid.
2. *Ostenditur contra Hermeticos humores esse morborum causas.* p. 134
3. *An tartarum sit causa morborum.* pag. 136
4. *Neque sales in morborum causis annumerari.* p. 137
5. *De humorum differentiis.* pag. 139
VII. *De signis morborum tam ex Hermeticorum, quam Dogmaticorum doctrina.* pag. 141
1. *Anatomiam ossatam morbos non demonstrare contra Paracelsistas.* ibid.
2. *De morborum signis.* pag. 143
3. *De signatura physiognomonica.* pag. 144

Sectio III. Therapeutica,

DE VERITATE HIPPOCRATICÆ Medicinæ: Eiusdem capita numeris diuisa.

I. *Num secundum Hippocratis oraculum, contraria contrariorum, an verò secundum Paracelsum, similia similium sint remedia.* pag. 149
1. *Sententia Hippocratis & Galeni proponitur.* ibid.
2. *Paracelsi opinio declaratur.* pag. 150

3. Argu

3. *Argumenta quæ probant similia similibus curanda.* 152
4. *Prædicta argumenta dissoluuntur.* ibid.
II. *De facultatibus medicamentorum in genere tum primis & secundis.* pag. 155
1. *Quid sit medicamentum.* ibid.
2. *De forma corporum naturalium.* pag. 157
3. *Quot sint medicamentorum facultates.* p. 159
4. *De secunda medicamentorum facultate.* pag. 161
III. *De facultatum indiciis ex saporibus deductis.* pag. 162
1. *De saporis idea ex mente Chymicorum & Dogmaticorum.* ibid.
2. *De acri, & amaro.* pag. 163
3. *De salso sapore.* pag. 164
4. *De acido, austero, & acerbo.* pag. 165
5. *De sapore dulci, vnctuoso, & insipido.* pag. 166
6. *Sapores non ex salibus, sed ex temperie & materia pendere.* pag. 167
7. *De odoribus.* pag. 168
8. *De coloribus.* ibid.
IIII. *De tertia medicamentorum facultate, seu proprietate occulta, & in quibusnam medicamentis reperiatur.* pag. 169
1. *Tertiam facultatem non ex primis, sed ex aliis excellentioribus qualitatibus oriri: aduersus D. Merindolum.* ibid.
2. *Contrariæ opinionis argumenta refutantur.* p. 171
3. *De medicamentis occultâ qualitate agentibus.* p. 174
V. *De remediis extraordinariis, & trans naturam.* pag. 178
1. *An verbis & incantationibus vis morbos sanandi insit.* ibid.
2. *An medicamentum sympathicum vi naturali, an verò extraordinariâ operetur.* pag. 180
3. *Apologia aduersus Vanhelmont de magnetica vulnerum curatione.* 183
VI. *De præparatione medicamentorum iuxta sententiam Aristotelis, Dogmaticorum, & Chymicorum.* pag. 191.
1. *Quot sint affectiones medicamentorum præparandorum, & vnde nam prodeant.* ibid.
2. *Quid & quotuplex vaporabile, & quî destilletur aut sublimetur.* pag. 192
3. *De destillatione.* pag. 193
4. *De sublimatione.* p. 194

5. *De coctione eiusque speciebus.* pag. 195
6. *De digestione.* p. 196
7. *De circulatione.* ibid.
8. *De assatione.* pag. 197
9. *De infusione.* ibid.
10. *De extractione.* ibid.
11. *De coagulatione.* ibid.
12. *De fusione & solutione.* pag. 198
13. *De tritura.* ibid.
14. *De vstione & speciebus.* p. 199
15. *De calcinatione.* pag. 200
VII. *Pharmacopeæ Dogmaticæ & Chymicæ remedia, ad corporis humani salutem tutissimè conferre.* pag 201
1. *Pharmacopœus à Chymico non valde discrepat.* ibid.
2. *De catharticis suauitate præstantibus.* p. 203
3. *An metallica Chymicè præparata vsui sint necessaria.* pag. 205
4. *Puluis purgans Cornachini.* pag. 207
5. *De Chymiæ necessitate.* pag. 209
VIII. *De medicamentorum compositione.* pag. 211
1. *De compositionis causis.* ibid.
2. *Compositionis quatuor capita.* pag. 213
3. *De compositione Chymicorum in Paracelsum.* p. 214
IX. *De methodo inueniendi remedia per indicationes, iuxta Hippocr. & Gale. sententiam.* pag. 215
X. *De indicationibus & scopis curationis intemperiei.* pag. 216.
1. *Quid in alterantis contrarij indicatione sit obseruandum.* ibid.
2. *Indicationes sumptæ à causis.* pag 217
3. *Exemplum de indicationibus febris putridæ.* p. 218
XI. *De indicationibus morborum occultas qualitates consequentium.* pag 219
XII. *De indicationibus & scopis vacuationis in genere, & de ea quæ fit per medicamenta purgantia, iuxta Hippocr. & Galen. doctrinam.* pag. 220
1. *Indicationes ex plenitudine ortæ.* ibid.
2. *Indicatio purgationis ex cacochymia.* p. 221
3. *Quænam in purgatione consideranda.* p. 222
XIII. *De indicationibus & scopis reuulsionis & deriuationis.* pag. 225

1. *Quid*

1. *Quid reuulsio, & quot sint in ea consideranda.* ibid.
2. *Quot reuulsionis modi.* 226
3. *De deriuatione & vacuatione particulari.* 229
XIV. *De indicationibus ac scopis humorum præparationis, & concoctionis.* pag. 230
1. *De coctione humorum:* ibid.
2. *Bilem præparantia medicamenta.* pag 231
3. *Abstergentia.* 2 2
4. *Aperientia.* 233
5. *Pituitam acidam & vitream præparantia.* 234
6. *Pituitam salsam præparantia.* ibid.
7. *Melancholicum humorem præparantia.* 235
XV. *Conclusio de serie & ordine multarum indicationum & scoporum, sub exemplo curationis intemperiei cum materia affluxu.* pag. 236.

APOLOGETICON

Aduersus Van-helmont circa Iactantiam passiuæ deceptionis, scholis Humoristarum imputatæ.

Cap. I *Quatuor humores Galenistarum, non esse fictitios.* pag. 245
Præfatio, in qua basis fundandi, humorum Quaternarij stabilitur. ibid.
Argumenta Van-helmontij à capite ad calcem seriatim dissoluuntur. pag. 247
Digressio de Chyli transmutatione, ac cruoris coctione ex Helmontij decretis. pag. 265
Vera sententia circa Chyli, & cruoris digestionem exponitur: & Helmontij decreta examinantur. pag. 265

EPITOME TRACTATVS
De febribus.

Cap. I. DE nomine & definitione febris. pag. 309
II. De febrium differentiis. pag. 310
III. De vniuersalium febrium causis. pag. 312
IV. De communibus febrium signis. pag. 313
V. De vniuersali febrium curatione. pag. 314
VI. De febris ephemeræ cognitione & curatione. ibid.
VII. De febrium putridarum essentia & causis. pag. 318
VIII. De febrium putridarum differentiis, & differentiarum causis. pag. 320
IX. De signis febrium putridarum. pag. 325
X. De vniuersali febrium humoralium, seu putridarum curatione. pag. 328
XI. De febre sanguinea, seu synocho putri. pag. 332
XII. De malignis, & pestilentibus febribus. pag. 335
XIII. De febrium phlegmaticarum, seu quotidianarum differentiis, & curatione. pag. 341
XIV. De biliosarum febrium differentiis & curatione. p. 345
XV. De melancholicarum, & quartanarum febrium differentiis, & curatione. pag 351
XVI. De febris hecticæ cognitione & curatione. p. 354
XVII. De compositarum, & implicatarum febrium differentiis, cognitione, & curatione. pag. 359
XVIII. De febrium symptomatibus. pag. 364
XIX. De immodico sudore in febribus. pag. 365
XX. De exenthematum, ecthymatumque differerentiis & curatione. pag. 366

ΤΕΤΡΑΣ

Grauissimorum capitis affectuum, vertiginis, Epilepsiæ, conuulsionis, & Apoplexiæ!

Ex

Series Sectionum, cap. & aliorum tit.

Ex doctissimorum Medicorum sententia, & praxeos obseruatione elucubrata, examinatis Chymicorum & Hermeticorum opinionibus.

Cap. I. *De vertiginis ideâ, sede, differentiis, causis & curatione.* pag. 374

II. *De Epilepsiæ ideâ, sede affectâ, causis, differentiis, & curatione.* pag. 380.

III. *De conuulsionis ideâ, sede affecta, causis, differentiis, & curatione.* 388

IV. *De Apoplexiæ ideâ, sede affecta, causis, signis, & curatione.* pag. 394

QVÆSTIO MEDICA PRACTICA

Vtrum mulieri ab aborsu, vel partu, acuto morbo vt pote febre continua primaria affectæ liceat venam malleoli secare, an potius ex brachio sanguinem ducere. pag. 402

APHORISMI

Hippocratici XV. lib. V. propositi.

RIVVS I. p. 411

RIVVS II. p. 412

RIVVS III. p. 413

RIVVS IV. p. 415

RIVVS V. p. 416

APOLOGETICON

Quo vera Galenistarum doctrina circa pleuritidis ideam, & curationem defenditur aduersus Van-helmontium. pag. 423

CONSVLTANDI METHODVS

Ad quoslibet affectus propositos curandos necessaria.

Sectio I. *De Diagnosi affectuum in genere.* p. 447
Sectio II. *De Prognosi.* p. 450
Sectio III. *De morborum Therapeia.* p. 452
Consultationis exemplum de Cephalalgia biliosa. p. 455

ADDENDA

ad calcem capitis quinti sectionis primæ.

Eruditissimo Clarissimoquè D. GABRIELI FONTANO Medicinæ Doctori, & Professori D. Carolus Giraudus Med. Doctor Pedeimontanus. S. D. p. 459

APPROBATIO.

NOs infra scripti facultatis Parisiensis Doctores Theologi perlegimus D. Gabrielis Fontani Iacobi filij artium & medicinæ Doctoris medicinam Antihermeticam, in qua nihil fidei aut bonis moribus aduersum deprehendimus. Quare, cùm aliunde eius Authorem vbicunque aduerterimus Hippocratis & Galeni vestigiis firmissimè inhærentem, indicamus istud opus non modò eorum sectatoribus esse perutile, verùm & iis qui futiles Chymiæ vapores deglutire nunquam cessant, vt tandem sese liberent ab eiusmodi morbo. Dignum est igitur quod prælo mandetur, omniumque subiaceat oculis. Datum in Carmelo nostro Lugdunensi Die 9. Octobris 1656.

Fr. Cyrillus Morel Carmelitarum Prouinciæ Narbonæ Prouincialis.

F. Paulus Lombard Carmelitarum Lugduni Prior.

Consentement du Procureur du Roy.

IE n'empesche pour le Roy que ce liure intitulé *Medicina Antihermetica Gabrielis* Fontani soit mis au iour & imprimé par Messieurs Borde, Arnaud & Rigaud auec defences en tel cas requises & accoustumées, fait ce onziesme Octobre 1656.

VINCENT DE PANETTES

Permission.

SOit fait suiuant les conclusions du Procureur du Roy. Fait en la sale du palais ce vingt deuxiesme Nouembre mil six cens cinquante six.

DEMORNIEV.



D. GABRIELIS FONTANI IACOBI FILII, ARTIVM ET MEDICINÆ DOCTORIS MEDICINA ANTIHERMETICA.

SECTIO PRIMA PHYSIOLOGICA.

De veritate Hippocraticæ Medicinæ.

Quod quatuor ſunt elementa, quorum mixtione corpus conſtat: Imo & Chymicorum magiſteria, & eſſentias ex ipſis eſſe compoſitas: nec in eaſdem numero partes componentes reſolui poſſe.

CAPVT I.

1. Sententia Hippocratis & Chymicorum exponitur.



ELEMENTORVM naturam indagaturi prius ſupponimus principium ab elemento diſcrepare: primò quod elementum ſit corporeum, principium incorporeum. Secundo quod principia ſolâ ratione comprehendantur, elementa ſentiuntur, & ſuâ qualitate tactum afficiunt, ignis calore; aër ſi Galeno & Stoïcis creditur, frigore; aqua humore; terra ſiccitate, duritie. Tertiò quod principia ſint prima & immediata; elementa ex primis compoſita, conſtant enim materiâ & formâ, Proinde Medicus prætermiſſis primis naturæ principijs, vniuerſum artis opus ab elementis exorditur: nam ſenſui addictus artifex ſenſibilia principia qualia ſunt elementa pertractare debet: materia verò &

forma intellectilia. Adde quod subalternatur medicina physicæ, & conclusiones physicæ sunt principia medicinæ: at non est æquum artis superioris & inferioris eadem esse principia per æque prima.

1. de element. c. 1. Secundò supponimus elementum definiri à Galeno minimã partem eius cuius est elementum, sic literæ sunt orationum elementa, quo generali significato Aristot. appellat cœlum elemētum, sunt enim quinque & simplicissimæ partes mundi, cœlum, ignis, aër, aqua, terra. Specialius definitur corpus simplex ex quo primùm mixta constituuntur: sunt verò partes mixti, prout sunt calida, frigida, humida, aut sicca: nam per mixtionem vniuntur, miscentur præcedente alteratione, alterantur actione & perpessione mutuâ, per qualitates primas, quæ sunt energiticæ & formales. Quæ doctrina licet verissima, tamē malè sonat apud chymiatros, qui omnia tribuunt sali, sulphuri, & mercurio, & spiritibus æthereis: elementa verò suis qualitatibus donata nihil pręstare censent, nisi quod matrices sunt principiorum formalium.

Initio lib. de carnibus seu de principijs. Hippocr. loquens de membrorum humani corporis formatione quatuor elementa statuit, his verbis: Quod calidum vocamus, id mihi immortale esse videtur, cunctaque intelligere, videre & audire, sentireque omnia tum præsentia tum futura, cuius pars maxima, cùm omnia perturbata essent, in supremum ambitum secessit, quod mihi veteres videntur æthera appellasse. Altera pars infimum locum sortita, terra quidem appellatur, frigida & sicca, multásque motiones habens, & in qua multùm sanè calidi inest. Tertia verò pars medium aëris locum nacta est, calidum quid existens. Quarta pars terræ locum proximum obtinens, humidissima & crassissima. His igitur in orbem agitatis, cùm turbata essent, calidi magna pars aliàs in terra relicta est, partim quidem magna, partim verò minor, aliàs etiam valde parua, sed in multas partes diuisa. Et temporis successu resiccatâ terrâ, ista in ea tanquam in membranis contenta, circum se putredines excitant. Ac longo tempore incalescens, quod quidem ex terræ putredine pinguedinem sortitum est, & minimum humidi habet, id citissimè exustum, ossa produxit, &c. inde persequitur variarum partiũ formationem iuxta varios mixtionis modos, & qualitatum elementarium concursum.

Ex hoc textu Hippocratis nõ clarè percipitur quænam sit calidi illius immortalis natura, quod cum æthere idem esse profitetur. Huius nomine id intellexisse videtur, quod est omnium operationum naturalium organum, acætheri elementisque commune existit. Hoc calidum æther dictum multi Philosophi & Medici cœlum appellant; inter quos est Cardanus, qui proinde nullum ignem elementarem esse demonstrat, cuius rationes refutauit Scaliger. Querceranus Cardani sententiam tuetur, dum diuidit totum mundi orbem in duos globos, superiorem videlicet cœlum æthereum (quod ab ardendo, fulgendo, vel lucēdo, ἀπὸ τῦ αἴθειν sic dictum est. Quodque igneum cœlum, formale & essentiale elementum est) nec non aërem seu aëreum cœlum constituentem: & inferiorem globum, qui quidem complectitur aquam, & terram. Quam opinionem *Conimbr. lib. 3. de cœlo c. 5. quæst. 1. libr. de subtil. 2. Exercit. 9. de subtil. De veritat. Hermet. Medicin. cap. 14.*

Lib. Geneſ. c. 1.

opinionem Moſis authoritate confirmat; qui nullam in ſuis libris ignis mentionem fecerit: (in quibus creationem rerum omnium docet, ideóque libentiùs diuini Vatis ſententiæ, quàm ethnici Philoſophi ratiocinationibus adſtipulatur.

Vt ergo priorem Hippocratis ſententiam explicemus, ſcire oportet eum nomine ætheris intellexiſſe ſubſtantiam ſpiritalem ac tenuem, quæ igni & aëri æquè conducit. Id deducitur ex Hippocratis doctrina, quod enim cœlum, & terram interiacet, πνεύματος συμπλέον ἐστὶ, id omne ſpiritu plenum eſt; quo nomine tam aër quàm ignis ab eo deſignatur. Quod ſi Ariſtot. doceat, ſupra aquam eſſe aërem, & id quod quamuis ignem conſueuimus appellare, ignis tamen haudquaquam eſt. Hoc loco tantum indicare voluit, nomine πῦρ (quod vocabulum barbarum eſſe Plato in Cratylo teſtatur) propriè tantùm ſignificari inferiorem ignem feruore ſuo æſtuantem. Illum autem ſuperiorem ignem, non propriè ſed ex conſuetudine eo vocabulo notari, & per analogiam ad illum tenuiſſimum ſignificandum transferi. Ineptè ergo cœli ſubſtantia cum puro & æthereo igne confunditur: paulo poſt enim demonſtrabimus ſub cœlo lunæ calidum & ſiccum elementare corpus aëre ſuperius collocari, à cœlo tamẽ eſſentialiter diſtinctum. Attamen Moyſes duo ſolummodo inferiora elementa numerauit, quia hæc tantum aſpectu percipiuntur, & rudi populo, ad cuius captum ſeſe accommodabat notiora ſunt.

Lib. de flatib.

Lib. 1. meteor. c. 4.

Quantum ad Chymicos, hi docente Quercetano & Crollio ex idea Seuerini, aſſerunt in elementis latere principia ſpiritualia, actiua, formalia, in quorum ſinu rerum aſtralia ſemina vt in ſua propria receptacula diffuſa & repoſita eſſe dicunt, quibus inſunt viuificæ ſcientiæ, proprietates & radices rerum omnium propagandarum, qualitates, quantitates, ſapores, odores, coloreſque includuntur. Quæ ſuis tẽporibus opportunâ maturitate ex ſinu illorũ effloreſcunt. Hinc Crollius cenſet noſtra elementa viſibilia eſſe corpora, & domicilia aliorum impedientia & retardantia eorum vim.

In præfat. Baſilica Chymic. p. 35.

Contra hanc doctrinam notabitis, malè ab iſtis concluſum, formas in elementis contineri: nam docuit Ariſtot. Eſſe proprium formæ continere, materiæ contineri; prætera locus eſt inſtar formæ, quia continet locatum; Deus prima forma, forma formarum eſt cauſa continens vniuerſi, non continetur mundo. Ergo elementa non ſunt loca, cum ſint partes ex quibus res conſtant. Deinde ex iſtorum dictis ſequeretur quòd elementa formalia reciperent alia principia formalia, nempe aſtralia ſemina, quod eſt abſurdum. Præterea cùm iſti Chymiatri de ſeminario formarum, ſermonem habent, vlcera iam cicatrice obducta refricare videntur. Extitit olim Anaxagoræ paradoxũ de πανσπερμία in materiæ ſinu deliteſcente ab Ariſtot. Sapienter confutatum. Formarum phyſicarum ſeminarium potiùs eſſe in ſole, ſententiâ Peripateticorum: ſed de hac materia ſequentibus capitibus agemus. Quod autem non ſint in ſinu materiæ elementorum eſſentiæ deliteſcentes, phyſicorum omnium eſt opinio: alioquin eſſent res priuſquam fierent. Generaret natura ex

4. de cœlo text. 34.

duobus actibus, non ex potentia & actu.

2. *Quatuor sunt elementa.*

Concludo cum Hippocr. Aristot. & Galeno cōmunia mixtorum elementa esse ignem, aërem, aquam, & terram. Quod cùm multis rationibus probatum sit ab Aristot. hoc solo argumento rem demonstrasse sufficiet. Quatuor esse rerum sublunarium patibiles qualitates primas, à quibus omnis alteratio exoritur, quæ generationem præcedere solet; calorem scilicet, frigus, humiditatem, siccitatem, suis actionibus satis manifestas: quæ cùm sint accidentia, in primis subiectis existant necesse est, in quibus totam eam intensionis amplitudinem obtineant, quam assequi secundum naturam possunt; & quod in vnoquoque genere sit velut caput reliquorum. Talia autem agnoscimus ignem, aërem, aquam, & terram: in quorum singulis, singulæ prædictarum qualitatum in summo secundum naturam insunt. Atqui non refert si primum calidum dixeris an ignem, primum frigidum an aquam, primum humidum an aërem, primum siccum an terram. Cogimur enim propter ignorationem verarum & essentialium formarum, elementa his primis qualitatibus definire.

Lib. 3. de cœl & 2. de gener. & corrupt.

Quæ præterea simplicia esse profitemur: quod mutuâ actione in se inuicem conuertantur; eorum autem nulla in diuersa dissoluantur. Ex quibus demum mixta consistere; vltima rerum dissolutio iudicat: quæ non in plura fieri consueuit, quàm in calidum spiritum igni respondentem, tenuem vaporem aëris æmulum, fluidum liquorem aquæ sobolem, & terreum crassamentum; in quæ viuentia atque animantia maximè dissolui experimur. Quinimo & ex eorum concursu vario lapides, metallaque generari, & plantarum alimenta præparari, quibus deinde animalia vescuntur.

His adiungamus humanæ generationis sensibilia, & coniuncta principia, semen scilicet & maternum sanguinem, in nobis elementorum mixtionem attestari. Authore siquidē Galeno, Semē est igneum magis quam aëreum: spuma enim est aëreus, & oleosus humor: genitor spiritus, cuius præsentiâ spumat est igneus: sanguis potissimum est aqueus & terrestris; quandoquidem ratione substantiæ est aqueus, ratione fibrarum terrestris. Ergo manifestè ad nostram generationem concurrunt quatuor elementa.

Præterea sanguine continentur quatuor humores: atqui illi analogiâ respondent quatuor elementis; bilis enim calida sicca est ignea: sanguis calidus humidus est aëreus: pituita frigida humida aquea. Succus melancholicus frigidus siccus est terrestris. Ergo materno sanguine quo opifex spiritus, tanquam materiâ vtitur ad fabricam nostri corporis, quatuor elementa continentur.

Item nostri corporis partes quædam sunt siccæ & duræ à terræ dominatu, vt ossa; aliæ humidæ, vt humor radicalis; aliæ frigidæ, vt cerebrum, aliæ calidæ, vt cor, iecur, spiritus. Accedit quod iis nutrimur quibus constamus, nutrimur mixtis: nullum enim animal vno simplici elemento nutriri potest. Sit igitur hoc constitutum nos constare quatuor elementorum mixtione.

His autem ignem annumeramus, non

non solùm quod inter ea quæ calida sunt sit calidissimus: & quod summo alicubi calore introducto, non alterius illic forma introducatur quàm ignis, velut calidorum principis: sed inde præterea, quòd qui in his inferioribus excitatur, maximâ velocitate sursum ferri aspiret. Quem mixtis etiam corporibus immisceri posse ex calce patet, & his mineralibus quę subterraneorum ignium viribus excoquuntur. Adde quod citra mixtionem alteriùs, ex aëris elemento per collisionem supercalefacto generatur; indeque resultat ignis elementaris: cum ex vnico elemento mixtum produci nequeat. Postremò ignem de numero elementorum esse pronunciamus; quia eius operâ mixta extremam dissolutionem subire solent: cum enim quodlibet sibi simile generare conetur, si non specie saltem genere; nisi is simplex foret, cætera in simplicia non dissolueret.

Peripatetici primum calidum ignem elementarem esse demonstrãt, non autem cœlum: quia primum calidum qualecunque illud sit, oportet reipsâ esse calidum, vt sit caloris πρῶτον δεκτικὸν primum recipiens & subiectum: at nos negamus cum Aristot. cœlum esse actu calidum, quia habet contrarium frigus à quo pateretur tandem, & corrumperetur; cùm cœlo nihil repugnet nisi priuatiuè, vt tenebræ luci: energiticῶs, seu, vt loquitur D. Thomas causaliter calefacit, vt cos non acuta acuit; vi enim suâ & motu calorem excitat. Ergo cœlùm non est primum calidum, multò minus summus & adustus aër, quia ex accidenti tantum & secundariò eiusmodi est. Reliquũ est igitur, vt constituatur ignis elementaris primum calidum.

Hic non est omittenda Alberti Magni doctrina quâ demonstrat elementa in corporibus animalium commisceri: ac imprimis ignis existentiam probat ex effectis, nimirum ex coctione, separatione heterogeneorum, congregatione homogeneorum; perforatione partium, extensione earumdem, consumptione humidi, expulsione superfluorum cum impetu. Hæc autem fieri à calido igneo facilè probatur: nam decoctio fit condensatione, per dissipationem humidi à calore igneo procuratam: aëris namque calor id præstare non potest, quod sit valde debilis. Intelligitur autem calor ignis temperatus in mixto; solitarius namque vrit, vt experientiâ constat. In nutritione fit separatio earum qualitatum quæ sunt contrariæ nutrito; per quam separationem & introductionem dispositionum quâ proximæ possunt recipere formam partium corporis, fit capax alimentum illius formæ introductionis: hæc autem ab alio non prodeunt, quàm ab igneo calore, qui cùm validissimus sit, istas actiones potentiori modo exequitur: separatio verò illa fit per ebullitionem quam calor igneus promouet; frigus namque seu altera qualitas actiua, non præstat in opere naturæ, nisi caloris excedentis repressionem & cõpressionem. Ignis ergo est separare, vt patet exemplo separationis auri, & reliquorum metallorum vi ignis procuratę. Perforatio etiam fit ab acuto & penetrante; quid autem acutius & penetrabilius igne? dilatatio quoque partium, & elatio in altum ignis in corpore animalium præsentiam demonstrant; & similia quæ

Lib. 20. de anim. lib. c. 1.

ab Alberto proponuntur.

Aërem quoque participare certum est, (inquit idem Albertus) non quidem vt simplex est, quia corporearum figurarum non est capax, & proinde rarefactus à calore naturali in corpore non consisteret: & si fieri posset vt simplex aër constitueret corpus animatum, id maximè eueniret in spiritu & humido seminali : at illa constant quatuor elementis & humoribus;non componitur ergo ex substantia sola, licet plurimâ aëris. Spiritus quidem aëris apparentiam obtinet, sed cùm sit vehiculum facultatis, & instrumentum formationis corporis, & viuificationis : oportet spiritum eius esse compositionis, vt facultas quam ipse deuehit illi adhæreat, quod fieri non potest nisi per dispositionem humidi satis densi. Quod sit principium & subiectum vitæ, potest retinere & conseruare facultates quas vehit ad membra corporis. Dispositiones enim instrumentorum fiunt iuxta necessitatem à fine ductam : attamen spiritus vt sit aptum vitę vehiculum, eget subtilitate & mobilitate,ad quæ vel maximè est accommodatus. Ratione ergo mixtionis eget plurimâ aëreâ substantiâ : tum ad actiones sensus, spiritus eget luciditate, ne species obscurentur,tum temperie moderatâ,quæ aëri propria sunt.Hoc planè modo spiritus aërem participant. Animalia aërem per organa respirationis, imò per poros cutis transpiratione perenniter trahunt, & aëre conflantur, quia principia & causæ vitæ in calido & humido permanent, & proinde aëris participatione gaudent :est enim aër moderatè calidus,Omne autem mixtum quod operatur secundum qualitates simplicis elementi in eo existentis, eo simplici fruitur.

Omne corpus mixtum constat insuper terrâ & aquâ,terra soliditatis & firmitatis causa est,aqua coagulationis & vinculi subit rationem:partes namque terræ siccæ dissiparentur,nisi aqueâ humiditate in vno globo,aut corpore retinerētur. Verùm humidi variæ differentiæ reperiuntur iuxta Albert. Magnum in corporibus namque inanimatis sufficit aqueum humidum ad vinciendas partes. In corporibus verò animatis adest maior quantitas humoris spirituosi aërei,in quo sit calor cum illo spiritu spumoso, vitali principio.

Diuidit autem humidum in fluidum siue manans, & vaporosum seu spirans. Humor fluidus debet esse commixtus in corpore, aliter namque sequeretur motum elemēti cuius formam induit : est autem illud humidum miscibile duabus qualitatibus propriis, subtilitate quâ penetrat, & liquiditate quâ fluit ad terminum corporis cui cōmiscetur ; connectit autem partes corporis cum quo miscetur, quia terminatur limitibus illius ; manet enim inter illas, & quamlibet partem miscibilis trahit ad aliam, & ex vna in aliam fluit. In hoc humido duæ animaduertuntur partes,alię crassiores,aliæ tenuiores : illæ sunt actu,hæ verò potentiâ. Nam crassæ videntur, palpantur, habentque rationem formæ; solidum namque & crassum corpus procreant. Tenues autem non apparent actu, sed solâ potentiâ ; quia per ignem fusum corpus, vt metallorum, actu apparent liquida & fluida. Probat illud etiam ex generatione animalium, quæ ex Aristot. licet generentur ex *Lib. meteoror.* vapore

vapore & exhalatione, (oportet enim mixtionem fieri per minima naturalia formalia, quare necessarium est ex illis materiis fieri mixta) tamen vt veniant in formam mixti, comprehenduntur partes rariores à crassis terrestribus, ita vt non appareant: fitque propter illam humiditatem fluentem, vt claudantur pori; ita vt denegetur alterius humidi ingressus in ipsam. Nutrimenti ergo non sunt capaces: humidum enim fluidum partes terræ non facit à se inuicem distantes, sed potius coarctat & nectit, vt vinculum internum earum.

Humidum autem vaporosum ex eodem Alberto componitur ex partibus rarioribus calore leui ad aëris speciem mutari aptis; quod totum potest mutari in vaporem, ideo vna pars extra aliam egreditur, quare nullam habet figuram præfinitam, & subinde illam mutat: atque ita cõtinuò ascendẽdo mouetur quoad occurrerit frigiditati à qua condensatur aut in rorem, aut in aliam aquæ speciem: habet ergo subtiles tantum partes. Et ob id res illæ quæ condensatæ cadunt non sunt continuæ sed separatæ, vt nix, grando, pluuia: adde quod producunt effectus corporum tenuium, sunt namque inflatiuæ.

Aliud humidum in corpore viuentium comperitur, quod spumosum est, triplicique substantiâ constat, fluente, viscidâ, circundante & spirante, siue pulsante. Prima fluit ad membrum efformandum: secunda viscida cohibet & continet spiritum ne dissipetur: tertia substantia spirituosa pulsans, est spiritus formatricis facultatis instrumentum, & ipsius vehiculum. Hic humor est propria & proxima materia animatorum corporum, in quo tamen sunt diuersæ partes, diuersarum partium procreationi seruientes, prout differunt consistentiâ & qualitatibus.

Siccum terreum, subdit Albertus, vt commixtioni sit aptum, tenue sit est necesse: naturâ nãque suâ priuatur omni aptitudine ad mixtionem: frigidum enim & siccum potiùs impediunt illam, quàm promoueant. Crassâ verò terræ substantia pari modo: vnde terrea vt misceri possint, egent triturâ in mixtionibus arte factis. In mixtione naturali vt terreum siccum mixtioni aptum efficiatur, oportet ab humido & calido duo recipere; attenuationem & coctionem, quam digestionem vocant, quorum ope scabritiem deponit: eo modo affectum triplici dispositione. Nam primò si attenuatio à calore & humore procurata ad siccitatem magis vergat, tunc humidum quod resultat tangenti non adhæret, quia siccitas vincit. Adhęsio namque fit ab humiditate superante: atque ipsum humidum à sicco comprehensum erit intra poros sicci, conferens illi mobilitatem & commixtionem. Tale siccum terreum est materia mineralium & metallorum: quare non vbique mineralia & metalla cuiuscunque generis producuntur, sed vbi talis dispositio reperitur inter calidum, humidũ, & siccum. Hoc à posteriori facilè probari potest, quòd metallica à frigido coagulãtur.

Alia dispositio terrei sicci refertur ad humidum viscosum aëreum: quod in vapores facilè conuerti potest; quod est materia plantarum. Probatio huius rei inde peti potest, quòd plantæ maximè exsiccentur ob euaporationem humidi, & in-

flammabiles ſunt propter humidum aëreum; tum etiam quod aquis ſupernatent propter humidi aërei abundantiam.

Tertia diſpoſitio ſicci terreſtris, ad humidum viſcidum ſpumoſum ſpectat: in qua mixtione ſiccum ab humido comprehenditur, à calore optimè digeritur, & propter humidi copiam in omnes figuræ modos efformari poteſt; quod ſiccum materia eſt corporum animalium. Siccum terreum ita diſpoſitum per attenuationem & coctionem, propter comprehenſionem humidi eſt figurabile ſecundum ſimilares partes, aut diſſimilares: propter idem humidum ſcabritie priuatur, quâ ratione fit ſequax & ductile: attenuatur fitque læue & æquale in omnibus partibus per mixtionem perfectam cum humido, vnde planũ & æquale efficitur. Glutinoſum autem redditur, quia partes illius cum humido vincente iunguntur inſeparabiliter. Hoc nãque facit ad vitæ longitudinem, & illud humidum difficilè diſſoluitur à calido moderato, vnde vix exſiccari poſſunt, nec marceſcere. Diuerſa autem eſt mixtio terrei ſicci cum humido illo, propter partium diuerſam conſiſtentiam, quæ ex illis compingi debent, nimirum caro, os, neruus, & reliqua animalium membra. In his ergo terreum ſiccum ſequitur actum humidi, vt recipiat omnis generis figuras. Tandem caloris actione continuâ fit vt terreum ſuperet, quia non poteſt euaporari ſicut humidum: hæc autem inualeſcunt ex ſemine & ſanguine, ex quibus animalia efformantur, quæ viſcida ſunt: tum ex putredine, quâ primò humidiſſima fiunt, quòd humidum ſeparetur à ſicco terreſtri, deinde abeunt in cinerem terreum, à quo principium habuerunt cum humido, ratione continui totius, formationis, alimenti, incrementi. Siccum autem corporibus animatis comparat firmitatem figuræ membrorum, potiſſimum coniunctum cum frigore, quo comprimitur humidum, non tamen exprimitur. Suſtentaculum etiam largitur corpori: ſiccum namque ſuſtentat humidum. Ad motum etiam eorum conf. rt. Verùm diuerſæ ſunt mixtiones prout conuenit partibus efformandis: nam mixtio & omnes præparationes materiæ fiunt causâ finis, à natura aut à formatrice.

3. *Chymicorum magiſteria & eſſentias ex elementis eſſe conflatas.*

Humidi & ſicci, aliarumque qualitatum elementarium contemplationem non debere chymico ſordere, multa ſunt quæ perſuadere poſſunt, etſi chymicus in eſſentiis ex ſubiecto extrahendis, omnem intendat operam: attamen nullâ ſuâ arte omne elementare abiicere poteſt, ſemperque manet cognatio illa prima, quæ eſt inter principalem eſſentiam à Deo ex elementis conflatam, & per generationem poſteriorem in ſingularium ſucceſſu acquiſitam, ita vt indiſſolubiliter ſint vnita poſteriora prioribus, inque vnum faceſſerint, neceſſario cogitur aliquid elementare retinere, cuius naturam ſi ignorauerit, non poteſt eſſentiæ plenam, quæ quidem in hominem cadit, notitiam conſequi.

Deinde quàm multa ſunt magiſteria quorum elaboratio ex natura humidi & ſicci exiſtit? quid quòd & in

& in ipsis essentiis inueniantur qualitates primæ & secundæ? annon & illæ ipsæ patiuntur à calore & frigore, & formis variant? cùm ex calcibus facit liquores, & viçissim chymicus cùm de salibus olea, & spiritus, cùm item soluit, coagulátque tam magisteria, quàm essentias, certè per illas ipsas affectiones procedit, quas Philosophus explicauit. Neque enim est vt sibi persuadeat se extrahendo essentias planè quidditatem rei absq; elementari materia consequutum esse. Est enim ea inseparabilis à corpore, in quo nata est esse, & operari. Subtiliorem partem magis sinceram abstrahit; corpus cùm remaneat, nec id possit esse sine corporeis proprietatibus: quæ dementia agitat Paracelsistas vt ista omnia quę prisci de affectionibus corporeis verè & scienter tradiderunt, despiciant? Et sunt quædam in corporibus crassis relicta, commodiora ad vsum quàm extracta, vt experientia in nutritione & medicamentis contestatur. Eià ergò Chymice ne contemptui habe Aristotelica ista: sunt enim quorum nares adeo delicatulæ, quibus fortasse fumus aliquis ex Paracelsica & Seueriniana officina aliquid labis obduxit, vt olfacere nihil possint, nisi quod ollulas istas fornaculásque spirat, statim percepto de humido & sicco halitu offenduntur. Immeritò ergo Paracelsici Chymici nomine indigni materiales qualitates repudiant: licèt alij solertiores non tam qualitates reiiciant, quàm Galenicorum de iis dogmata. Alij comparate loquuntur, & tantò sublimiùs ornant essentias, quantò deprimunt materialia magis. Nonnulli has vices, quas Galenici materiis adscribunt, attribuunt essentiis ipsis. Itaque non re sed explicatione dissentiunt. Irrident Paracelsici qualitates istas, sibíque meta arcana & formalia somniant: sed refutantur facillimè rebus ipsis; cùm enim tactu indicari queant illa, quæ producunt, sine qualitatibus primis esse nequeunt. Deinde in vsu quis non experitur, olea & spiritus ardentes calefacere?

4. Meteor. & 2. de ortu.

Non est ergo quod Chymia condemnetur? an putas Chymicos temperamentum destruere extrahendo spirituales formalésque essentias quas vocant, ex corpulentia crassa, & materia proiectili, cuius nomine Chymici fæces illas intelligunt, quas Galenici quoque tollunt infundendo, coquendo, exprimendo, colando, clarificando, subsidendo, & similibus separationum modis. Si sublatis his tollitur temperamentum, non Chymici soli, sed etiam Hippocratici suis præparationibus illud euertunt. Quando verò materia est simpliciter altera pars substantiæ mixti, seu corpus quod subiicitur, patitur, informatur, & in quo fiunt mutationes, non sunt destituti materiâ: sed nobilem saltem partem, in qua primordiales humores, & vires totius substantiæ maximè consistunt, elaborando segregant, & viribus reddunt excellentiorem. Quocirca qui putat essentias extractas simpliciter non esse materiatas, is opinione falsâ decipitur. Id enim commonstrāt sapores & odores illarum: cúmque plures inflammentur & deflagrent, quod est corrumpi per violentiam, nec conuenit vlli simplici, quâ simplex ab excessu feruoris elementaris sic destrui naturaliter; necesse est fateri essentias istas & mistas esse, & materiâ qualitatibúsque primis præditas.

Quod verò Paracelſus non neget quintæ eſſentiæ cum elementis cõuenientiam, ex archidoxorum lib. patet: nec eſt etiam intelligendum quintam eſſentiam fors quintum eſſe ſupra elementa. Poſſet etiam exiſtimari quintam eſſentiam fore quandam temperatam eſſentiam, non frigidam, non calidam, non humidam, non ſiccam; quod non eſt: nam nulla res eſt quę ſit in temperatura per quam ſe poſſit ab elementis alienare, ſed habet naturam ſecundum elementa. Vt eſſentia quinta auri ſecundum ignem, quinta eſſentia argẽti ſecundum aquam, quinta eſſentia plumbi ſecundum terram; & quinta eſſentia Mercurij ſecundum aërem. Huc adiice quæ referuntur à Chymicis de magiſterio elementorum & principiorum; cùm ſcilicet mixta in ſua elementa & principia reſoluuntur artis operâ. Magiſterium eſt quando corpus miſtum ita præparatur arte chymicâ, vt eius omnes partes homogeneæ ſeruentur, in nobiliorem vel ſubſtantiæ vel qualitatis gradum traductæ: Exterioribus impuritatibus ſegregatis. In Magiſterio quippe tota ſubſtantiæ moles ferè remanet, ſed exaltata & depurata: quod magiſterium quomodo per diſtillationem eliciatur, docet Libauius in praxi Alchymiæ. Eſſentia verò ab iiſdem pars purior mixti dicitur, analogòs cœleſtis & ætherea, ad eam ſubtilitatem redacta, vt nihil heterogenei; à quo corrumpi poſſit continere videatur, & per detractionem ac diſtillationem elicitur: quæ eſſentia licèt quodammodo à magiſterio diſcrepet, in vtriſque tamen craſſis retinetur, vt iam dictum eſt.

Lib. 4. in princ.

Cap. 48. lib. 2. tract. 1.

4. *Corpus in eaſdem numero partes componentes reſolui non poſſe.*

Aſſerimus illa quæ in magiſterio elementorum ſeparantur, non eſſe elementa vniuocè, ſed tantum analogicòs, quia ipſæ in priori mixtione transmutata nouam mixti formam ſubſtantialem induerunt: & proinde Ariſtot. docet elementa poteſtate in corporibus mixtorum manere: quod ſufficit vt in partes elementis analogas poſſint mixta reſolui; non verò in vera elementa; quia à priuatione ad habitum non datur regreſſus.

Lib. 1. de generat. & Corr.

Obiicies vltimam rerum diſſolutionem manifeſtè oſtendere elementa actu & reuerà ineſſe in mixtis; neque vllâ corruptione interire, ſed in eadem redire, & ſic reuerti ad ſua principia partem quamlibet compoſitionis. Quod ſic ſtatuit Hippocr. ſingula quæ ad gignendum confluxerunt, talem vim in corpore retinere qualem contulerunt: & omnia per interitum eò recedere vnde ſunt accepta. Vnde ſequitur naturam priſtinam retinuiſſe. Reſpondemus hæc ita reſolui & ſeparari κατά τι, ſecundum quid. Præterea quæ per putrediñe exeunt non ſunt elementa primæ compoſitionis vniuoca, ſed analoga, id quod arte demonſtratur cùm excipiuntur vaſis: quam terram illi deſtructores ex miſto producunt, miſta adhuc eſt, egétque magnâ fide ad demonſtrandum, ex taliter exiſtente compoſitionem primùm factam eſſe. Chymici quoque qui olea, aquas, ſales, terras ex plurimis miſtorum generibus extrahunt, ſegregántque non poſſunt liquidò euincere,

Lib. de natura huma. text. 14.

euincere, ista singula ante mistionem sic extitisse, multò minus demonstrare illa, quæ pro simplicibus habent verè esse simplicia. Sal certè,& oleum, & terra extracta separatáque,& mista adhuc sunt, & vires misti habent, nec aliter de aqua statuendum est. Imo si iterum componas, non efficies mistum prius, ne omnibus quidem viribus humanis,quod argumento est, longè aliter composuisse naturam,quàm ipsi putant. Et per consequens istam resolutionem nō esse veram in partes componentes; sed in eiusdem misti membra diuersè affecta, quæ possunt analogiâ quadam elementis comparari; sed ideo non sunt illa prisca elementa, vt quidam iudicant.Quæ ergo Deus & natura miscuit,non tam facilè dissipauerit,reduxeritque homo in sua principia, quamquam diuersas partes ex eis elicuerit. Quod si in mistione fiat generatio, sequitur miscibilium formarum corruptio; quomodo ergo in ea quæ corrupta sunt resoluitur denuò mistum.

Respondent quidam mistionem ab Aristot. accipi pro præuia illa elementorum inter se concertantium alteratione & permistione, quem sequuntur plerique Philosophi.Nihil tamen obstat,quò minus etiam in mistione,formæ misti productionem per veram substantialem transmutationem & generationem concipiamus, quatenus per mistionem introducitur noua forma substantialis, miscibilium formis pereuntibus. Euenit vnà corruptio, cùm non maneant singula id, quod sunt; sed sub communi forma in aliud transeant,cuius sunt membra, quæ suos actus habent in potentia.Quo iure conciliatur mistio cum generatione. Et sic sentit Hippocr. Generari & interire idem, commisceri & discerni idem. Generari idem quod commisceri. Interire,imminui, idem quod discerni. Vnumquodque ad omnia, & omnia ad vnumquodq; idem sunt. *Lib. 1.de diæta in prin.*

Alij existimant ex misto elementa esse separabilia, ipsis regeneratis, non eadem numero,sed specie.Quę autem sit causa efficiens, dicit Vallesius, hanc elementorum nouam generationem ex resolutione, esse ex accidenti, quia sine agente peculiari fiunt, supplentibus vniuersalibus causis vicem peculiarium. *Lib.1. controuersia*

Alius est modus cùm id quod miscetur ante perfectam vnionem in aliud mutatur, veluti cùm in nutritione cibus in mistionis fœdus recipitur non sub forma pristina, sed sanguinis similísve succi: vel cùm Chymicus balsamos facit cōpositos per destillationem non veniente in mistionem resinâ, adipe & cœteris, sed horum liquoribus; vel ex parte, cùm componit vnguenta ex pinguedine lactis manente, sed herbâ in succum transmutatâ & corruptâ; in talibus post resolutionem, siquidem ea fieri potest, non apparet primò sumptum, sed id, in quod inter miscendum abiit: vel etiam aliud, quod ex eo porrò fieri poterat.

Ad illud argumentum quo dicitur in misto debere manere partes, alioquin non fieri misturam, ex eo quod non est;elenchum habet non sequentis & particularis. Ex eo sanè quod simpliciter non est, siue inter miscendum pereat, siue nunquam fuit, non potest constare mistum; at bene quod aliquo modo est,etiam si non ampliùs sit,id quod fuit;vt cùm in mistione elemento-

rum, aër non manet sub aëris forma, sed liquoris, aquæ, spiritus concreti. Manere itaque partes mistorum concedimus, siue sic, siue aliter affectas, vel etiam transmutatas.


Notandum etiam est in dissolutionē rerum factâ per pharmaciam, vel chymiam, non fieri integram rei dissoluendæ corruptionem, à priuatione námque habitus denuò non comparatur: sed tantum alterationem seu transmutationem formæ extrinsecæ, non verò semper intrinsecæ; inde nō amittunt crasim quæ hanc transmutationē subeunt.

Obseruabile etiam est naturam non componere eodem modo quo ipsi artifices dissoluunt. Veluti succus vuæ non factus est ex aquoso, vinoso, oleosóque liquore, & recrementis elementaribus cum sale: sed tales habitudines postea acquisiuit, dum mistum ad maturitatem perduceretur, & nutriretur variis alterationibus obnoxium. In musto per fermentationem naturalem separatur vinum, tartarum, & fæx, spiritus quoque in liquore vini immixtus, qui per congelationes hyemales aliquando in doliis separatus apparuit. Verùm si arte elabores separésque, longè aliter affectæ, vel aliæ emergent partes; vt in destillatione musti, phlegma, spiritus, tartareæ fæces, sales, olea, &c. Ineptè ergo Chymici putant falsò naturam cōponere vt ipsi dissoluunt, efferuntúrq; specie operationum quas ipsi efficiunt suâ arte. Existimant enim eâ ratione se esse semideos, cùm ea proferunt quæ natura non produxit, quæ si velit producet & pulchriora multò in infinitum: sed non est necesse; neque considerant ista non esse sua opera, sed ignis; vt nec sanitas & opus medici, sed Dei & naturæ. Multa autem per artem non solum formam extrinsecam, sed intrinsecam amittunt: vt cum metallum fit vitrum, herba cinis, cinis sal, & sal liquor: Mercurius res mobilis admodum, quoddam fixum, vt cinabrium & puluis. Hæc dicta sint de mistilibus substantiis materiatis, cùm non loquamur de compositione formarum, qualitatúmve immaterialium, quas imaginantur Paracelsici, qui nihil materiatum aut corporeum, quodque alterari & pati à contrarietatibus elementaribus possit, admittunt. Sed meras formalitates proprietatésque ad rauim vsque inculcant, quos Anticiras ire rectè iusserimus.

De principiis rerum naturalium aduersus Paracelsum & Chymicos: vbi veriora non inuenisse, sed nomina variasse constabit.

CAPVT II.

1. *Quotuplex sit principium.*



CVM principij nomen propriè competat ei, à quo res aliqua suum esse primò sortitur, neque ab aliquo vllo principio pendet. Aut principium illud sit ex sententia Platonis, à quo & ex quo res omnes fiunt, ipsum verò per se subsistit, & ex nullo alio trahit essentiæ suæ originem, Deum ipsum primum agens, solum & verum rerū omnium *In Phædone.*

principium

principium ac causam efficientem æquum est agnoscere. Deum ergo Plato mundi opificem: Aristot. primum motorem, ac primam naturam appellat. Est & aliud secundum initium, ab eo primo profectum, quod naturam secundam Aristot. appellat, quam rebus ab illo primo principio compositis adiungit, tanquam internum quoddam initium motionis earumdem: quam insitam vim, à mundi anima participatione quadam ortam existimat Plato.

Animaduersione dignum est Deũ esse quidem primum principium rerum omnium, non vt censuit Plato, qui ei materiam adiunxit, quasi sine illa ipsa nihil posset efficere. Nec vt Aristotel. qui primum motorem, à quo singulæ formæ in materiam inducerentur, finxit, nihil verò aliud ageret, aut agere posset: sed liberum infinitæ virtutis, & per se sine aliquo subiecto cuncta visuâ efficientem. Quamobrem si rerum partes, ex quibus componi ipsæ videntur spectes, initia quodammodo illarum sunt materia & forma; si verò initia incorporea & summa corporum, vt fieri Plato iubet quærenda sunt, vnus est omnium auctor Deus, qui per ideam non modo Platone, sed D. Augustino etiam, atque aliis Theologis id attestantibus, ea fecit, & adhuc facit. Is enim solo verbo res omnes efficit, vt Dauid cecinit; Verbo Domini firmati sunt cœli, & spiritu oris eius: ita vt nihil sine ipso esse, viuere, aut conseruari possit; id quod in Euangelio Christus ait: Pater meus vsque modo operatur, & ego operor. Vnde frustra videtur à Platone eiusque sectatoribus, introducta mundi anima, quam vniuerso mundo circumfusam esse vult, ab eaque cuncta & moueri, & foueri putat Cicero & ante eum Aristot. vsum rationis eidem adscribens, quòd illa dum omnia prouidenter efficiat, sine ratione illud efficere non posse videatur: hanc Aristot. in cœlis duntaxat videtur collocasse. Ab aliis hæc natura accipitur, pro influentia quadam & virtute, quâ astra in hæc inferiora agunt: seu pro virtute actiua in causa vniuersali, id est in corpore cœlesti, vt voluit S. Thomas.

Lib. 2. & 3. Physic.

Ioannis 5.

Hanc tamen vim quorsùm ex mundi anima deriuabimus? cùm cœlum atque adeo mundum vniuersum animâ carere, Christiana nos docet religio. Si enim vel minima quæque Dei prouidentiâ reguntur, nihilque sine illo, aut moueri, aut conseruari potest, profectò in mundo animum ponere, qui hæc agat est superuacaneum: præsertim cùm natura nihil redundans admittat. Quocirca nulla est in mundo anima præter vim eam, quâ Deus atque eius administri Angeli vtuntur, tum in motu, tum in aliis omnibus, quæ anima ipsa si extaret, efficere potuisset. Atque sanè huius sententiæ est D. Basilius, & cœteri omnes antiqui Patres. Nulla ergo est natura vniuersalis præter illam ordinariam Dei potẽtiam, à qua dicitur natura hoc vel illud pati, item hoc vel illud agere, vt docet S. Aug. Lactantius lib. de ira dei cap. 10.

comm in lib. 2. de cœlo.

2. de ciuit. Dei.

Quantum autem ad naturam secundam ab illo primo principio prodeuntem, quam Plato mundi animam appellabat; nos aliter explicamus omnium corporum internam quandam causam insitam, quæ non modo earumdem pars sit, verùm etiam & virtus, & spiritus quidam, vim illis conseruandi essentiam suã exhibens. Huius spiritus meminit

in Timæ. Plato : quum igitur Deus sempiternus hoc vniuersum condidisset, rationum quædam semina ipse indidit, & vitæ exordium diuinitatis induxit, vt cum mundo vim quoque procreatricem gigneret. Quod nos recipimus in quantum corpora naturalia habent vim illam impressam se conseruandi & propagandi, iuxta illam Dei benedictionem à primordio creationis concessam, & perenniter suo influxu conseruatam; cuius instrumentum sit ille spiritus, cum calido & humido naturali subsistens. Confirmatur hoc *In Asclep.* ab Hermete, spiritu, (inquit) agitur & gubernatur omnis in orbe spiritus. Spiritus implet omnia: mundus nutrit corpora, spiritus animat. Spiritu ministrantur omnia & vegetantur in mundo. Ex quibus constat spiritum vbique in omnes res infusum ac insitum, à quo omnes naturales actiones deducantur & *initio lib. de flatib.* dimanent. Quinimo Hippocr. ait, spiritus cùm in omnia quæ corpori accidunt plurimum habeant facultatis, illius vim inspicere operæ pretium videtur : qui etsi oculis minimè cernitur, ratione tamen conspicuus est. Quid enim sine hoc fit tandem ? aut à quonam hic abest, aut cui non presens est ? quare ad aliam causam non est tribuenda naturæ operatio. Hinc aduersarij falsò eliciunt, fundamentum anagogiæ & similitudinis magni mundi cum paruo, & rerum concatenationis, quam ex anima mundi Paracelsici, & Pseudochymiatri in corpore nostro reperiunt, iuxta quam cœlum terræ miscent, & signaturas mirabiles obseruant. Isti effluxum spirituũ cœlestium cum calore vitali confundunt, sed ineptè vt suo loco demonstrabimus.

Plato initia rerum tria ponit, materiam, ideam, ac Deum : ipsum autem efficientem causam appellat, materiam subiectum, Ideam exẽplar corporearũ formarum. Arist. contra cùm necessariò initia omniũ rerum contraria debere esse videret, priuationem tanquam alterum principiũ alterâ ex parte repugnans formæ, adducit. Nec id certè ille abs re fecisse videtur, si rerum quæ fiunt ortum spectemus. Quemadmodum enim lignum in cineres conuerti non potest, nisi ignis concretionem illam solidam, consumpto humore dissipet, lignique forma planè intereat, vt cinericia in eius locum succedat. Sic oriri nihil posse videtur, nisi principiorum aliqua repugnantia sit, ex quorum mutua actione in subiectum, res informetur. formam autem cui rectiùs contrariam facere, quàm ipsi priuationi poterimus: quæ licet accidentarium principiũ existat; tamen quia natura in generatione, & substantiali mutatione quæ fit à non esse ad esse, non potest sine illa priuatione tanquam termino à quo procedere, ideoque hanc generationis principium faciunt : duo verò compositionis materiam & formam.

Sect. 1. cap. 4. In Timæo.

Lib. de Physico auditu.

2. *Opinio Paracelsistarum circa principia.*

Paracelsistæ verò alia principia in mineralibus vulgò proponunt nominibus mercurij, sulphuris, & salis : primùm ab Isaaco Hollando (vt creditur) assumptis; deinde & à Paracelso, qui tamen significationes latiùs extendit, vt simul etiam vegetabilia & animalia comprehendat, & quod inde omnia mixta ex his principiis ortum habeant, docuit;

cuit; quæ in elementaria corpora, tanquam in aliquam arcam concluſit. Omnia ergo ex tribus tanquam primis rerum principiis componi aſſerit, mercurio, ſulphure, & ſale. Neque mixta ſolùm, ſed etiam elementa & cœlos, in labyrintho Med. cap. 5. qualia autem ſint prima hæc tria ſimplicia corpora; quæ paſſim diuerſis nominibus exprimit. lib. verò citato de tribus eſſentiis, ſic ait. De tribus his ſcitote quæ cuiuſque ſit forma. Vnum liquor eſt, & is Mercurij: vnum eſt deitas, ea eſt ſulphuris: vnum eſt alkali, hoc à ſale eſt. Cuius ſententiæ ea eſt potiſſima ratio, quod per pyrothecniā ſeu ignium viribus, ſoleant tria illa ex ſingulis rebus extrahi.

lib. de trib. primis eſſentijs cap. 1. lib. meteor. c. 2.

Verum huius opinionis tanta eſt inconſtantia, vt nec ſibi conſentiat Paracelſus, nec cum ratione conſonare videatur. Sibi quidem non cōſtat, cùm quatuor dari admittat elementa, quæ rebus omnibus creandis ſuffecerint, & ex quibus cuilibet oriatur prædeſtinata ſua res: nec non lib. 3. archidoxor. Modum quatuor elementa ex rebus ſingulis extrahendi docens: aquam, aërem & ignem diſtillatione aſcendere, terram verò in fundo manere fatetur; & præter hæc nullam aliam permiſtam corporibus ſubſtātiam agnoſcit. Sed neque rationi conuenit hęc ſententia; cùm enim quæramus prima materialia mixtorum principia, quæ oportet ſimpliciſſima eſſe, & planè homogenea: at illa Paracelſi principia cùm rurſùs per ſeparationem purioris portionis purgentur, & rectificentur, permiſtionis eſſe capacia concluditur: & proinde non eſſe vera principia. Præterea cum ea ſint mixtorum materialia principia, in quæ mixta vltimò reſoluuntur, oportet in mercurium, ſulphur, & ſalem omnia diſſolui: vt eadem communia eſſe principia concederemus. Plurima autem eſſe quæ neque per putredinem, quæ communis eſt miſtorum interitus, neque vllius artis induſtriâ in illa tria diſſoluantur, ſic oſtenditur à D. Merindolo: quis enim aut ſilices in aquā ſolui, aut ex eiſdem oleum citra mixtionem eliquatum vnquam aduertit? quis ex adamante potuit ſalem parere? cùm illius ſubſtantia, Plinio ignium victrix eſſe dicatur. Quis ex ſolo vitro chriſtallino liquorem extraxit? quis ex vermilio vulgari pyropi ſpecie, qui nullis aut obſcuratur, aut molleſcit ignibus, ſulphur diſtillando eliciet?

Lib. 2. Philoſ. ad Athenienſ. tex. 3. & 13.

Lib. 1. prioris parſ. artis med. tract. 1. c. 1.

Quercetanus Hermeticæ Medicinæ propugnator, Philoſophorum & Ariſtotelicorum principia concedit quidem, eſſe omnium prima & ſimpliciſſima, ex quibus res omnes naturales primùm conſtant. Quæ principia ſunt notionum, inquit, intellectu potiùs quàm ſenſu perceptibilia. Vt tamen nec ab illis ſua diruuntur, quæ conſtituit earum rerum principia, ex quibus proximè res omnes mixtæ componuntur & conſtant. Eorum verò principiorum originem ex [illegible] & elementis deducit, in quo[illegible] ſinu rerum aſtralia ſemina & for[illegible] principia, vt in ſua propria receptacula diffuſa & repoſita ſunt. Atque hæc ſimplicia elementa, aut etiam principia tantâ ſympathiâ ac amicitiâ, ſpiritualia ſemina vult amplecti, vt ſemel à parentibus in indiuiduum traducta, mutuâ amoris reciprocatione ad ſua principia denuò retrogrediantur. Atque hæc perpetua circulatio eſt, quâ cœlum terræ maritatur; & inferiora elementa cum ſuperioribus

coëunt. Perpetuis enim vaporibus ex centro terræ in aquas expulsis, & ex aquis in aërem euectis astrorum cœlestium attractione: nec non vi & appetitu elementorùm inferiorum, edendæ prolis ac concipiendæ ex cœlo, seminibus hinc inde concurrentibus tandem elementa redeunt ad suos parentes; grauida & cœlestibus formis impregnata: ibíque semina sua fouent, dum tandē opportunè parturiāt. Quæ quidem imprægnatio aliunde non procedit, iuxta Hermeticos, quàm ex astralib⁹ illis seminib⁹, tribusque formalib⁹ principiis, mercurio, sulphure, & sale, omni scientiâ proprietatibus, virtutibus & tincturis: instructis adeo vt ex spirituali suo corpore, materiale sibi accommodent, ac suis proprietatibus animent ac exornent. Siquidem Mercurij est, partibus vitam elargiri: sulphuris incrementum corporis dare: & salis duo illa compingere, & in vnum corpus firmum coagulare. Quæ tria principia formalia iuncta cum elementis, materiale corpus mixtum ac compositum constituunt: & quia illa semina vtcunque sunt materialia, naturam tamen formæ potius æmulantur quàm materiæ: elementa verò contra huic magis adhærent, quàm formæ. Idcirco ea vocantur, ab illis, simplicia principia formalia propriè & κατ' ἐξοχὴν, quod sint ornata præcipuis seminum astralium facultatibus. Elementa verò dicuntur principia materialia simplicia. Illis actiuæ qualitates: his passiuæ tribuuntur: atque sic ex illis vtrisque, secundariò quasi & quàm proximè, vt illi censent, omnia mixta corpora componuntur. Hæc ita esse, nec plura tribus illis principiis in rerum natura inueniri: interna corporum naturalium anatomiâ, diuisione, ac resolutione demonstrant, ex quibus facultates & proprietates rerum promanant, non verò ex sola crasi, & elementorum mixtione.

Censor scholæ Parisiensis Quercetanum reprehendit, quod in elementis quin etiam cœlo tria illa principia constituerit: neque enim verum est, nisi quis virtute & quadam panspermiâ ipsis velit inesse. Tantum abest vt spirituales quasdam essentias ex cœlo deriuari existiment Peripatetici, aut tria illa principia Chymicæ artis, illis inesse putent: metuunt ne admissâ repugnantiâ patibile & mortale cœlum cogantur confiteri. Absurdum est quod asserit Quercetanus, cœlum simplicissimam ac purissimam essentiam, ex simplicioribus & subtilioribus tum principiis, tum elementis extractam. Nam si est ex aliis conflatum, poteстne esse purissimus & simplicissimus ignis? aut quomodo ex elementis consurgit, cùm vt docetur in lib. cœli, cœlestia sint impatibilia, multò minus vniri possint elementis, quia mortale & immortale nunquam coire possunt in eandem naturam: præterea cœlum est ἀσύμβλητον elementis incommiscibile, vel incomparabile (vt alij vertunt) σύμβλητα enim Aristot. appellat, quæ communi materiæ participant, vt qualitates contrariæ permutentur in communi subiecto. præterea quod ex alio est naturâ posterius est, quia omne constituens naturâ prius est constituto. Elementa potiùs debent cœlo suam formam & perfectionem, quia illi comparata habent rationem materiæ, illud formæ & efficientis. Item si cœlo forent ista tria, inde defluerent ad efficienda elementaria: at

in examine ch. 14.

subſtan

substantiam vllam è cœlo defluere nullus vnquam Philosophorum affirmauit, quia omne finitum detractione finiti tãdem absumitur. Cœlum est Clypeus Mineruæ, cui nec addi quicquam nec detrahi potest. Ineptè ergo Quercet. ex Seuerino, Dornæo, & Paracelso astruit hæc tria principia, seu formales essentias à cœlo defluere & deriuari in elementa, & ab his in mista deportari: Nam qui Paracelsistæ id pertinaciter decernere pergunt, aberrant. Neque enim quæ ex mixtis eliciuntur, eo modo comparata sunt. Nam illud ipsum quod Chymici ex quolibet mixto per suam artem separant & educunt, sunt substantiales partes interioris craseos, quæ principiorum dignantur appellatione: non sunt ergo ista principia resolutionis Chymicę absolutè formales essentiæ, sed elaboratissimæ quædam misti partes, quæ comparatione cum crassis dicuntur formæ, & spiritus. Quod enim ex mistis separat Alchymia interioribus viribus dotatum, non calido, frigido, humido, sicco, crasso, subtili definiri solet; quamuis tam arcta sit compositio, vt ista remoueri in totum nequeant. Id ergo substantiam rei dixerunt, non quidem quâ viuit res, (id enim animæ munus est) sed quà essentiam medicam & nutritiuam, proximamque vitæ sedem in spiritu congenito, calido natiuo, & humido primigenio, inter se indissolubili vinculo iunctis obtinet. Eamque substantiam nominant modo liquorem, oleositatem, & salem essentialem; seu alias Mercurium, sulphur, & salem: elementarem verò materiam, & ipsius patibiles qualitates tam sæpè à Philosophis & Medicis inculcatas, cortices & domicilia impropriè dixerunt: has verò extractiones essentias medicas, iamdiu in naturali scientia & Medicina desideratas.

3. *Disquisitio de seminio rerum.*

Chymici perperam Anaxagoræ disciplinam sequuti asseruerũt formas omnes, seu principia illa singulis in rebus occulta esse, vique gignentis causæ ex fortuita ac turbata congerie, seu chao & sphæro, in ordinem traduci, & quasi sopita & delitescentia è sinu materiæ excitari, atque in certam speciem componi: quam opinionem refutauit Aristot. quæ duobus nititur fundamentis; quorum primum erat, id quod omnium Philosophorum consensu ratum habebatur, nempe ex nihilo nihil fieri. Vnde concludebat nihil denuò gigni; sed generationes esse commutationes accidentarias, siue alterationes. Alterum fundamentum erat, contraria (vt vel sensibus ipsis notum est) ex contrariis fieri, vti calida ex frigidis, humida è siccis. Ex quo arguebatur omnia omnibus inesse. Ex infinita & indigesta rerum omnium congerie, quam vocant homęomeriam, in qua res antea confusæ iacuissent, progigni omnia ostendebat Anaxagoras hunc in modum. Id quod fit, aut ex ente fit, aut è non ente, id est è nihilo: ex nihilo autem nihil fit, vt iam suppositum est: quidquid ergo fit ex ente fit: fit autem ex contrario, vt ex secunda hypothesi liquet: aut ergo ex contrario manente in ipsa re, quæ gignitur, aut ex aliquo quod inerat in contrario, ex quo gignitur. Non ex contrario manen-

Lib. 1. Phys. c. 4. text. 33.

te, vt experientia docet: ergo ex eo quod inerat in contrario. Hanc rationem hoc in loco non diſſoluit Ariſtot. quia ex dicendis confutari poterat: breuiter autem diſſoluetur ab eo, qui dixerit. Quidquid fit, ex ente actu, vel ente potentia fieri: hoc eſt vel ex ente formâ aliquâ prædito, vt ignem à ligno; vel ex materia prima, vt eundem ignem ex materia, quæ in ligno inerat. Sic demum quidquid oritur fieri ex ente actu, tanquam à contrario, quod in genito non manet: ex ente verò potentia, vt è ſubiecto quod ſtabile & conſtans eſt. Itaque generari vnumquodque, vt Anaxagoras aiebat, ex eo quod in contrario præfuit: id tamen non eſſe infinita illa corpuſcula, vel principia Phyſica præexiſtentia, à Chymicis ſuo more in illa tria hypoſtatica diſtributa, ſed materiam primam. Ex quo perſpicuum relinquitur, non omnibus cuncta ineſſe; oportere tamen formas naturales contineri virtute in materia è cuius potentia euocantur.

Scio à quibuſdam ſtatui, formas non educi ſed creari à Deo; cùm nihil ſit in materia quod poſſit attingere formarum productionem: nam ex accidentibus non fit ſubſtantia. Nos autem dicimus illas materiæ diſpoſitiones ex ſua quidem virtute non agere, ſed ex vi ſubſtantiæ cuius ſunt organa, vim agendi inſtrumentalem habentia, directa tamen ab vniuerſali cauſa, Deo ſcilicet qui à prima mundi creatione ſufficientes diſpoſitiones, tanquam ſeminaria ſuâ benedictione dederit, adiuuante etiam cœlorum influxu, ad eductionem formarum naturalium è potentia materiæ, demptâ formâ humanâ, quæ à materia non pendet, ſed à ſummo Deo creatur.

Ad illud verò quod obiicitur, occulta quædam ſemina in elemẽtis mundi latere, per quæ illa quæ in occulto erant, in apertum progrediuntur, & à Chymicis ſegregantur. Dicendum rationes ſeminarias in quolibet corpore naturali tam ſimplici quam mixto reperiri à principio creationis, & deinceps per generationem propagari; nihilque eſſe aliud quàm naturalium cauſarum, ſeu agentium, ſeu patientium potentias & facultates, in quibus, veluti quibuſdam ſeminibus, naturalia effecta continentur. Dicuntur autem in iis latere formæ, non quaſi in ipſis actu ſint, ſed poteſtate. Non eſt exiſtimandum formas in materia alias ſibi ſimiles generare; id enim proprium corporum eſt, ſed organa ſua harmonicè mouendo, per ipſa materiam ſeminalem ad generationem diſponere, eique vitæ ſcintillam includere, Caracterémque ſuum ſpecificum ſpiritui illi viuifico in ſemine occultato imprimere, qui in opere generationis calore pullifico & ſtato tẽpore in animam ſe explicat, ſiue vegetabilem, ſiue animalem; ita vt qui ſpiritus ſecretus fuerat in ſemine, formam in mixto occultam patefaciat, & de potentia materiæ in actum deducat.

Dices quis educet, ſi non ſint in ſemine formæ. Reſpond. formam ſpecificam idæalis archetypi Caractere antiquæ creationis in primis indiuiduis ſignatam, diuinum illud & indelebile ſignaculum ad poſteros ope generationis traducere creatoris iuſſu. In ſemine verò adeſt forma quæ non eſt anima, ſed ſua organa & ſpiritus plaſticos dirigit,

git, ad nouæ animæ introductionem.

Obiicies seminaria spiritualia esse in aëre: hinc Aristot. inquit, generari animalia & plantas in terra humoréque, in quo est spiritus, calor animalis in vniuerso inest, ita vt quodammodo plena sint animæ omnia. Ergo ex Aristot. animalia & plantæ sortiuntur animalem vim ex ambiente, & pro modo comprehensionis nobilioris vel ignobilioris in substantia diuersum rei genus constituitur. Ergo rerum seminaria sunt cœlestia, & spiritualia in omni mixtione concurrentia. Respond. illa non de nouo influere in rerum generatione: sed quæ antea latebant in mixti materia iuxta Dei mandatum excitantur, & multiplicantur per actus formales substantiæ insitos, vt iuxta eorum efficaciam noua exurgat forma, cooperante ambientis calore, & cœlesti influxu, à quo talis forma ex materia educitur, cui inerat non formaliter, sed eminenter & virtualiter.

Lib. 3. de gener. anim. c. 11.

Desinant ergo ista formalia & actiua principia intra elementa, tanquam intra cortices actu concludere, si sint tantum potentia: sed illa forsan esse partem animæ mundi Paracelsus somniauerat; quod non esse veritati consonum demonstrauimus. Verùm si ista rerum semina sint principia Chymicorum; quæ nos potius velut partes misti variè affectas sumimus, in quibus consistit crasis interior misti, nempe humidum primigenium, calor & spiritus: cùm ista maximam cum elementaribus societatem habeant; quorsum ad cœlestia illa germina, & seminaria, & principia formalia transferemus. An quia quædam vis ex cœlo dilabitur, quæ illa fouet & conseruat? Sed proinde nulla ex cœlo substantia distrahitur; nec illi spiritus sunt ętherei, sed partes subtiliores totius corporis viuentis, præditæ qualitatibus elemētaribus, quæ maximè distant à cœlestibus, licet ipsis sint analogæ, vt posthac demonstrabimus.

Ex his constat quòd semina rerum naturalium non sunt in elementis: cùm Deus ea posuerit in indiuíduis specierum; cùm res crearet, dixit: Germinet terra herbam virentem & ferentem semen. Non dixit semen plantarum sit in elementis: Eadem ratio est de animalibus. Nam ista ex elementis absque semine parentum non generantur.

4. *Principia Paracelsistarum, Hippocratis, Galeni, aut Aristotelis dogmata non euertere.*

Paracelsistæ technologica ista principia Physicis opponunt, tanquam per ea, dogmata Hippocratica, Galenica, & Aristotelica euerterentur. Sed ista Medicus & Philosophus non curabit: notissimum enim est artes suos habere terminos & modos loquendi, & sic nemini quicquam derogatum vel præreptum cupit. Absurdum foret si is qui metalla tractat pharmacopœum cogere vellet, vt suæ disciplinæ vocabula & phrases mutaret, & omnia metallicorum more enunciaret, res intelligantur & artibus sua relinquantur. Quod si Chymici omninò statutum haberent, contra Aristotelicos Physicos, obtinere sua, fateri tamen cogerentur cum ipsis, quod isti essentias appellant, his nihil aliud esse quàm

ſubſtantiam ſubtiliſſimam, humidum radicale, ſpiritus, & ſalem in materia terreſtri vel craſſa recondita, quamquam propter diſſimilem ortum & analogiam cum elementis diſtributa ſint; ita vt vnum terræ aſſimiletur, alterum aëri, tertium igni, quartum aquæ, provt & Chymiſtæ ipſi hæc interdum nomine elementorum appellant.

Quod ſi res corporeæ penitùs intimè inſpiciantur, deprehendetur, quod omnia quæ ſub homogenia miſtorum comprehenduntur, vniuſ modi habeant ortum ex elementari materia, ſed in partibus diſcrimen eſt, prout variè alterantur & miſcentur, & variam perfectionem ſuſcipiunt: quod in vegetabilibus maximè eſt perſpicuum. Nucleus enim pomi perſici immaturi, cùm primùm ex ſeminario principio progerminaret; neque oleum neque aquam Mercurialem, neque etiam ſalem eſſentialem continebat, ex quo etiam ſeparari nullum poterat, quod enim aqueum & ſalſum tandem extrahitur crudum adhuc eſt, & elementare; vbi ad perfectionem maturitatis adoleuerit, omnes iſtæ tres eſſentiæ comparebunt, ſed horum vnde prouentus? ex internis viribus pro natura & proprietate arboris ac alimenti, quod ex terra inſtar ſuccorum (vt in vite, nuce & betula, &c. obuium) attractum eſt, quorum tamen nullum aliquid circa principia huius eſſentiæ; in ſe contineret. Ita vt concludendum ſit, oleum, aquam Mercurialem vegetabilem, & ſalem eſſentialem, ex eadem elementorum materia, mediante naturâ à Deo congeſta, vnita & ad naturam ſpecialem determinata eſſe, atque ideo nil aliud, niſi materiæ communis diuerſas partes eſſe, quarum altera ſit magis ignea, altera plus aquea, alia ſubtilior, alia craſſior, &c. prout enim partis cuiuſque natura fuerit & conſtitutio, pro eo etiam paritur mutationem pro virtute operante, & vnà commodiùs in eſſentiam vegetabilem, accretionis & augmenti commutatur, altera verò manet ineptior. Atque in his Philoſophi cum Chymicis vnanimiter conſentiunt, ſolum diſcrimen eſt in artis vocabulis & terminis, quorum gratiâ nemo contemnendus facilè fuerit, ſed ſuum cuique attribuendum.

Quærunt Chymici eſſentiam intra elementa comprehenſam, quæ licet homogenea ſit & ſimilaris tota: vltimo tamen artis conatu, aut etiam pro rei vnde extrahitur natura ſtatim triplici apparet vultu, pulueris nimirum & ſiccæ ſubſtantiæ in humore ſolubilis, liquoris, & olei, quibus ex magno magiſterio, mineralique diſciplinâ nomina impoſuerunt Salis, Mercurij, Sulphuris: quæ tria quia in reſolutione eſſentiali occurrunt vltima, pro primis eſſentiarum miſtarum habentur principiis, quibus ſupponuntur elementa, non vt pars eſſentiæ, ſed vt ſubiectum, per quod aſpectabili mundo inſint meliùs. Cenſent ergo elementa materiam & ſubiectum formæ: hæc tria principia formam quæ ſibi agendi poteſtatem vendicat. Illa ipſis dicuntur cortices & inuolucra: hæc verò interior eſſentia vocatur balſamum, humidum calidúmque primigenium, in quo omnis vita, vis & efficacia rei. Nos verò fatemur, ſi pro elementaribus ſumant illud corpus mortuum, quod per operationes Chymicas in fornaculis ſubſidet:

vel

vel etiam phlegma quod per destillationem è multis corporibus extrahitur, verè perexiguam habere virtutem, nisi quod aliquando quibusdam vsibus inseruiunt; vt videre est inter Chymicas præparationes, quũ sal fixum cum volatili coniungendum est per iteratam distillationem, liquor fæcibus reaffunditur, quod cohobationem vocant; aliàs fæces medicamẽtorum vim habent à succo dissimilem, non tamen inutilem, vt in rhabarbaro & rosis apparet. Phlegma verò distillatũ quod aliud principium passiuum ponunt Chymici, non omni facultate distituitur, vt videre est in aceti distillati phlegmate, quo vtuntur ad extrahendum sal saturni. Et vt supra demonstratum est; quod illi comparatè formas & essentias vocant, nos partes subtiliores mistorum, igneas, aëreas, aut aqueas vocamus, prout temperamenti interioris sunt subiecta, vires nobiliores obtinentia.

Et sic planè sese res habet cum Paracelso, suisque discipulis & cum Medicis: quod enim hi ex præscripto artis medicæ & ex physica pronunciant, illud Paracelsus parabolicè ad ea detorquet, quorum nomina à mineralibus, cœlestibus & aliis rebus emendicare solet, persuasum habens id sibi licere, eo quod minor mundus, maiorem imitari cogatur, verùm non perpendit is, quod omnia rerum nomina mundi externi, extra hominem ab ipsis hominibus inuenta sunt, quæ meritò secundum illa quæ in homine sunt, appellationes sortiri debuissent, nequaquam verò hominis membra ab externis: taceo quod maxima pars appellationum istarum antiquitùs incognita fuerit, sed nuperrimè demum inuenta & ex variis linguis corrasa, vel ab artificibus excogitata. Sed forsan has voces inauditas excogitauit Paracelsus, vt inauditâ suâ sapientiâ præ aliis sapere, & angelico acumine se præditum esse videri voluerit. Dicant ergo illi salem, sulphur, & Mercurium esse principia solutionis Chymicæ; nos verò partes misti cum spiritibus iunctas, quæ totam corporis substantiam & proprietatem comprehendunt, in calido humidoque radicali, & reliquo mixti concremento subsistunt; & proinde nomine tantum differunt nobiscum Chymici non re. Paracelsistæ verò multa absurda confundunt, vt rem nouam & à nostris præceptionibus alienam inuenisse videantur: & in hoc omnium Philosophorum & Medicorum censuram effugere non possunt. Hæc tria principia non fuisse Hippocrati ignota, licet aliis terminis proposita, infra demonstrabimus.

Argumentum illud Paracelsicorum superest examinandum, quo probant illa tria principia esse compositionis prima, in quæ resoluuntur vltimò omnia: atqui in principia tria resoluuntur omnia mista. Principia ergo tria fuerunt compositionis prima. Paracelsicus sic argumentans fallit assumpto; quare ad maiorem, in quæ resoluuntur vltimò omnia, ea compositionis fuerunt prima (vel si non vltimò, sed aliquo tantum, hæc quoque fuerunt partes compositionis, licet non omnium primæ) ad minorem; in principia tria resoluuntur omnia mista (si non vltimò at quadantenùs) principia ergo tria fuerunt compositionis prima (vel simpliciter, vel quadantenùs: vt Aristotelica illa vltima & prima simpliciter faciunt, *Chap. 9. de humorib. 9. §.*

Chymica quodammodo.) fallitur ergo, neque enim verum est, quod tria ista principia Chymicorum sint resolutione vltima, neque hoc dicunt veri artifices, nisi intelligant, non resolutionem in vniuersum vltimam, sed respectu suæ artis, quia cum ad hanc est peruentum, cessant resoluere vlteriùs, neque etiam facilè se præbet natura hic resoluendam, nisi excedere artis potestatem velis, & destruere essentiam, quale quid fit, cùm oleum benedictum, vel succini, vel gagatæ, vel therebintinæ comburitur, & ex parte abit in fuliginem terream, ex parte in spiritum igneum, aëreumque & sic in elementa.

Respondent alij quod ad naturam principij attinet, non oportere corpora dissolui in prima illa principia, ex quibus composita sunt: hæc enim propositio intelligi debet de partibus naturalibus & corporeis in seipsis actu & seorsim subsistere valentibus: ac proinde hæc tria Chymica non esse principia prima, probatum est. Nam ex eo quod composita sunt, principia esse nequeunt, actum enim habent per quem existunt, & potentiam cui actus ille inest, hoc est materiam & formam.

5. *Tria Chymica principia cælorum aut elementorum corpus non componunt.*

Ad huius doctrinæ Confirmationem mox ostendimus, neque cœlos, neque elementa ex istis veluti suis principiis constare. Siquis enim ipsa elementa cœlos & similia spectet, quis vnquam concesserit ex puro aëre, igne, aqua, terra, aut cœli partibus elici posse in alembicis hoc sulphur, sal & mercurium. Quod si non possint illa elici ex corporibus simplicibus, sequitur ista ex illis non componi. Quod verò ad mixta & elementata attinet, dicimus non esse necessarium, vt ea constent ex illis omnibus tanquam principiis, in quæ per artem inde separari & educi possunt, vel etiam in quæ naturaliter aliquãdo resoluuntur. Quis nescit animantium corpora in pediculos, vermes, apes & similia fuisse conuersa, ex quibus tamen nemo dixerit illa fuisse constituta. Imò quædam sunt, ex quibus corpus nostrum vicissim constituitur, in quæ tamen neque naturâ, neque arte vnquam resolui potest, vt principia illa generationis nostræ, semen & sanguis menstruus. Sed de hoc resolutionis modo egimus cap. præcedenti.

Quod autem in cœlo non reperiatur mercurius, seu illa portio aërea vel ignea licet subtilissima, vnde influxus mercurialis spiritus; nulla enim substãtia ex cœlo defluit, sed sola potestas producendi qualitates elemẽtarib⁹ similes. Lux cœli ac rutilus splendor sulphuris inextinguibilis substantiam nomine tenùs repræsẽtat; sic vt & cœlestium astrorum fixa corpora vitrea & christallina, salina dici credantur. Elementarem verò ignem nihil aliud efficacius continere deprehendes, præter spiritum calidum siccum, cuius necessitatem in corporibus mistis supra demonstrauimus: sed non proinde sulphure, aut mercurio constare.

In aëre quî tria principia reperies, nisi in meteoris ex terræ aut aquæ vaporibus & exhalationibus, vi solis, vel ignium subterrareorum in altum eleuatis, vnde fulmina,

tonitrua. Sulphur nempe in ignea flamma quæ erumpit: mercurius in ſpiritibus ventoſis; & fixus ſal in lapide fulminis. Ego potius aërem non mercurio conſtare credam, ſed humido illo vaporabili, quem in miſtis vocamus ſalem armoniacum volatilem, quem vt Chymici reducant in liquorem mercurialem cum ſale chriſtallino fixo iungunt, & ſic per diſtillationem aëreum liquorem eliciunt, qui prorſus vi omni ſpoliatur. Inde colligitur vaporabilem illam aëris partem fixari& coagulari in aquam inſipidam, quæ propter humidi radicalis in miſto conſiſtentis conſortium, proprietatem illius retinet; etiamſi volatile cum fixo non iungatur: at in proprio elemento humectandi tantum & penetrandi vim obtinet. Ergo in aëre non ſunt tria principia, nulla enim vis miſtorum ex ſolo aëre emergeret, niſi eam ex aliarum partium mixti elementarium conſortio conciperet & communicaret.

Certum quidem eſt in corporibus mixtis longè alia latere principia & proprietates, quàm in elementis ipſis; quod cernere eſt in mellis apum opificio, vbi tres ſubſtantiæ reperiuntur: mel ſcilicet ſuccus florum ab apibus collectus, digeſtus: hic liquor eſt naturæ igneæ & aëreæ, quia in bilioſis facilè accenditur, ſi eo vtantur. In melle mercurialem eſſentiam comperiunt. altera ſubſtantia eſt cera quæ craſſior mellis pars, ſulphuream vocant & aduſtribilem, nos verò craſſiorem cum humido tamen aëreo & pingui commiſtam. Tertia tandem ſubſtantia eſt fauus ſalem referens, cruſtacea ceræ portio adhuc terreſtrior. In quibus ſi ſolas elementares qualitates & ſubſtantias Medicus aduerteret, neque ſuccos & proprietates florum vegetabilium admitteret, quæ per varias pręparationes alterantur, is harum ſubſtantiarum modum & proprietates non agnoſceret. vnde licet mel ſit aëreę naturæ, alias tamen obtinet proprietates, quas Chymici ad tria principia, nos verò ad proprium humidum & calidum, tenue vel craſſum reducimus.

In aqua elementari ſtatuunt trià principia: ex hac enim erumpunt ſucci & ſubſtantiæ metallicæ, quorum ſuccorum vapores magis ſpirituoſi mercurium exhibent; ſicciores exhalationes ſulphur: fuligines verò & coagulatæ illorum materiæ ſales demonſtrant. Quorum ſalium variæ præterea ſpecies à natura nobis exhibentur, aluminis, vitrioli, ſalis gemmæ, armoniaci: varia ſulphurum, bitumimum, naphtæ, atque mercuriorum ſeu ſuccorum genera.

Nos verò cum Ariſtot. aliiſque Philoſophis aſſerimus corpora metallica generari ab halitu ſeu vapore & exhalatione terræ & aquæ; iſtumque vaporem coagulari gradatim, priùs quam perueniat ad vltimam concretionem: at Chymici putant hunc vaporem in liquorem quendam mercurialem ſubtiliſſimũ tranſire: hunc poſtea vaporem & liquorem mixtum cum exhalatione, quam Chymici vocãt ſulphuream, vim habentem coagulandi ſuum mercurium, in corpus metallicum compingi. Ex his tamen non conuincitur, in terra aut aqua tria principia à Chymicis poſita actu & formaliter ineſſe, ex quibus corpora quædam componantur. Certum ſiquidem eſt elementa in corporum metallicorum ortu multum contribuere: in his enim aquam eſſe, argu-

mentum est maximum, quòd ignis calore liquata fluunt, frigore aëris vel aquæ rursùm densantur. Simplex autem aqua non est eorum materia sed mixta cum terra, quæ fuit non contemnenda Georgij Agricolæ opinio. Sed proinde Aristotelis allata sententia lucem adfert istorum generationi: nam ex hisce elementis vapores eleuantur, & halitus qui cócrescentes formam metalli acquirunt, experientiâ euincente inueniri in mineris halitum metallicum, succum metallescentem, pultem metallicam, molle metallum, & tandem induratum fixumque; vt in auro, cupro, ferro, &c. obseruatum est, verùm in hac concretione solíne halitus elementares concurrunt? num Deus naturæ author terræ & aquæ seminaria à primo ortu indidit, quæ cùm solâ potentiâ illis insint, per variam actioné influxus solis, & causarum sublunarium in terræ visceribus contentarum, illa vis metallifica actu emergit, ipsiusque forma è potentia illius peculiaris materiæ educitur. An verò illa materia proxima fuerit Mercurius, sulphur, & sal, non satis constat, vt patet ex variis alchymistarum opinionibus de mercurio Philosophorum, quas refert Libauius. Et dubitatur à Philosophis num ipsius artis operâ verum aurum fabricari possit.

Lib. 5. de ortu & causis subterrã.

Comm. Alchemi. part. 2. tract. 2.

Concludimus, cùm hæc tria principia non sint in mistis ipsis aut elementis tam euidentia, neque ex puro igne, aëre, aquâ aut terra, vel cœli partibus posse vllâ ratione extrahi, tanquam actu in ipsis existentia, vel vt partes ipsorum componentes. Contrarium tamen conantur demonstrare Chymici exemplo salis marini, referente Quercetano, mare, inquit, testatur manifestè, vt cœlo, aëri, & terræ, ita aquæ insita esse illa principia: Etenim in sale marino etsi natura salis aliorum principiorum naturam exuperet, sulphureâ tamen & mercuriali essentiâ non destituitur, vt docet ars separationis. Ad cuius rei declarationem notabitis salsedinem maris, iuxta Philosophos, non esse ipsi essentialem; nam aqua elementaris est insipida, accidit illi salsedo permistione sicci cum humido, quia calor solis illius partes tenuiores sursùm vehit, quæ manent crassiores & magis terrestres salsuginem efficiunt. Quomodo ergo sal erit principium marinæ aquæ, cùm insit per aliud & secundario, non per se primò. Sed ponamus salem mari essentialem esse, cùm ab eo separetur, à calore coagulatur, & ab humiditate dissoluitur; emittit vi ignis liquorem quendam qui vocatur mercurius seu sal volatilis; hic nihil aliud est quàm pars salis vaporabilis, quæ in liquorem transit, & vocatur à Chymicis spiritus mercurialis æthereus, qui licet acidus sit, & polleat potestate iuxta sensum Chymicorum soluendi in liquoré, vel durissimum metallum, quale est aurum: attamen nihil aliud est vt dixi, quàm pars volatilis salis & vaporabilis in aquam conuersa & proinde elementaris non ætherea; si mercurialis vocetur, non tamen inde naturam elementarem mutabit. Quantum ad conglaciatos lapillos quos ex eodem sale educit Chymicus, siue dulces sint ac sulphureæ naturæ, partes sunt ipsius salis magis aëreæ. Neque nos negamus in terra elementata & fertili inesse salem; vel etiam in nonnullis herbis concrematis, è quorum cineribus elicitur

Cap. 16. Respons. ad anonymum.

elicitur sal: sed non omnis virtus inde pendet, est enim in sale pinguedo, vt Plutarchus post Aristotelem testatur; & proinde viget in sale virtus, in quo creditur esse principium concretionis mistorum, sed per consortium pinguis cuiusdam succi, in quo stat vinculum totius molis corporeę mixtorum. Ergo neque in cœlo aut elementis, vel mixtis aliísque viuentibus corporibus sunt alia principia, quàm quæ ab Hippocr. Aristot. & Gal. fuerunt constituta, siue primam horum compositioné, siue vltimã resolutionem attentè collustres & cóspiciás.

In sympos. lib. 1. quæst. 9.

De principiis corporis humani contra Paracelsum, ex libro correctionis Dialogi Apologici Castelmont Empyrici, composito à D. Iacobo Fontano parente colendissimo.

CAPVT III.

Paracelsvs contradicendi studio ductus instituerat doctrinam Hippocr. & Galeni præcipuè euertere, immutatis principiis Theoricis & Practicis, mente deprauatâ phanaticè sibi persuadebat posse subuertere illorum effata. Loco namque quatuor elementorum reposuit tria principia, salem, sulphur & argentum viuum: item similia similibus curari, & nullo modo contrariis; operæ pretium proinde existimaui confutare eius opinionem, Theoricam hoc loco, practicam verò in methodo practica. Quæ licèt à viris præstantissimis fuerit ante nos à longo tempore confutata, præsertim à doctissimo Erasto in proprio opere disputationum in Paracelsum, nos eius & aliorum doctorum virorum vestigiis insistentes, paucis nostro more eandem refellemus.

Paracelsus & eius sectatores existimarunt basim huiusce disputationis esse positam in theoremate ab Aristot. cæterisque Philosophis sæpiùs promulgato; omnia resolui in ea ex quibus composita sunt: nam si in ea non dissoluantur, conuertentur in ea ex quibus composita non sunt; vnde sequitur quodlibet posse dissolui in quodlibet, quod est absurdum, & experientiæ contrarium. Verum conuersio huius propositionis falsa est, vt quidquid resoluatur in aliquid ex eo compositum sit: nam vna res potest conuerti in alias propè infinitas, & tamen illis non constat. Lac vertitur in substantiam serosam, butyrosam, & caseosam, & tamen lac ex his non fit, sed ex quatuor elementis remotè, proximè autem ex humoribus corporis ex quo fuit eductum. Corpus humanum vertitur in vermes, aut ex corpore humano extrahuntur. Ergo vermes iuxta illorum sententiam sunt elementa corporis humani. Illi verò tantum igni resolutionis causæ tribuunt, vt existiment illius solius esse separare partes compositi: & forsan innituntur Aristotelis propositioni, caloris esse heterogenea separare. Sed

Lib. 1. Phys. & 3. Metaph.

4. Meteoror.

illa quæ ignis separat non sunt principia illius à quo separantur. Lignum enim vi ignis in fumum, flammam, & cineres conuertitur, quæ nemo sanus mente eius principia verè dixerit. De quibus quid scribat Libauius doctissimus vir, & in Alchimiæ arte optimè versatus videre poteris. Excusat figmentum Paracelsicorum his verbis: loco quatuor elementorum posuit tria elementa, salem, sulphur & argentum viuum. Præter separationes mistorum in elementa; alia quædam est in principia, ideo inuenta, vt potissimæ mistorum vires exactiùs cognoscerentur, in qua nempe parte latitarent magis, quæque & quomodo possent ad vsum transferri. Atque toto capite persequitur diuersa nomina & appellationes principiorum Paracelsicorum, inconstantiam Magistri declarans. Tandem sub finem capitis, ait, multa sunt in his quæ Physico non satisfaciunt, Mercurius & aquositas elementaris. Et capite antecedenti docuit modum extrahendi elementa verè Physica, quæ vocat substantias elementares.

Lib. 2. praxeos Alchym. tract. 1. cap. 49.

Obiicient magisterium elementorum, maximè differre à magisterio principiorum, quamobrem Libauius duo capita instituit. Respondeo id præstitisse propter rationes quas recensuit, sed reuerà vna & eadem res est, vt euidenter probari potest ex magisteriis principiorum piperis, guaiaci, & reliquorum, ex quibus nihil aliud extrahitur quàm Mercurius siue pars aquosa, oleum diuersicoloris, aëreũ, & caput mortuum manens in alembici fundo, quod terreum est: ita vt Libauius ab elementis, ab Hippocr. & Gal. constitutis non recedat. Sed in hos magisteriatos nouorum nominum confictores rationibus agamus. Disseramus imprimis hoc loco de principiis compositionis, & essentiæ compositi & mixti Physici, non de principiis ratiocinationis. Principia Paracelsistarum differunt à nostris, aut ratione formæ, aut materiæ. Si differunt formâ, cum illa sit diuersa à formis elementorum, quæ primæ sunt ordine naturæ, controuerteretur tantum de principatu inter principia Paracelsica, & Hippocratica: atque hæc illa precederent, cum simplicissima sit eorum forma, & à nulla alia antecedatur; ita vt illa à Paracelso constituta essent posteriora, proindéque elementa dici non possunt, sed ex elementis composita, quod rationi principij non conuenire videtur. Si differant ratione materiæ, oportet aliam materiam in rerum natura confingere, differentem à materia prima à Philosophis cõstituta, quod multò absurdius censeri debet. Non ignoro nebulones Paracelsistas effutire liberè & Plusquam muliebriter, principia illa materiam & formam vanè esse figmenta cerebrorum inanium, quod quàm sit à veritate alienum sequenti discursu probare nitemur; verùm asini caput lixiuio lauatur. Galenus proteruorum sententiam miro artificio & labore confutauit, nos ducem nostrum imitati refellemus vesanorum Paracelsistarum sententiam, quibus fidem nõ adhibebunt, quod nihil ipsi verum sibi persuadeant, nisi quod sub sensum cadit, vt eorum sulphur, argentum viuum, & sal, & reliqua corpora sensu percepta. Quare omnia ferè componunt ex illis tribus principiis: nos in meliori & sapientiori schola educati

ea etiam præſtantiora exiſtimabimus, quæ intellectus tantum ope concipi poſſunt.

Dicamus ergo : quicquid eſt aut æternum exiſtit, aut cùm antea non eſſet, eſſe aliquando incœpit;atque ex iis quædam poſtquam eſſe occœperunt,nullam mutationem ſubierunt vt intelligentiæ, cœli,animæ rationales: alia mutationi obnoxia ſunt ex elementis nempe compoſita. Hæc poſtquam mutata ſunt alia exiſtunt quàm antea erãt; atqui quidquid eſt tale eſt per ſuam eſſentiam. Ergo ſi poſt mutationem non amplius ſunt id quod erant, amiſerunt ſuam eſſentiam, vt aliam reciperent,per quam ſunt alia quàm erant. Quocirca cùm per mutationem aliam receperunt eſſentiam, amittendo quam habebant antequam mutarentur, habebant poteſtatem amittendi eam quam habebant eſſentiam, & recipiendi eam quâ carebant & priuabantur. Aliquid ergo eſt in rebus mutationi obnoxiis, quod poteſtate fruitur amittendi id quod poſſidet,& recipiendi id quo priuatur. Illud materia prima à Philoſophis appellatur, quæ poteſtatem poſſidet paſſiuam recipiendi omnes formas:poſtquam materia eſt mutata illi aduenit aliquid quo carebat,quod mutationis cauſa erat; huius beneficio eſt id quod non erat, poteſtatem tamen habebat vt talis eſſet, illud forma dicitur à Philoſophis, definita quæ dat eſſe rei. Quamobrem duo ſunt principia prima, materia, & forma, quibus ſi adiungas priuationem, quæ ſignificat abſentiam formæ futuræ in materia, & poteſtatem eam recipiendi, tria rei naturalis conſtituentur principia, mentis & intellectus acie comprehenſa, exiſtentiam tamen in vnoquoque corpore naturali realiter habentia.

Quæ exemplo rerum artificio conſtantiũ poſſunt vtcumq; adumbrari:vinum antequam diſtillaretur potiebatur formâ vini,poſtquam in aquam vitæ fuit mutatum, recepit illius formam,non amplius vinum exiſtens. Ergo materia vini depoſuit formam vini, & accepit formam aquæ vitæ : eodem modo in reliquis.Sed hæc ad intellectus humani ſublimitatem ſpectant, quâ cùm priuentur ferè Paracelſiſtę ſenſibus nimium addicti quærunt ſenſibiles rerum Anatomes:& licet medici præſtantiores illis ſint Anatomici, & ſenſibus in hoc mancipati, nihilominus multa explicant & deſcribunt de generatione partium, forma,quantitate, fine, & materia illarum, quæ ad intellectus apprehenſionem pertinent. Atque vt ex vna propoſitione oſtendam cerebrum illorum carere intellectu, repetam magiſtri Paracelſi eam, quâ notat materiam primam componi ex tribus ſubſtantiis,ſulphure, ſale, & argento viuo:quod quàm ſit abſurdum norunt illi Phyſici qui vno menſe operam dederunt doctrinæ hyſicæ. Sed illis nihil abſurdum videtur, quod ſenſus iudicio falſum non appareat, ita vt contradicentia illis vera ſint. Finxerunt illas tres ſubſtantias, & nominibus inuſitatis explicarunt, vt aliquid noui inueniſſe exiſtimarentur,quę tamen ab elementis non differunt. Sed decebat ſulphureum Paracelſum, cuius cerebrum argento viuo plenum erat, ſine vllo ſale iſta propalare.

Quo ergo magis eluceſcant eorum errores, demonſtremus nihil noui excogitaſſe. Aſſerunt cineres

in ſalem conuerti, vel potius ſalem in miſto præexiſtentem ex cinere ſeparari: hoc Phyſici attribuunt terreæ portioni, quod ea mutetur in cinerem, vt videre eſt in ligni vſtione: quare cinis erit prior ſale, cùm cinis in ſal reſoluatur. Atque ideo ſal non erit principium corporis, contra eorum opinionem. Satius itaque erit ſal terram appellare, vt reuera nihil aliud eſt quàm terrea corporum portio. Si quis alius nouus Paracelſiſta eam partem gypſum appellaret, oporteret ne ob phanatici hominis nouam nomenclaturam diſciplinam medicam inuertere? nihil ergo poteſt eſſe illud principium ab illis ſal nominatum quàm terrea corporum portio.

Sulphur partem eſſe inflammabilem ſcribunt, inflammabile æquiuocum eſt. Medici vocant partem inflammabilem quæ excedentem calorem obtinet, Phyſici verò inflammabile illud appellant, quod poteſt conuerti in fumum flammæ concipiendæ aptum: flamma enim nihil aliud eſt ex Ariſtot. quàm fumus ardens, aut vt Galen. cenſet, quàm aër aduſtus. Prima ſignificatio illorum conceptui commoda non eſt, cùm ferè omnes corporis partes poſſint inflammationem cócipere, atque ideo omnes eſſent ſulphureæ. Quod ad ſecundum ſignificatum pertinet, omne corpus inflammabile in fumum poteſt cóuerti, fumus namque nutrit flammam, ſed fumus pinguis, oleoſus & aëreus: nam fumus ſiue vapor aquæ ignem non nutrit. Quare fumus qui flammæ eſt pabulum eſt aëreus. Sulphur ergo cum ignis fomentum ſit & alimentum aëreum eſt.

4. *Medic. ſimpl.*

Mercurius ex eorum doctrina vertitur in fumum, ſicut & ſulphur: ſed Mercurius fumum profert qui flammam concipere non poteſt, aquæ vapori ſimilem. Hæc pars corporum à Medicis vocatur aquea, quæ plus aquæ continet quàm cæterorum elementorum. Concludamus itaque ſal Paracelſiſtarum nihil aliud eſſe quàm partem terream corporum mixtorum, Mercurium aquoſam, ſulphur aëream. Corpora animalium componuntur proximè ex humoribus, humores ex elementis, & elementa principia agnoſcunt materiam & formam. Cùm verò morbi naſcantur ſecundum eorum opinionem ex deprauatione trium principiorum, ſalis, ſulphuris, & Mercurij, quæ falsò dicuntur principia, & nihil aliud ſunt quàm corpora ex elementis compoſita, humoribus analoga, ex quibus conſtat corpus; veriùs dicemus morbos humorales originem trahere ex deprauatione humorum. Quare in ſcientiarum conſtitutione apprimè animaduertendum quæ principia ponantur: nam Ariſt. ſcribit: Paruus error in principio, progreſſu doctrinæ fit maximus, principia namque mole exigua ſunt, poteſtate autem maxima.

3. *Lib. de cœl. c.* 5.

Vtrum

Vtrum Quinta essentia Chymicorum sit cœlestis, vel elementaris.

CAPVT IV.

1. *Quintam essentiam non esse à cœlo.*

SCIENDVM est quintæ essentię vocabulum homonymum esse: interdum significat quamuis speciem Chymicam à crassitie materiæ elementaris, corpulentísque fæcibus exutam, ac magisterio opponitur, in quo ferè tota substantiæ moles remanet, sed exaltata & depurata. Interdum, vt etiam à Chymicis accipitur, denotat substantiam ætheream, cœlestem ac subtilissimam conflatam è tribus principiis cuiusuis corporis misti soluti à qualitate elementari sensibili & corruptibili, per varias operationes Chymicas orbatis, & in vnum seu corpus spirituale, seu spiritum corporeum coagulatis. Dicitur à quibusdam medicina κατ' ἐξοχὴν, ab aliis elixir ob insignes virtutes, vel substantiæ summo studio elaboratæ excellentiam. Ab aliis cœlum duplicem ob rationem, tum respectu suæ incorruptibilitatis, cùm ad eam subtilitatem spiritualem sit redacta, vt nihil heterogenei à quo corrumpi possit in se continere videatur. Tum etiam quia hæc quinta essentia ad instar cœli vitam hominis fouet, eiusque noxas expellit. Alij non absque ratione sentiunt hanc Chymicam essentiam esse spiritum illum insitum, & humidum radicale seu balsamum naturæ, suâ formâ à qua omnes illæ vires occultæ proueniunt, instructum; ratione cùius formæ, nobilioris esse naturæ dicitur quàm mixta ex elementis, vtpote cùm quintum constituat corpus ex mente Scaligeri. Verùm iste spiritus vel est simplex corpus ab initio rebus à creatore inditus, non quidem elementaris conditionis, sed æthereus totus: hinc Chymici & Hermetici Platonicorum ac Academicorum opinionem sequuti, aiunt istum spiritum cœlestem produci in elementis tanquam in loculis & matricibus, in quibus sustentatur & conseruatur: vnde quadantenus habet radicem ab elemētis, hincque existit familiaritas congenerationis, tum sustentationis, sed principaliter à vi creantis Dei per semiocccultos influxus. Vocant ergo hanc essentiam effluuiū ætheris, radium firmamenti, voce creatoris per ima dispersum, animæque mundi ἀπογέννημα. Vanhelmont tractat. 57. censet essentiam Chymicam non esse propriè quintam, cum non sint aliæ quatuor in concreto, neque est extractum de tribus, sed esse dicitur pars seminalis de sulphure concreti. Quia sulphur est proles efficientis, adeóque magis formalis.

Exercit. 307. num. 20.

Nos statuimus primò cum Hippocr. Aristot. & Galen. asserentes omnia corpora ex quatuor elementis composita, per mutuas alterationes perfectiores qualitates nancisci, quæ tamen elementaribus sunt congeneres. Verùm aduertere opor-

tet duplicem eſſe temperiem miſtorum;vna quæ à qualitatibus primis commoderatis pendet; alia quæ ab occultis aliis conſocialibus, ſed excellentioribus quæ à forma fluunt, & in ſpiritu ac humido primigenio inhærent, vnde proprietates multæ dimanant,& ſecundum Ariſtot.elemento ſtellarum proportione reſpondent. Et hæc eſt origo quintæ eſſentiæ quæ proprietates nobiliores poſſidet, à quatuor primis qualitatibus diſcrepantes, de qua inferiùs ſermonem habebimus.

Cap.8. huius ſect. Aſſero inſuper cœlum non vſque adeo immiſceri corporibus,vt quintam eſſentiam in ipſis conſtituat: probatur hoc argumento:primò,vel ſubſtantia cœli miſceretur, aut aliquód accidens:non ſubſtantia,quia corpora cœleſtia ſuopte ingenio indiſſolubilia ſunt , vt tota ferè Peripatetica ſchola comprobauit cum Ariſtot.quæ doctrina licet veternoſa & vieta à quibuſdam huiuſce ſeculi viris nuncupetur, quod confirmare nituntur ob caſmata quæ plerunque in plures dies perſeuerare in cœlo aduertuntur; faculas item & nubeculas quæ in Solis diſco viſuntur , ſatis manifeſtare aiunt , cœlorum ſubſtantiam minimè impaſſibilem eſſe. Iſti fluiditatem cœlis aſſignant & proinde rareſcere ac addenſari poſſe putant. Verùm illa caſmata non contingunt niſi in locis vbi naſcuntur Cometæ:maculæ verò ſolis,& potiſſimùm lunæ , vel ſemper eodem modo ſe habent,vel ab aliqua alia cauſa quàm à corruptione cœlorum prodeunt. Si ergo cœli ſubſtantia in corporibus non immiſceatur;qualitas aliqua ex cœlo in hæc inferiora deducetur , ſed hæc non mutat ſubiectum vt fert Philoſophorum axioma. Quod ſi velint cœlum influere in hæc inferiora , verè quidem concedimus, ſed introducendo quandam diſpoſitionem , quæ ab elementari non diſtinguatur vt mox demonſtrabimus : & præſertim quia cœlum dat qualitates quas eminenter,non verò actu ipſo complectitur.

Lib.1.de cœl.c.3.

Secundo ſi quinta eſſentia eſſet cœleſtis,maximè quia ſpiritus inſitus,humidúmque radicale ſeu balſamum naturæ è cœleſti ſubſtantia erueretur, ſuâ illâ formâ à qua vires occultæ proueniunt:atqui hæc ſunt alterius naturæ tametſi cœlo ſimilis,vt poſtea docebimus.Ergo quinta eſſentia non eſt cœleſtis ſubſtantiæ.

Tertiò demus per impoſſibile rapi ſubſtantiam cœleſtem,& deuehi in hæc corpora inferiora : petimus quando corpus interit,quò illa ſubſtantia cœleſtis ſe recipit?quò abit illa?extingui enim non poteſt cùm æterna ſit , caret enim contrario ex Ariſt.manebit ergo, & forſan tranſmigrabit in corpus quod fit ex tranſmutatione alterius:quod ſi verum ſit , eadem erit proprietas intereuntis & geniti, cùm craſis conſiſtat in illa eſſentia cœleſti ſecundum Alchymiſtas. Quod falſum eſt, nam rerum omnium proprietates ſunt differentes.Ergo nulla ſubſtantia cœleſtis in corporibus caducis , neque in his qualitas æthérea admittenda eſt : calor enim qui à cœlo communicatur eſt eiuſdem ſpeciei cum calore elementari , & qui in corpore ineſt quodammodo cœlo ſit Analogus.

Quartò cœlum eſt cauſa efficiens inferiorum , ſed non principium conſtituens:nam vt Ariſtot. obiicit Anaximandro , quod opus naturæ diſſoluitur in cœlum ? deſcendítne

quotidie

quotidie de sua sphæra, vt fiat pars mixti?minimè verò:nam leuitas & grauitas sunt causæ cur alia ferantur in sublime,alia deorsum:at cœli materia neque calore, neque frigore fit crassior,vt experimur in illustrationibus Lunę,quare nec præcipitatur pondere, nec attollitur leuitate. Mitto formam cœlestem diuelli particulas à toto non permittere, nec sinere suum corpus tanquam Hyppolitum discerpi membratim & dilaniari, maximè cùm sit rotunda moles eius materiæ cui assidet,circulus autem vniformis vndique , vt nec prominere, ita nec hiare possit. Dices rotundam esse pariter cœterorum elementorum extremitatem ; admittendam alioquin patulam intercapedinem & inane interuallum , quare non potius descensurum ignem de sua sphæra. Siue enim sponte descendat ad conseruationem vniuersi, singulæ enim partes laborant pro salute totius in qua suum esse positum magistrâ naturâ præsentiscunt:siue communi naturæ prouidentiâ quò transmittatur, relinquet in sua sphæra spacium vacuum, non minus quàm decisa à toto cœlo particula. Respondeat Peripateticus longè disparem esse rationem, quia densari &rarescere possit ignis materia, cœli minimè. Quare cùm sit tenuissima , si quâ sui parte minueretur , nulla desertum spacium occuparet. At ignis dum sit rarior, replet illicò interstitium desolatum : cœli itaque vsque adeò suis numeris completi vt eis nec addi quidquam,nec detrahi possit, nulla defluere portiuncula, nec vllâ parte perrumpi,aut imminui potest.

Quinto hæc quinta essentia mineralium,plantarum,& animalium, vel est in aqua , vel in oleo , vel in sale : atqui ista sunt partes crasseos interioris misti,& ab elementaribus non discrepant,vt probatum est.Ergo quinta essentia non est cœlestis.

2. *Obiectiones aduersariorum diluuntur.*

Obiicies primo,si cœlestis quinta essentia non consisteret in mistis,maximè quia cum ipsorum materia non conueniret : at quinta essentia conuenit cum materia mixtorum.Ergo in illis consistit. Reperiri hunc consensum ostendo, ex mēte Philosophorum,qui ex actione & passione inferiorum & superiorum colligunt materiarum , seu substantiarum consensum genericum , subiecto tenùs. Cùm omnis virtus inferiorum , teste Aristot. à superioribus quodammodo gubernetur , dicantúrque fieri res in imo mundo , influxu, lumine & calore cœlestium; agentia verò & patientia specie contraria,genere , & subiecto seu materiâ conueniunt ; necessariò statuunt res mundi inter se participare materiâ. Ergo quinta essentia cœlestis cum materia elementari cohæret. Ad hoc argumentum dicimus exinde rationem non peti de materiæ consensu : nam reuerà conuinceret materiæ communitatem & conuenientiam, si in sese mutuò agerent,vicissimq; transmutarentur.Constat verò inter cœlestia & inferiora corpora non dari actionem & passionem reciprocam. Agit ergo cœlum sed non repatitur ; agit æquiuocâ actione non vniuocâ. Esto ? sit eadem materia cœli,& sublunarium corporum, nihil tamen substantiæ cœlestis in hæc inferiora trāsfertur.Ergo quinta

1. Meteor. cap. 2.

ta eſſentia non eſt cœleſtis prout cœli ſubſtantiam participat; ſed tantum virtutem & qualitatem quandam cœleſtem quæ cum elementari confuſa, eiuſdem ſit ſpeciei cum illa.

Secundo res mundi inter ſe participare materiâ comprobare videntur ſacræ literæ, quæ cœlum dicunt interpoſitum eſſe inter aquas ſuperiores & inferiores: ita vt nihil abſurdum ſit ſurſum eſſe materiam congenerem mũdo medio. In principio creauit Deus cœlum & terram: terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, & ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Quo in loco fit mentio trium corporum, nimirum cœli ſcilicet Empyrei, deinde terræ, & aquarum ſeu abyſſi. Itaque primâ die totum ſpatium à terra vſque ad cœlum Empyreum abyſſo, id eſt aquarum immenſitate occupatum fuiſſe: tum die ſequenti dicitur Deus condidiſſe firmamẽtum, eiuſque interiectu ſecreuiſſe aquas ab aquis. Quare non ex alia quàm ex illa aquarum materia, videtur Deus compagem corporum à terra vſq; ad empyreum cœlum efformaſſe. Quod oſtendunt illa verba: ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas; quæ indicant diuini ſpiritus quaſi artificis curam, aquis tanquam materiæ è qua opus moliebatur, inſidentem ac velut incubantem. Ergo non eſt abſurdum ſurſum eſſe materiam congenerem mundo medio, & proinde nulla eſt incõpatibilitas quintæ eſſentiæ cœleſtis cum ſubſtantia elementari. Reſpondemus explicationem illius loci Geneſ. ſecùs ab aliis excipi: nec totum illud interſtitium quod à terra ad cœlum empyreum porrigebatur, aquis obſeſſum fuiſſe, neque Deum è materia aquarum cœleſtes globos efformaſſe: ſed tam cœleſtia quàm elementaria corpora, è quibus nunc conſtat vniuerſum eodem puncto temporis condidiſſe. Itaque diuinam hiſtoriam nomine cœli totum cœleſtem orbem deſignaſſe, nomine terræ & aquarum, quaſi in ſumma inferiorem mundum.

Cap. 1. *Geneſ.*

Quercetanus ineptè aſſerit Deum in mundi creatione quoddã Chaos aqueum fabricaſſe: materia cuius, inquit, nulla alia ante fuit quàm verbum ipſius Dei (fiat) Chaos iſtud ex verbo Dei ortum, ſtatim in corpus animatum prorupit, quod animam vniuerſalem mundi continet; cuius ſemine reliqua gradatim fuere à Deo condita. Semen igitur & principium omnium rerum, fuit hoc verbum (fiat,) quod cum ſub ſenſus non cadat, ex nihilo idcirco dicuntur omnia creata. O pulchra Quercetani Theologia ſed inaudita, & quæ tot ſcatet erroribus, quot verbis. Nam reuerà omnia ex nihilo ſunt creata, non ex ſolo nihilo inaſpectabili, alioquin impugnatur Dei potentia: & ſi Chaos eſt nihilum, quia materia Chaos eſt verbũm Dei ex ipſo: verbum Dei nihilum eſt, quod eſt hæreticum. Abeant ergo qui in exordio mundi condidiſſe materiam Deum imprimis aſſerunt, id eſt, confuſum & rude quoddam Chaos omnium elementorũ ab illo editum eſſe, idémque poſtea in hanc mundi faciem pulcherrimã quaſi diſtinctum. Qui ſanè quantum à vera ſententia de mundi ortu abhorreant, dici ſatis non poteſt; cùm eo modo vt præclarè diuus Baſilius oſtendit, & Athanaſius, ad ſuam ſententiam verba Moſeos ineptè detorqueant, non

Tract. 2. *reſponſion. ad Anonym.*

non verum eius sensum declarent, præsertim cùm Ecclesiastes creasse Deum omnia simul dicat, atque omnes pij & docti Patres vno ore illud affirment; materiam quidem initio vnà cum hac mundi forma editam fuisse, nec aliquam inter alterius productionem vel exigui tẽporis moram intercessisse: quamquam ad generationem mundi explicandam, eâ fuerit vsus distinctione Moses. Præterea cùm dicitur spiritus Domini ferebatur super aquas, id intelligendum venit de aëris effectione & segregatione ab aquis, non de Sancto spiritu; hinc Propheta regius ait; flabit spiritus Domini & fluent aquæ. Malè ergo concluditur cœlos ex materia huiusce mundi præexistente esse conditos, sicque materiam horum inferiorum esse congenerem cum cœlesti, & proinde in corporibus mixtis quintam essentiam cœlestem comperiri.

Obiicies tertiò non ex elementis solùm res productas esse; sed omninò simul ex cœlesti incluso elementis seminario. Nam cùm Deus ante stellas fecisset plantas, has priùs accepisse cœlestem quandam naturam ex toto consentaneũ est; deinde verò separatum corpus cæterum ad superiora concessisse. Hinc spiritus vitales plantarum & animalium exortos esse plerique antiquorum statuerunt. Vnde Virgilius. 6. *Æneid.*

Principio cœlum ac terras camposque liquentes
Spiritus intus alit, totámque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.
Inde hominum pecudumque genus vitæque volantum.
Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore Pontus,
Igneus est ollis vigor, & cœlestis origo
Seminibus.

Huius cœlestis seminarij in elementis inclusi reliquias monstrant, quæ noctu gliscunt, & cœleste lumen sine feruore aliísve ignis effectibus eiaculantur. Hanc essentiam monstrant & in oculis hominum, in quibus insitus est igniculus quidam cœlestis & splendens spiritus. Insuper cùm radiosum lumen sydera proiiciunt, quod elementari materiâ exceptum colligitur, & forma in materia actum nacta, etiam vnione sui inflammare, non aliter ac ignea meteororum potest. Ad hæc respondendum, illud seminarium non esse miscellam substantiæ purissimæ cœlestis cum materia elementari, sed tantùm materiæ potentiam & dispositionem ad varias formas, quæ adiuuante cœli influxu excitantur. Istæ dispositiones actu antea non inerant; nisi quando ex varia actione & passione agentium naturalium in actum deducuntur; nullâ etiam cœlesti materia præexistente. Lumen verò radiosum non esse corpus sed solam qualitatem cœlestem supponimus; nec beneficio spirituum in hæc inferiora descendere; cùm substantia cœli sit indissolubilis. Quòd si in cœli globis crescant lumina, hoc fit supernaturaliter: vel non in illa, quin potius aëris regione vbi meteora accenduntur, apparent. Quod si velis dicere plantas illos æthereos spiritus, à principio accepisse ab anima mundi, hoc non recipimus. Productio plantarum antecedens luminariam creationem apertè ostendit illarum seminarium à cœlesti sub-

ſtantia non proceſſiſſe, quidquid dixerit Virgilius ſententiam Platonis exploſam ſequutus. Spiritus vitales in nobis ineſſe videmus, qui tamen origine cœleſtes dici non debent vt mox probabimus. Quod verò motis oculis ſplendor quidam appareat, id ex eo prouenit, quia polita & læuia corpora, cuiuſmodi ſunt oculi, & piſcium quorumdam capita in tenebris præſertim fulgent. Pupillæ aliquid ineſſe lucis certum eſt, vt lucem extrinſecùs aduenientem ſibi affinem recipiat, qua de re lege Scaligerum. Quod ſi radij quidam inflammantes aërem ex ſyderibus orti obſeruentur, id nemini mirum eſſe videtur; cùm cœleſtis influentia corporibus ſublunaribus iuncta vim habeat multa producendi, in virtute tamen ſuperioris ſubſtantiæ ex qua emanat: ſed non proinde cogimur ſubſtantiam aliquam cœleſtem in hiſce reponere, quæ ſit quinta illa eſſentia.

Exercit. 198. nu. 16.

Quod ſi demum inſurgas quintam eſſentiam Chymicis extractionibus, & reſolutione comprehendi. Quum aliquid putreſcit concluſo vaſe, ſeparatio exhibet nobis quatuor ſubſtantias elementis Analogas, & inſuper vnam nobiliſſimam quintam, non quidem ſeparatim & ſine illis in natura ſubſiſtentem: attamen quæ poſſit ex illis quodammodo euocari, & in nobiliſſima parte miſti oſtendi. Reſpond. dici quintam eſſentiam, quia purior pars eſt miſti, vocari autem cœleſtem quia ex cœleſti influxu aliquid recepit. Quo ſenſu quinta eſſentia cœleſti cognata à nobis conceditur: cùm non fiat quoduis ex quolibet, ſed determinatum; & naturaliter agentis finis ſit ſimilitudo paſſi. Si cœlum non gignit omninò ſimilem in inferioribus naturam, tamen cognatam producere, quæ ſuæ cauſæ merito poſſit rectè dici quinta.

3. *De cœlorum Influentiis.*

Certum eſſe aſſerimus corpora huius inferioris mundi à cœleſtibus influentiis gubernari; attamen quintam eſſentiam æthercam nullatenus introducere. Prior pars aſſertionis probatur, quod naturæ ordini conſentaneum fuerit, vt mundus inferior cœleſtium corporum virtute & influxu regeretur. Vnde enim motus principium omnibus ineſt, illam cauſam putandam eſſe primam ex Ariſt. quare congruit, vt quorum definita motio eſt quemadmodum elementorum, ac cæterarum rerum quæ ambitu Lunæ continentur, ea ab illis regantur, quæ perpetuo motu in orbem cientur. Idem comprobat diuus Thomas, cùm enim omnis multitudo ab vnitate procedat; cúmque id quod immobile eſt vno modo ſe habeat, quod autem mouetur multifariam. Conſequens ſit vt in tota natura motus ab immobili oriatur: & quantum vnumquodque magis vacat motu, tantò magis obtineat ius ac rationem cauſę reſpectu mobilium. At corpora cœleſtia inter cætera magis ſunt à motu aliena, cùm ſolam motionem in loco ſubeant, eámque circularem, quæ ſimilis eſt quieti, quatenus quod eâ fertur, non ex toto locum mutat aliò demigrando, vt ea quæ recto motu aguntur. Neceſſe eſt igitur vt tam varij, támque impares ſublunarium corporum motus, ad ſimplicem illam & æquabilem cœleſtium ſphærarum vertiginem, vt ad cauſam referan

1. Meteor. cap. 2.

1. Part. qu. 115. art. 3.

Lib. 4. Phyſ. c. 5.

Lib. 3. de Trinit. cap. 4.

referantur. Quod etiam confirmat testimonium diui Augustini, naturæ ordinem exposcere, vt corpora crassiora & inferiora, per subtiliora & potentiora quodam ordine regantur.

Altera assertionis pars demonstratur, quòd scilicet influentia cœli quintam essentiam æthream in corpora inferiora non introducat. Quia quidquid cœlum agit in hæc inferiora, illud virtute suâ & influentiâ agit, quæ lux, aliáve occulta qualitas existit, & quæ primarum tandem sit effectrix: vim enim habet producendi similes qualitates elementaribus. Concedendas esse occultas cœli vires insitas, quibus influunt in hæc inferiora, præter motum aut lucem docent Philosophi, quas propterea vocant influentias. Probatur imprimis hâc ratione: cœlum est causa vniuersalis, quæ elementa eorúmque vim omnem potestate continet: quare necesse est vt cœlum vim habeat per se producendi saltem quatuor primas qualitates quasi totius elementaris naturæ ministras, & cœlestis formæ Vicarias, calorem, (inquam) frigus, siccitatem, & humiditatem: neque enim lux per se vim habet frigefaciendi aut humectandi: ergo necesse est vt præter lumen vis quædam frigefaciendi, humectandi, ac dessiccãdi cœlo insit. Appellatur autem eiusmodi vis, influxus seu influentia.

Quod verò sint aliæ influentiæ occultæ probatur multis experientiis; vt quod acus attritu magnetis confricata versus polum respiciat, quòd heliotropium versùs solem sese obuertat, quòd Gallus, ad mediam noctem cantum edat, quòd Oceanum mare certo temporum decursu fluat & refluat, quòd ostreę Conchilia & ossium medullæ cum Luna pariter incrementa & decrementa accipiant. Non tamen supera cœlestiáque corpora perennes illas sibíque insitas rerum ideas ac species à se excutiunt, (vt loquitur Fernelius) aut suæ substantiæ quicquam genitis rebus elargiuntur, aut iam in cœlis genitam absolutámq; formam solam ac per se incommodè præparatum subiectum submittunt: sed hâc vnâ ratione res nouas excitant, & edunt, quod superæ illæ cœlorum vires, motu, lumine ac spiritu tanquam vehiculis hùc deuectæ circumfusæq; nobis in subiectum potentiâ præparatum sese insinuant, & substantiarum è quibus diminarunt vim & naturam recèns genitæ rei imprimunt, & speciem sic inducunt, vt à solis luce in perspicuum instructúmque corpus irradians lumen, ipsúmque collustrans, illi non lumen modo, sed & suam quandam lucem tandem immittat. Vbi Platonis sententiam insequi videtur, cùm spiritus à cœlo deuehi censet, vnde vis specifica omnium rerum profluat. Verum si lucem cœli solùm emittant. Ergo non corpus sed qualitatem tribuũt, non substantiam sed accidens, vt ex doctrina Aristot. contra Academicos demonstrant Conimbricenses.

Lib. 1 de abdit. rer. cau. c. 8. ad fin.

Lib. 2. de cœlo c. 7. quæst. 2. art. 1.

4. *An Qualitates omnes ab astris prodeant.*

Astrologi censent impossibile esse omnia ad qualitates primas in corpore humano referre; & ad idiosincrasiam seu propriam naturam nobiliores quasdam & occultas qualitates pertinere, quæ multarum

actionum,& συμπαθείας ac ἀντιπαθείας ſunt cauſæ: Idcirco has diuerſas hominum conſtitutiones ad Planetas reduxerunt, vt docet Ptolomæus. Vnde alios ſolares, alios Martiales, alios Venereos, alios Mercuriales, alios lunares, alios Saturninos nominant: & ſic primò iuxta numerum ſeptem Planetarum, ſeptem diuerſas hominum conſtitutiones, mores, habitus, & temperaturas proponunt: deinde ſingulas in duas rurſùm diuidunt; prout Planeta cuius dominio ſit ſubiectus homo fortis & fortunatus, vel debilis & infortunatus ſit: aliúmque eius ſtatum deducunt ex Marte bene conſtituto, alium ex eodem malè conſtituto. Exempl.gr. ex eodem bene conſtituto hominem fortem, magnanimum deducunt, qualem Ducem & Imperatorem eſſe decet: ex eodem infortunato fieri hominem temerarium, iracundum, & tyrannum ſtatuunt. Imò conſtitutiones miſtas è diuerſis Planetis admittunt. Hanc ſententiam non omnes recipiunt: nam vt Ioh. Picus Mirandulanus ſcribit, abſurdum & ab omni Philoſophia alienum eſſe, quorum proprias cauſas videas & manifeſtas & ſufficientes apud nos in viribus corporum inferiorum, in animorum diuerſitate, in affectu, conſilio, occaſione, conſuetudine, in concurſu tam vario confluentium vndique rerum atque cauſarum, eorum tamen originem in ſyderibus quærere. Hanc ſententiam Aſtrologorum impugnauit Ioan. Baptiſta Porta, qui diuerſas hominum temperaturas non Planetis, ſed qualitatibus primis aſcribendas cenſet, iiſque aliquando intenſiùs, aliquando remiſſiùs agentibus: nimirum quem Saturninum dicunt, eum eſſe frigidum & ſiccum intensè ſtatuit: quem mercurialem appellant, in eo has qualitates remiſſiores eſſe exiſtimat; quem Martialem nominant, eum calidum & ſiccum eſſe intensè: ſed calidum & ſiccum remiſsè ſolarem, eodémque modo Iouium calidum & humidum intensè; remiſsè verò Venereum eſſe exiſtimat. Et quod ipſi fortunato Planetæ adſcribunt, d puris humoribus, quod illi infortunato, ipſe fæculentis & impuris humoribus attribuendum putat.

Lib. 3. quadripartiti.

Lib. 4. aduerſus Aſtrolog. cap. 11.

In cœleſt. Phyſiogn.

Ad hæc vim agendi aſtris denegare, nec eis aliquid vltra motum & lumen concedere, vt facit Picus Mirandulanus, non eſt veritati conſonum, vt ſuprà demonſtratum eſt: nam poteſtatem habent producendi qualitates ſimiles qualitatibus elementorum; ſicque vera eſſet Aſtrologorum ſententia de diuerſitate temperamentorum iuxta varios Planetarum influxus: & licet Aſtrologi plurima figmenta cum ſuis propoſitionibus immiſceant; attamen negandum non eſt multa fieri in corpore humano, quorum cauſas ex qualitatibus primis ſolis petere eſt impoſſibile.

Quare non ſolas ſyderum mutationes quas in corpore producunt, reſpiciendas eſſe ducimus: neque ſimpliciter corpora prout mixta ex elementis; ſed quatenus ſua proxima principia habent, & calore quodam vitali, ſpiritu viuifico, humidóque primigenio prædita ſunt, & formam ſuam atque animam obtinent, à quibus multæ nobiles qualitates fluunt, vt tum ex aliis videre eſt, tum ex ſympathia & antipathia quam corpus noſtrum & eius partes cum aliis corporibus naturalibus habent: non ſolùm ad

quatuor

quatuor primas qualitates nos intendere oportere, sed ad occultiores alias & nobiliores, quas totius substantiæ quidam nominant. Ex quibus colligimus non solũ Astrorum influxum, vtpote vniuersalem nostræ temperaturæ causam esse admittendam: sed etiam alias magis proprias & peculiares causas esse considerandas, quæ ampliorem corporis nostri naturam repræsentare valeant.

5. *Opinio Paracelsi de Astro interno refutatur.*

Ex altera parte Paracelsistæ ita temperaturas & corporum qualitates ab Astris profluere dicunt, vt non tantum vocibus Planetarum exprimant; sed etiam reipsâ in corpore inesse putent. Distribuunt hi hominem in septem membra principalia iuxta Planetarũ numerum, & cœlestia terrenis conciliantes magnum mundum minori applicant, in fornaculis suis Chymicis, ex triplici mistorum classe, mineralium, vegetalium, & animalium. Pro maiestate & ordine syderum errantium, fingunt cor mundi magni, hepar, cerebrum, pulmonem, splenem, fel, renes: quæ in cœlo Planetis respondere docent, Soli, Ioui, Lunæ, Mercurio, Saturno, Marti, Veneri; ita vt hæc reciprocent, nomináque sibi largiantur mutuò, & omninò triangulus quadrato, & hoc vtrumque circulo permutetur. Animalia enim quæ vnam constituunt classem ista vti sonant voces, membra habent, sed nominantur Planetarum cœlestium appellationibus: & hinc transferuntur ad vegetalia & mineralia, vt sit cor vegetabile, cor minerale, ibi viuum, hîc aurum, in cœlo Sol, & postea Sol vegetabilis vini essentia, Sol mineralis metallicus auri natura quinta; & sic in cœteris. Chymici ergo sat auxilij ad vniuersum hominem credunt esse in dictis essentiis septem: & in affectibus naturalibus, in quibus vt sciri possit, qui Planeta, & quod membrum, cui respondeat Plantæ, animali, & minerali. Hinc octo remediorum essentiarúmque Chymicarum classes; in quibus tamen vnum fingunt catholicum, lapidem nimirum philosophicum, tanquam sacram anchoram reliquis nihil profecturis.

Crollius ita hominem, & alia mixta habere suum Astrum internum ait, quod vocat spiritum sydereum, & cum Paracelso, ens seminis & virtutis: à quo proprio & interno Astro Sole videlicet microcosmi, generatur & regitur homo; non verò ab externo firmamento. Negat ergo superius firmamentum in inferius specificatum virtutes vel arcana infundere, sed omnia ab interiori Astro prouenire censet, & non ab extra; & in hoc magistri sui Paracelsi inconstantiam imitatur, qui omnia pro libitu fingit. Quomodo enim qui omnia Astra in homine concludit, & ex annulo Platonico, catenáque Homerica, & spiritus mundi seu naturæ præsentiâ, quem vocat Paracelsus Hylech, omnium rerum vnionem & dependentiam colligit; potest contrario pene sensu superioris cœli influentiam denegare, & vnius ab altero independentiam proponere.

In præfat. admonito. c. 26.

Verum tamen est solem & hominem generare hominem, ideoq; Astra influere in seminis & sanguinis commistione, ad fœtus plasmationem: ac proinde analogiã com-

periri posse,& quoddam symbolum obseruari inter Planetas,partes nostri corporis, & metalla. Ex. causâ cor hominis symbolum habet cum sole cœlesti, & sole minerali nempe auro: cerebrum cum Luna, & argento: Hepar cum Ioue, & stanno:pulmo cum Mercurio, & argento viuo:splen cum Saturno, & plũbo:renes cum Venere,cupro,& ære: fel cum Marte, & ferro. Nihil ego video in quo possit fundari hæc Analogia, nisi in causæ vniuersalis operatione circa corpus humanum, & metalla; sed proinde neque cœlum, neque metalla realiter in homine reperiuntur. Ergo impropriè & metaphoricè partes corporis nomine Planetarum & Astrorum appellantur. Influant Astra quantum possint in illas partes: prosint metalla illis partibus, non tamen illas diuersas substantias corpori reuerà inesse conuincunt.

De ortu & caus. subterrã. lib. 5. Meritò Georgius Agricola refellit sententiam Astrologorum asserentium metalla produci à viribus stellarum errantium, quolibet metallo similitudinem magnam habente cum suo sydere errante, vt proles habet ad parentem. Quæ sanè persuasio cùm nullâ demonstratione fulta sit, ab otiosis & deliris magis,nihil nõ tribuentibus Astris, primùm videtur conficta. {Sol est communis parens omnium generabilium, Iupiter omnibus idem, Sol non consulit potiùs auro quàm argento, vnumquodque facit pro instituto cui destinatur, dat cuique suum τὸ εἶναι quantum perfectio speciei postulat;si cadat fine,aliqua causa accusanda est, vel externa,vt operis interruptio: vel interna, vt materiæ vitium.

Quantum verò ad illa præsidia à metallis petita, videmus mancam esse illam Analogiam cum partibus & Planetis: etenim Mercurius,v.g. cœlestis, qui argento viuo prædominatur: quæ symbolum cum pulmonibus habere dicuntur;non tam ipsis prosunt quàm officiunt: licet Mercurius pituitosos & crassos humores in penitioribus partibus cõsistentes, per os & palatum expurget.Et sic in cœteris metallis multa dyspathica comperiuntur, quæ illam cum partibus nostri corporis vulgarem Analogiam confringunt. Vide huius propositi ampliorem decisionem cap. 11. sequenti.

Spiritum & calorem nostrum esse calori cœlesti similem.

CAPVT V.

1. *Caloris natiui Quodnam sit subiectum.*

SCIENDVM est hominẽ constare animâ & corpore; corpus continentibus,contentis & impellentibus:hoc est partibus,humoribus,& spiritibus ex Hippocr. doctrina, quos spiritus ἐνορμῶντα impetum facientia nominauit, vt eorum vsum demonstraret. Omnes enim impetus vehementésque motus excitat anima spirituum ministerio. *In Epide*

In lib. Metho. Med. ſterio. Galenus conſtituit partis cuiuſque triplicem ſubſtantiam ſolidam,carnoſam, & ſpirituoſam; fibras ſcilicet, fibris circumiectam carnem, & ſpiritum humori primigenio cohærentem. Alibi appellat craſſamentum, humorem, & ſpiritum:in quarum ſubſtantiarũ quantitate & qualitate facultatis robur conſiſtit. Calor natiuus & ſpiritus tam arctè cohærent, vt vnum ſine altero eſſe non poſſit, quinimo re & ſubſtantiâ ſunt vnum, ſoláque differunt ratione. Quocirca calor natiuus in ſpirituoſa ſubſtantia inſidet, & calidi innati nomen obtinuit. Quod enim alij de caloris ſubiecto enunciarunt, in humido primigenio ſuſtentari; vt fecit Galen; vel ſanguineam ſubſtantiam ſimúlque aëream vnà cum ſpiritu, vt idẽ Galen. ſentit. Ariſtot. 2. de gener. anim. cap. 3. calidum innatum ſeu *1.De ſanit. tuen. c.1. 2. De ſimpl. facul. c.9.* θερμὸν quod facit vt fœcunda ſint ſemina, nominat ſpiritum, qui in ſemine ſpumoſóque corpore continetur. Hi omnes varia caloris ſubiecta prædicant: verùm qualecumque illud ſit, vnicum eſt & ſimplex: affectio enim vni primò per ſe conuenit, cœteris per aliud. Quare non negauerim ſemen, ſanguinem, ſanguinea viſcera, ſpiritum, humorem primigenium caloris eſſe ſubiectũ; ſed ex illis vnicum eſt primum, cui primò per ſe conuenit & quatenus tale. Hoc autem eſſe ſpiritum certum eſt; cùm enim calor vigeat mobilitate ſimul & tenuitate, vt poſſit promptiùs animæ miniſtrare, conſentaneum eſt naturâ illum in ſubiecto apto collocaſſe: ecquid verò ſpirituosâ ſubſtantiâ, quę maximum cum calore commercium habet, conuenientius eſt? & proinde calida per excellentiam appellatur. Verumtamen ſpirituoſa hæc partis viuentis portio cum parte ſolida cõiuncta, non ſine humido radicali conſiſtit, quoniam ob ſubſtantiæ ſimilitudinem conſociantur: & ita opus erat, vt humidum ſpiritus illos retineret, & pari officio ſpiritus calorem vitæ fautorem humido cõmunicaret: ſed non proinde vna & eadem eſt illorum ſubſtantia, licet in eodem vniuerſali ſubiecto, parte ſcilicet ſolidâ confuſa videantur; ſeparari poſſunt ob illarum heterogeneitatem: tum vna portio lædi poteſt alterâ illæsâ; vt in febribus videre eſt tum ephemeris, humoralibus, & hecticis: tum etiam frigore immodico calor extingui poteſt, non diſſipato humido. In hecticis humidum radicale ſenſim conſumitur. Per ſyncopem repente ſpiritus diſſipantur, humori tamen primigenio nihil deperit.

Ex dictis conſtat calorem natiuum in ſpiritu reſidere: cùm nequeat ſine ſede & vehiculo in omne corpus permeare, hùc illúcque momento diffundi, corpore aliquo fluxo & profluente contineri debuit. Cœterùm nullus humor ad hoc aptus erat & habilis, vt tantâ celeritate corpus omne traiiceret: quocirca neceſſe fuit calori materiam ſubſterni ſubſtantiâ tenuiſſimam, pernicitate velocem, quæ ſimul fouendo calori familiaris eſſet & amica; atque cùm eiuſmodi ſit aërea & ignea, optimâ ratione debuit talis calori ſubiici, quæ ſemper ignis modo incenſa ardet, cuique perpetuò calor inſidet, vt neutrum poſſit ab altero dirimi. Plato quidem rariùs eam materiam calore perfuſam, ſpiritum appellauit, ignẽ frequentiùs, & interdum calorem. Ariſtoteli crebrò ſpiritus eſt dictus, nonnun

nonnunquam calidum,atque naturalis calor:aliàs quidem à tenuitate & velocitate, aliàs à viribus & effectu ratione nominis desumptâ. Planiùs Hippocr. qui nusquam addubitauit hunc spiritum nuncupare, quòd cùm eximiis viribus præditus sit, oculorum tamen effugit obtutum: per spiritum intelligens tum aërem externum, quem pro alimento animantibus esse voluit, tum interiorem illam substantiam tenuem & aëream,quam rursùs duplicem facit, nempe φύσαν & πνεῦμα: φῦσαν quidem crassiorem, impurum, nebulosum, & quasi noxium halitum quem flatus nomine intelligimus, & à quo tot morborum genera producuntur: πνεῦμα autem purissimam, tenuissimam, & vitæ conseruandæ omninò necessariam exhalationem, quæ propriè spiritus vocabulum retinuit. Calidum ergo innatum aptè definitur substantia quædam tenuis & spirituosa, naturæ animæque ministrans, quæ pro ratione tenuitatis maximum habet præ aliis partibus cum calore consortium. Vt spiritus ita calor natiuus duplex: vnus fixus quo nutriuntur & perdurant viuentia; alter influens qui illius dissipationem reparat.Calor fixus vnicuique parti proprius est,qui actionum omnium naturalium causa passim à Galeno perhibetur. Fluens manat à corde tanquam à foco, vt foueat & conseruet fixum. Calor fixus potissimùm residet in singularum partium spirituosa substãtia,cui etiam pinguis & oleosa humida consociatur; vt calor in viuente diutius conseruetur, alioquin cum spiritibus in auras tenuissimas abiturus; quæ non est caloris subiectum, sed potius pabulum & vinculum; cùm tamen plærique vtrumq; confundant.Magis ergo artidet calidum ab humido ratione distinguere; quàm calidum per humidum definire, vt censuit Fernelius asserens, calidum *Lib. 4.*
innatum esse humidum primigenium spiritu & calore perfusum: *Physic. cap. 6.*
cùm spiritus sit caloris subiectum; illud verò humoris.

2. *De caloris vitalis origine.*

Exoritur difficultas de natura istius caloris in spirituosa substantia consistentis, atque humoris primigenij in quo viget balsamum quod quærunt Chymici in animalibus,plantis, & mineralibus:idque statuunt quintum corpus, vel saltem diuinioris naturæ vtpote cœlestis, quàm sit calor & humor elementaris: cuius disquisitio ad proprietatum ipsius notitiam facit, ad morborum etiam occultorum ideam internoscendam.

Sciendum est multas oriri controuersias de ipsius natura & differentiis: nec desunt qui omne calidum ex cœlo deducant,doceántque eiusdem esse naturæ & speciei, à diuersis tamen principiis dependere,vt sit animalis, cœlestísque, hic per se,ille analogus; alius elementaris. Alij dissentiunt, nec à cœlo deriuari omnem credunt. Aristot. *2. De gener.*
calorem seminis animalium non *animal. 2.*
esse elementarem putat, sed ex spiritu & natura quadam,cœlesti analogâ confici asserit.

Calor qualiscumque sit est actiua qualitas, quæ calefacit,extenuat & separat heterogenea,vt homogenea congregentur;calorem quoque generat, propter agentis naturalis ad simile procreandum instinctum, & alium calorē actu præsupponit.

8. *Physic. text.* 40. Omnis enim motus est actu existentis in natura similis, quod formam iam & substantiam habet. Sed si quando æquiuocè à cœlo ducitur per motum & lumen, putant aliqui ibidem esse priùs actu. Verùm peripatus ex potentia actuat per motum, quasi ex accidente, vt docetur in Metereologicis, & supra, ignem primum esse calidum demonstrauimus. Platonici de magna mundi anima cœlique potestate dispergunt in omnia, quod innuit Aristot. generantur in terra humoréque animalia & plantæ, quoniam humor in terra, spiritus in humore, calor animalis in vniuerso inest, vt quodammodo plena sint animarum omnia. Quamobrem consistunt celeriter, cùm calor ille comprehensus est.

Cap. 1.

Sol ergo calorem efficit, quia fons est lucis & caloris principalis, & eius potestatem in se habet, eumque actu profundit cùm operatur certo modo in materiam eius susceptiuam: radiorum illius in vnum collectio variáque repercussio calorem excitat: radius namque luminosus, iuxta sensum Hermeticorum, per se & à natura sua calidus est; vt effluxus quidam spirituosus à sole, & vel corpus, vel corporum naturæ maximè vicinus: aliàs non patet ipsis ratio, cur cùm eo veniat & abeat tam repentè calor, cur tam exactè figuretur ad modum opacorum, vmbrá que efficiat, & cum sole accedat recedátque, & possit viuentia tam potenter mouere: his positis;

Asserimus calorem viuentium & animalium non esse cœlestem, sed cœlo & Astris analogum: quia vt formæ naturales ab initio suæ creationis primam suam habent originem, & hinc propagantur; sic iste calor non à cœlo solùm deducitur, non ab elementis, nec misturæ modo: sed principio seminali, & in corde fundamentum suscipit. Creator namque, generationis rerum seminaria indidit, per quæ generabilia propagantur, & deinceps perennant. Neque enim cœli calor proximè animauit homines, bestias, plantas, sed principium in ipsis diuinâ potentiâ procreatum; cuius vi etiam generando propagantur; nec ex æthere vel ambiente excipit terra & mare caloris principium, & substantiæ originem, sed ab antiquo in se habet, licet aliter statuat Arist. Calor autem igneus & aëris ambientis ex sole, tantum conferunt motum externum, quo internus suscitatur, & in actum prodit.

Nemo inficias ibit corpus nostrum quatuor elementis componi: etenim si respiciamus proxima generationis hominis principia, atque calidum natiuum, & spiritum, ac humidum primigenium, illorum naturam redolent: sed quia in corpore animato nobili insunt, ac seminario eminentiori, videtur esse substantia quinta supra elementarem naturam, cœlesti tamen similis. Quæ non à cœlo manat vt sentiunt Hermetici, sed ab antiquo seminario: nec qualitates corporum mixtorum tam manifestè quàm indicibiles in materia mixti ante mixtionem actu præexistunt, sed potentiâ & virtute insunt, & ab agentibus particularibus ac vniuersalibus in actum erumpunt.

3. *Respondetur argumentis eorum qui asserunt calorem vitalem cœlestem esse.*

Lib. 2. de gener. ani. c. 3. Aristot. censet calorem animalium elementis esse diuiniorem: inest enim in semine omnium, quod facit, vt fœcunda sint semina, videlicet quod calidum vocamus. Idque non ignis, neque talis aliqua facultas, sed spiritus, qui in semine spumosoque corpore continetur, & natura, quæ in eo spiritu est proportione respondens elemento stellarum. Et paulo post: calorem in animalibus neque ignem, neque ab igne originem ducere manifestum est. Quibus verbis Aristot. duo clarè docet: calidum natiuum non esse elementare, neque ab igne aut aliis elementis originem ducere: non tamen etiam esse cœlestis naturæ, sed ἀνάλογον τῷ τῶν ἄστρων στοιχείῳ. Dicimus hoc in loco negari calorem vitalem defluere ab igne, quia calor viuentium immediatè communicatur à generante, non autem ab igne: siquidem ignis, vt ibidem mox subiicit, nullum animal generat. At cum Aristot. ait naturam prolifici spiritus in semine proportione respondere elemento stellarum: id dictum puteтur, quòd aliquam qualitatem excellentiorem obtineat, & prout animæ instrumentum est, huic dignitate efficientiæ respondeat. Calor verò qui in spiritu inest, mitis, est vrentísque ignis naturam non retinet, neque immediatè ex igne procedit, neque intrinsecè à cœlo, sed ex traduce principium accipit à generante, & à seminali principio iuxta diuinam illam benedictionem propagatur.

Fernelius Alberti Magni sententiam sequutus probat calorem animalium esse cœlestem: primò plantæ & animalia quædam prædita tẽperamento frigidissimo, caloris ope viuunt. Ergo respectu alterius quàm illius qui ad temperiem concurrit, quoniam omnis principalis actio à prædominante qualitate nascitur: atqui videmus inter animalia multa esse in quorum mixtione frigiditas elementaris præualuit, vt in Salamandra, torpedine, serpentibus, talpa, & similibus: & inter plantas papauer, Mandragora, cicuta, sunt temperamento frigidissimo, quæ tamen viuunt; non calore elementari, qui inferior est quàm frigus, & magis depressus. Ergo per alium calorem qui cœlestis existit. *Lib. de vita & morte.*

Respondeo illa frigida esse potentiâ comparatione factâ cum hominis corpore; in se tamen licet frigido præpolleant, tantum habere caloris elementaris, quantum sufficit ad suas operationes obeundas, sub imperio formæ præstantioris. Dicimus ergo plantas & animalia nonnulla, licet in sui corporis maiore mole, frigiditatem excedentem habeant: tamen cùm heterogenea sint, quandam habere tenuem substantiam reliquæ moli affusam, in qua supereemineat calor, quo ad vitæ munia vtuntur. Solétque ea substantia à corde, aut parte cordi respondente, vel ab ambientis syderúmque tepore foueri. His autem emortuis ea deperit calida substantia, remanéntque frigida absolutè; licet dum vitâ fruerentur comparatiuè talia dicerentur. Nam frigus ad vitæ actiones per se non concurrit. Adde quod si forma talem mixtionem non sustineret, idem sequeretur de calore æthereo, nam frigida

frigida horum qualitas cœlestem calorem obrueret.

Secundò Aristotel. mortem definiens, vitali huic calori, non frigus tanquam contrarium opposuit, sed extinctionem quæ ipsius est priuatio, vt luci tenebræ, & visioni cæcitas. Ad hoc Respond. falsum esse nihil positiuum calori nostro innato aduersari: frigus enim illi contrarium est, à quo remittitur, & aliquando etiam extinguitur. Aristot. autem non negat calorem natiuum contrarium habere, sed definit mortem per Notiora, per absentiam scilicet caloris vitam fouentis.

Lib. de vita & morte.

Tertiò arsenicum Sulphur & similia, etsi calidissima, tamen calore viuifico destituuntur. Ergo calor vitalis ab elementari discrepat. Et pyretrum, piper, cinamomum, post caloris cœlestis discessum, quamuis alio maximè abundent, non tamen amplius viuunt. Respond. arsenicum, sulphur non viuere, vel defectu animæ; vel certè caloris illius actualis, qui in demortuo pipere, cinamomo, cantharidibus, & similibus quamuis potentiâ calidissimis, esse non solet. Calor autem actualis non solum ille est, qui mixtionem substantiæ elementorum sequitur, sed qui in substantia tenui & spirituosa in viuentibus reperitur, & cœlesti est analogus, qui tamen specie ab alio non differt. In hisce formâ vegetante priuatis remanet forma misti, quæ cum spiritibus & calore residuo vires modicas retinet.

Quartò propositionem hanc veram esse obiicit: differre illa specie quæ seorsùm existunt, quorumque vno pereunte, alterum manet. Annum videmus in animantis emortui cadauere, ne minimum quidem caloris vitalis adesse, tametsi partium structuram & figuram habeat: non amitteret autem illum vitalem calorem, si ab elementis nasceretur, cùm in partibus singulis elementaris permistio adhuc supersit. Vnde intelligi potest calorem eum per quem vita subsistebat, aliũde quàm ex elementorum mixtione confluxisse. Ad hoc Respondemus calorem in cadauere residuum eundem esse specie, imò & numero cum calore viuentis; non tamen viuificum esse: quia talis est, non quâ calor est, sed quatenus præsentis animæ instrumentum: quâ separatâ qui residuus est calor tueri vitam non potest.

4. *Caloris vnam speciem esse.*

Calor omnis eiusdem est speciei, siue sit elementaris, aut cœlestis; probatur primò ex Aristot. vnum vni est contrarium: ergo vni frigori vnus calor aduersabitur, & non plures. Quod autem frigus calori cœlesti aduersetur, patet ex eo, quia manum quæ solari luce incaluit, refrigerat aqua, vtique suo frigore illius calorem restinguendo. Præterea idem confirmat ea ratio: nàm quiuis calor si intensior sit, quemlibet alium calorem auget, vt calorem qui lapidi inest calor aëris, & hunc calor solis, & rursùs hunc calor vitalis, si lapis intra sinum calidum recondatur, & denique hunc calor ignis. Atque ita in vno eodémque subiecto possunt hi omnes calores in vnum eundemque calorem singularem coalescere. Deinde quòd calor igneus à cœlesti non differat, ex eo demonstratur, quia radij solis in vitro coëuntes, & in materiam idoneam incidentes pro-

1 De cœlo, text. 10.

ducunt ignem. Cùm igitur ignis non generetur nisi interuentu caloris, qui sit eiusdem speciei cum calore igneo: siquidem iisdem vnũquodque & gignitur, & conseruatur; planum fit calorem igneum non differre à calore cœlesti. Quod etiam non distinguatur à vitali ostendi potest, quia medicamenta igneo calore affecta ventriculi calorem promouent, coctionem iuuant: & oua supra clibanum igni subiecto disposita (quod apud Synas & Ægyptios fit) pullos edunt; calore igneo gallinarum calorem, & incubatum supplente. Etenim si in pyrotechnia, arte Chymicâ, atque etiam culinariâ, per vim regulati ignis mira præstari videmus, temperationes, coctiones, extractiones, & similia: quid obstabit animam nostram, calore elementari ad certum temperiei gradum reducto, qui speciei humanæ conueniat, omnes corporis nostri actiones exercere. Præterea calor à cœlo diffluens pro diuersa recipientis aptitudine tam varia operatur, vt plantis quidem incrementum procuret; contra verò mactatas carnes corrumpat, cum solaribus radiis per speculum concauum transmissis comburat, & cum marcido Lunæ influxu paralyses, multiplicésq; Catarrhos prouocet: non specie vnus, sed pro agendi varietate, naturâ etiam multiplex dicendus esset. Postremò cùm eiusdem effectus naturæ per se, ab eiusdem naturæ agentibus producantur: calor autem cœlestis, vitalis, & igneus pares producant effectus; iidem etiam inter se naturâ essentiâque pares erunt. His enim omnibus commune est attenuare, rarefacere, ex accidenti exsiccare, frigiditatem expellere, aut saltem retundere. Denique Aristot. non obscurè hanc sententiam approbauit, causam reddens cur vita & anima calore contineatur, ait, concoctionem animalium sine calore absolui non posse; quia omnia igni cibum conficiunt. Et lib. de iuuentute, animam in corde esse quasi ignitam, hoc est ignis calore feruidam: vbi prædictos calores licet gradu differentes, naturâ non distinguit. Plato apud Galen. calorem nostrum semper ignem appellat. Hippocr. lib. de corde, calorem in nobis existentem ignem vocat, quem omnia per omnia mouere ait. Hinc rectè Scaliger calorem, inquit, elementarem esse formæ instrumentum, & motum, & generationem.

Lib. de respir. cap. 7.
Cap. 1.
Lib. 8. de decret. Hip. & Plat. c. 7.
Cap. 12.
lib. 1. de caus. plantar. Theophr.
Lib. 1. de Febr. c. 8.

Quod si ad prædictam propositionem de vnitate caloris obiicias cum Augenio eiusdem speciei qualitates non se inuicem corrumpere & interimere. Ergo calor pr. nat. & febrilis calorem natiuum corrumpens, alterius est speciei. Respond. non esse hos calores contrarios naturæ contrarietate, sed disparitate intensionis & efficientiæ, ex qua fit vt, cùm idem numero calor sub diuersa intensione simùl consistere nequeat, ac alter alterum quodammodo destruat.

5. *An spiritus sint ætherei.*

Verùm pro ampliori huiusce caloris cognitione, examinanda venit spiritus cui insidet substantia, quæ iuxta Hermeticorum sensum, Platonicorum, & recentium dogmaticorum sententiam, ætherea & lucida constituitur, vnde cœli ex quo dimanat luciditatem retinere videtur. Quod autem spiritus sint luminosi, probare conantur ex ipsorum

obtene

obtenebratione parta ab humoribus melancholicis, vel alterius humoris tetro halitu; vnde statim animæ functiones obnubilantur, & peruertuntur. Hoc confirmatur ex Auicenna: anima nostra cum spiritibus gaudet luce non tenebris, die non nocte; hi spiritus multò sunt alacriores die sereno quam nubiloso, quoniam à simili exsuscitantur, & fouentur, à contrario vitiantur. Adde quod cum spiritus animales inter se specie non differant, & qui ad oculos feruntur innatum habeant lumen, illos etiam lucidos esse oporteat. Hinc plura huius rei afferuntur exempla quorumdam hominum qui in tenebris mox vbi expergiscuntur circũstantia illustrata contuentur, lumine quod cum visuali spiritu effundũt: vt de Tiberio scripsit Plinius, de Mario Plutarchus, de diuo Augustino Ficinus, de seipso Cardanus; tum experientiâ probatur, pressum & confricatum oculum emittere fulgorem. Huc spectat quòd refert D. Merindolus de Ioanne Lerando pharmacopola Salonensi, qui certo quodam tempore per noctem ab hora vndecima ad primam, lumen ex propriis oculis effundebat, à quo totum cubiculum illuminaretur, vt ipse quæcumque in cubiculo continerentur, liberè posset intueri; atq; id maximè & diu patiebatur, cùm in latus sinistrum lienem comprimendo decumberet.

Lib. de viriб. cordis.

Lib. 7. de spiritib. cap. 3.

Ad hæc Respond. spiritus splendoris & perspicuitatis maximè esse capaces, non quia luminosi, sed quia diaphani. Nam illa qualitas quæ lux dicitur, ea est quæ in corpore opaco & visum terminante actu reperitur, vnde illud lucidum reddit, eidémque vim alia illuminandi tribuit. Sic lumẽ est qualitas à lucido corpore deriuata, quæ in aliud diaphanum corpus propagatur. Quo posito cum spiritus non sint opaci, sed ita diaphani & tantæ tenuitatis, vt visum terminare non possint; nulla est ratio quæ illos lucidos esse nobis persuadeat: sed neq; eosdem luminosos dicere possumus, quod oporteret eos in illa cerebri parte generari, quæ cùm foret lucida, in spiritus lumen effunderet; at nullam possumus talem substantiam intra corpus conclusam assignare.

Verùm ad id quod dicitur de obtenebratione spirituũ ab atro quodam humore proficiscente: id eos luminosos esse non probat, sed à tenebris tam externis quàm interioribus obnubilari; ideoque luce gaudere, non quia ex se lucidi, sed quia Diaphani splendoris & perspicuitatis capaces luce maximè oblectantur. Quod verò spectat ad prædicta exempla spirituum visualium: Respond. quòd licet spiritus non sint per se & in proprio fonte luminosi, posse tamen illos cùm diaphani sint in particulari aliquo organo & sensiterio condensari, & fieri luminosos lumine ab aliquo corpore lucido in illos deriuato: tum eos plùs aut minùs habere luminis in diuersis; pro cuiusque cerebri calidioris temperatura, & tunicarum oculi densitate. Quod exempla allata satis comprobant; sed lumen illud ab oculo accipiunt, quem intra se lucidum esse constat, & particulari experimento confirmauit Fabricius ab Aquapendente, lucem in iride esse demonstrans, vnde animalia quædam noctu videre cõstat; quorum iris, inquit, certè fuluũ & veluti auratum colorem repræsentat. Quod si homini similem

Lib. de ocul. part. 2. c. 6.

habere iridem contingat, similiter noctu videbit, vti de Tiberio Cæsare, & nonnullis aliis proditum est. At spiritus luminosos esse, quia substantiæ cœlestis participes sint non admittimus. Superest vt hanc celebrem controuersiam concludamus, calidum innatum, seu spirituosam illam substantiam calore elementari perfundi, foueri tamen à calore cœlesti, qui in effectu illi similis est, & saltem specie; propriamque calidi à primordio generationis antiquæ, naturam retinuisse iuxta Creatoris nutum, quam per successiuas generationes in indiuiduis perennare videmus.

Examen sententiæ Hermeticorum de natura, origine, & viribus spirituum.

CAPVT VI.

1. *Causæ actionum naturæ indagantur.*

Tetras grauiss. capitis affect. c.10.

QVERCETANVS cùm videret ab Hippocr. Fernel. & quibusdam aliis causas Epilepsiæ reduci ad halituosas & spirituosas substantias; nec tamen earum originem & naturam satis explicassent, & à quibusnam spiritibus excitarentur non docuissent; ipse longâ oratione exponere conatur omnes rerum tam superiorum quàm inferiorum actiones, ab spiritibus eorúmque diuinâ naturâ proficisci; vnde pendeant humorum dissolutiones, coagulationes, coctiones, & similes effectus: ostenditque illos hallucinari qui externis illis frigidis, aut calidis qualitatibus ad huiusmodi effectus producendos influentibus immorantur: sed priùsquam vlteriùs eamus.

Supponendum est actiones naturæ non simpliciter à spiritibus, prodire; etenim agentia naturalia operantur per suam substantiæ formam tanquam principium vt quo primum ac præcipuum, vtuntur tamen qualitatibus & spiritibus vt instrumentis, quibus ita alterant & transmutant materiam, vt alias sibi similes formas ex materiæ potestate educant; accidentarias primùm alteratione, deinde & substantiales substantiali ortu. Vnde in quolibet agente tria contineri necessum est; nempe essentiam, facultatem operandi, & operationem. Essentia est actus primus, operatio vocatur actus secundus, facultas verò est media inter hos duos actus velut aptitudo & habilitas essentiæ in eum finem comparata, vt per eam essentia conuenientem naturæ suæ operationem promere possit: facultas ex essentia sponte erumpit & emanat; operatio verò ex vtroque quodam conatu prodit. Hæc tria in solo Deo propter essentiæ infinitatem idem prorsus sunt: eius enim solius actio est substantia, quòd suæ naturæ infinitas omnia absorbeat. In cæteris rebus creatis necessariò distinguuntur: cùm enim sint entia finita, actu & potestate constant, nec absorbere queunt aut sibi identificare agendi virtutem. Hincque aliud addi oportet præter essentiam, quod

quod agendi ſit virtus : vnde in actionibus Phyſicis ſubſtantiæ immediatè non agunt,ſed per poteſtates & qualitates. Cuius rei rationem afferre non eſt difficile, quoniam hæc actio eſſe nequit niſi adſit contrarietas ; fit enim cum contrariæ formæ expulſione. Quare cùm ſubſtantiæ nihil ſit contrarium ſed accidentibus ; ſubſtantia nonniſi per accidentia agere poteſt. Hinc Ariſtot. ait, ignis non agit vt ignis,ſed vt calidus. In omni igitur naturali operatione permulta concurrunt : primò totum compoſitum vt id quod operatur, eius enim eſt operari cuius eſt eſſe ; ex quo illud effatum vulgare profluit : actiones ſunt ſuppoſitorum. Id verò ratione cuius, ſeu quo operatur eſt illius ſubſtantiæ forma ; hæ autem non agunt immediatè, ſed per accidentia & qualitates,quæ ſunt operationis inſtrumenta. Ex quibus colligimus qualitatum actionem non modo ſimilis qualitatis,ſed & ſubſtantiæ formæ materialis productionem attingere : eſt enim vnica agentis operatio per formam & qualitatem, quæ ab vtraque ſimul : ab vna tamen primariò,ab alia proximè procedit : accidens ergo quatenus eſt proximum alterationis inſtrumentum qualitatem ſimilem producit, formam etiam naturalem educit, imò & compoſitum generat, quà eſt potioris agentis immediatum inſtrumentum. Vnde non amplius miremini, ſi ferrum candens per ſolum calorem ignem producat : ſemen animalis animal, imò & quodlibet accidens ſubſtantiam; id enim faciunt vt inſtrumenta virtuteſque agendi alterius nobilioris cauſæ cum qua coniunguntur, ab eaque pendent, tùm propter inhærentiam qualitatum cum ſubſtantia,tùm propter huius virtutis cum ſubſtantiæ forma materiali proportionem, (hic enim excipimus animæ rationalis productionem, quæ à ſolo Deo creatur, & creando corpori infunditur) tùm verò propter virtutis connatam doctrinam. Ex his proinde non ſequitur quod accidens vi propriâ nobiliorem effectum producat : non enim id illi conuenit, niſi vt eſt alterius inſtrumentum, agentiſque primarij directione operatur,ac cum eo proportionem habet,quod eſt agere virtute ſubſtantiæ.

Lib. de ſenſu & ſenſibus cap.4.

Ariſt. lib 1. metaphy.c.2.

2. *Hermeticorum opinio de ſpirituum natura examinatur.*

Sciendum inſuper eſt Hermeticos de inſtrumentis agentium naturalium loquentes, ad qualitates non recurrere, ſiue ex influentia cœli, aut ex propria rei natura profluant : ſed ad ſubſtantias quaſdam ſpirituoſas quæ ex Aſtris cœleſtibus perpetuò in hæc inferiora influunt ; quorum ſpiritibus vſque adeo referta ſunt omnia, vt veriſſimum ſit illud Poëtæ, Iouis omnia plena. Illam verò vim quam Ariſtotelici vocarunt δύναμιν οὐσιώδην, & Latini potentiam eſſentialem propriam cuique ſubſtantiæ, aſſerunt eſſe in Categoria ſubſtantiæ, ab Hermeticis dici ſpiritus ſcientiâ inſtructos concoquendi, diſſoluendi,mouendi,ſentiendi, &c. in ventriculo, corde, cerebro, & cœteris partibus : etenim ſcientia illa eſt ipſamet δύναμις [illegible], quam Ariſtot. & alij Philoſophi conſtituunt in omnibus rebus, & ex qua omnes actiones proficiſcuntur : & ſicut anima operatur per inſtrumenta

menta in corpore, quibus vitiatis denegatur quidem facultatis actus, licet facultas in ipsa persistat. Sic planè naturam nihil producere volunt, nisi per spiritus qui insunt ac delitescunt in rationibus rerum seminalibus. Ergo cum Hermetici dicunt illos spiritus scientiâ mechanicâ esse instructos fabricandi sibi corpora: illisq; omnes actiones tribuunt, nec tamen naturam excludunt: quæ virtus est diuina rebus naturalibus insita: at per Metonymiam instrumento tribuunt, quòd artifici nempe naturæ propriè adscribendum esset.

Ab hac tamen sententia dissentimus primò, quia quod Hermetici spiritibus è cœlo delapsis tribuunt, nos principio quodam vitali insito, spiritui nempe innato, humidóque radicali assignamus, quæ ex sanguine & semine, nostræ generationis principiis proximè prodeũt; quorum tamen calor non est planè cœlestis, vtpote cum elementis magnam cognationem habeat, in quæ tandem corpus ex his conflatum resoluitur. Sed si illæ substantiæ agant, forsan qualitates elementares erunt inutiles.

Ad hæc Quercetanus illos hallucinari vult, qui externis illis frigidis aut calidis qualitatibus, ad eiusmodi effectus producendos immorantur; tum demum, inquit, hæc frigora & calores vim ad agendum obtinere, cùm huiusmodi spiritibus stipantur: probatque hoc, quod satis testantur frigidi illi spiritus Saturni, qui ardentissimos solis radios æstate mediâ confringunt. Respondeo id contingere à ventis borealibus qui excitant aëris frigiditatem, non verò illi spiritus. Pergit de Austro, qui non quatenùs calidus & humidus caput grauat; sed quia in illo virtus quædam opiatica à soporiferis spiritibus adsit. Hi enim sunt spirituales effectus, qui ex Astris cœlestibus perpetuò in hæc inferiora influunt. Ergo qualitates superfluæ, cùm nihil efficiant absque spirituum facultatibus, & impulsibus. Hinc quatuor qualitatum actiuitatem ab Aristot. probatam impugnat, & ante ab Hippocr. qui eum ætate præcessit, vt ait Galen. primus omnium tum medicorum, tum Philosophorum demonstrauit, quatuor esse omnes, quæ in se agerent qualitates; à quibus quæ genitum interitúmque agnoscunt, gignantur ac perimantur. Proinde spiritus sunt substantiæ pulsantes, & impetum facientes in omni motu & generatione: verùm hi non agunt immediatè, sed per qualitates illas quæ in proprio subiecto nobiliori, vel ignobiliori comprehenduntur; hinc omnis ἐντελέχεια & agentium ἐνεργεία proficiscitur.

Lib. 2. de gener. c. 2. Lib. 1. de facult. nat. c. 2. Hippocr. 1. de nat. hum. tex. 11. & 12.

Secundò discrepamus de illa δύναμι οὐσιώδη potẽtia essentiali, quam Hermetici cẽsent esse spiritus. Nam potentia essentialis dicitur Aristotelicis quæ sequitur essentiam, neque est in Categoria substantiæ, vt ille scribit, sed in qualitates secunda specie, facultate scilicet naturali: spiritus autem iuxta Hermeticos substantiæ sunt quæ à cœlo deriuantur. Distinguit itaque Quercetanus inter primum actum, seu potentiam essentialem, quæ non est ipsamet substantia corporea & integra rei, sed aliquid essentiale & potentiâ vigens, ac efficax ad actum in ipsa substantia existens, quæ nunquam ab ipsa separatur; propriumque πάθος idcirco appellatur: & secundum actum δυνάμεως, quis

In fine c. 10.

qui dicitur energia seu actio: potentia nempe naturalis, quæque dependet à temperamento, siue crasi.

Præterea hi spiritus cùm sint instrumenta, non sunt scientiâ Mechanicâ instructi: nam cùm sit causæ precipuè agere, atque iuxta Hermeticos, natura est vis diuina; ergo eius est agere, & scire agere, & non spirituum. Sunt ergo spiritus simpliciter instrumenta: congeniti verò & innati spiritus qualitatibus & temperamentis donantur, vnde vis cuiusque rei balsamica procedit. Quantum ad scientiam spirituum, dicit eandem esse cum potentia essentiali, quod absurdum est; nam sciëntia dirigit, spiritus dirigitur in agendo à cognoscente particulari, aut generali; vt opus naturæ sit opus intelligentiæ secundum Philosophos. Quare ex eorum doctrina idem erit quod dirigit, & quod dirigitur; instrumentum & agens præcipuum; quæ absurda sunt.

Tertiò quorsum ad spiritus illos æthereos confugiunt, & remotissimè è cœlo repetunt, quę penes nos, & præ manibus habemus; vt multis vitium hoc commune sit, quod ex internæ corporum Anatomiæ ignoratione procedit. Si quis enim spirituum naturam insitam & congenitam examinauerit, illorum vires conspiciet: spirituum ergo naturam quam caloris subiectū proposuimus, hûc explicare promisimus; relictâque animâ mundi fictitiâ, necnon illâ quintâ essentiâ cœlesti, ad solidam medicinæ Hippocraticæ veritatem adeamus. Calorem natiuum substantiæ corporis spirituosæ inhærentem, & cum humido radicali coniunctum dicimus esse instrumentum formæ, & inde omnes operationes, virtutes & proprietates ac dotes emergere. (*Notabile.*) Certum enim est accidentia pro more subiectorum suorum se habere: hic ergo calor cùm insit spirituosæ & humidæ substantiæ, quæ ex generationis nostræ primordiis, ipsisque elementis profecta est, cur elementaris non erit? annon alimentorum benigniore parte, aëris inspiratu, ignisque nostratis præsentiâ conseruatur & augetur, à frigore autem velut contrario extinguitur, & actione diuturnâ ita repatitur, vt tandem euanescat. Ergo elementaris huiusce, & mutationi obnoxiæ materiæ naturam participabit.

Secundum tamen est cùm attribuimus actionem corporum naturalium calori natiuo, nos non excludere temperaturam & qualitates elementares caliditatis, frigiditatis, humiditatis, & siccitatis participes, quæ tamen in illis non agunt ὁμοειδῶς, vt facit ignis imprimendo calorem alicui subiecto, vel nix frigiditatem: sed operantur καθ᾽ ἐντελέχειαν, eâ virtute & efficaciâ seu facultate quam habet à forma substantiali; cui tamen hæc materia rectè disposita aptè subiicitur, & οἰκεία ὕλη seu propria & adæquata materia dicitur: quæ in plantis & animalibus non sine causa statuitur esse spiritus insitus, humidúmque quod symphitum & radicale appellatur, calidumque natiuum. Experientia enim docet plantas, & animalium partes, quamdiu spiritu, oleosâque illa substantiâ turgent, vires suas vtiles retinere: cùm verò humidum illud oleosum, spiritumque insitum amittunt, cariosa & exsucca redduntur, etiam ἔξιτηλα euanida fiunt, & omnes vires amittunt. Non quæras ergo hîc qualitates actu in elementis, sed poten-

tiâ & ἐνεργείᾳ, neque solas, sed in subiecto nobiliori repositas; quare non solas qualitates elementares facultatum corporum naturalium causas esse statuimus; sed illas cum subiecto coniunctas & cohærentes virtute cuiusdam formæ & substãtiæ, admirabiles illas actiones producere, & proprietates atque dotes incomparabiles obtinere: vnde hæ qualitates cœlestibus similes esse dicuntur. Hinc est quod Hippocr. dum ostendit formationis partium principia, non soli calori, aut aliis qualitatibus tribuit, sed simul materiæ pingui, viscosæ, humidæ, aut alterius qualitatis adscribit, & pro illius varietate multipliciter corporis partes fabricari; vt inde constaret non ex solo accidẽte opus formationis prodire; sed ex qualitatibus certâ substantiâ coniunctis. Et cùm de causis febrium agit, quod non à solo calido homines febricitent, neque hoc sit vnica afflictionis causa; verùm idem est vnà amarum & calidum, aut calidum & acidum, & salsum & calidum, & alia innumera. (quod de humoribus calidis, bile scilicet flauâ, vel atrâ, aut pituitâ salsâ intelligi vult) hæc itaque sunt quæ lædunt, quibus cunctis iunctum est calidum robore præditum (in deducendo, irritando, & augendo) communi cum illis: peculiarem verò aliam vim maiorem nullam, quam conueniat videlicet habens. Hinc colliges actiones naturales vel præter naturam ab aliis causis quàm à solis qualitatibus fieri, vtpote quatenus in substantia tanquam in subiecto apto insunt, cuius deinde virtute benè vel malè agunt, sub formæ cuiusdam nobilioris imperio.

Lib. de carnibus.

Lib. de veteri Medic. post med.

Quartò dum Hermeticæ sectæ fautores volunt spiritus extrahi è tribus principiis Chymicis, veluti quartam substantiam, subtiliorem, tenuiorem, & magis actiuam: quorum alij corporaliore formâ, alij spirituosiore exhibentur. Asseruntque spiritus Mercuriales vaporosos & aquosos volatiliores esse, & qui omnium primi è corpore exhalant: salsuginosos ac fuliginosos omniũ maximè corporeos esse (meliùs dixissent crassiores; nam corporea substantia non suscipit magis aut minùs) quique postremi ex corpore diuelluntur, neque id citra ingentem ignis efferuescentiam. Denique statuunt sulphureos, oleaginosos, & halituosos qui volatilibus & fixis, tanquam intermediæ copulæ, glutinis instar intercedunt, vtrorumque naturæ participes esse, nihil noui repræsentant, cùm omnia orta à suis principiis, eorum naturam quam in se retinent, & attestantur redoleant: quæ educunt Chymici & separant suâ arte ex quolibet mixto, sunt substantiales partes interioris craseos, quæ principia nuncupantur. Id ergo substãtiam rei dixerunt in spiritu congenito, calido natiuo, & humido primigenio, inter se indissolubili vinculo iunctis consistentem. Eamque substantiam nominãt modò liquorem, oleositatem, aut salem essentialem; seu aliàs Mercurium, sulphur, & salem: quæ omnia cùm partes corporum sint temperie suâ constitutæ, & proinde elementares, non solùm cortice & domicilio; sed formaliter & ἐντελέχεια; spiritus etiam hisce partibus cohærentes, naturam suorum principiorum quæ elementaris est, retinebunt. Si tamẽ spiritus habeant aliquid cœlo cognatũ; hoc ex proprio seminario participant.

3. *Argu*

3. Argumenta aduersariorum refelluntur.

Obiicitur primò omnes rerum actiones potiùs esse spiritibus tribuendas, quàm formæ & toti substantiæ, & multò minus aliis qualitatibus elementaribus; quod probatur ex istorum spirituum effectibus. Quum sal petræ suâ terrâ, quâ continetur & generatur, conspurcatus adhuc est, & sulphur suâ minerâ nondum exutum & defæcatum: vtriusque agendi vis vsq; adeò languet obtusa, ob substantiarum corporalium & terrestriũ, quibus deuinciuntur mixtionem, vt ne flammam quidem possint concipere: at cùm suis corporum vinculis soluta & expedita sunt, simulque miscentur: palam est quantis agant viribus, quantóque potentes eorum virtutes impetu sese exerant. Hinc concludere nitũtur istum magnum impetum esse ab spiritibus, non verò à formis aut qualitatibus actiuis. Præterea id ostenditur ex spiritu salis, cuius vnciæ duæ aut tres auri drachmam, aut etiam plures vno momento in aquam soluere possunt. Neque obiiciendum est salis acrimoniâ id fieri, nam præter acrimoniam adsunt hi spiritus, vt apparet in aqua forti quę postquam ad argentum dissoluendum applicata fuerit, acris quidem perstat; at spiritibus spoliata nihil ampliùs efficit: neque omnia viribus validioribus donata sunt acria, vt videre est in floribus Antimonij spiritualibus, omni acrimoniâ priuatis, quorum tamen grana tria vorata atrociter corpus concutiunt, & diuexant. Quod in metallis etiam conspicitur istis spiritibus præditis, quorum respectu mirabiles effectus operantur: hos etiam in aquis metallicis thermalibus spirituum copia plenis cernere possumus. Respond. cum Hippocr. spiritus quidem qui in corporibus insunt flatus nominari, qui vero extra corpora aër: vt ostenderet partes tenuiores mistorum quæ ab humido coagulato proueniunt, non esse illos spiritus æthereos, sed tantum partes aqueas elementares. Verùm hoc humidum duplex est, nempe, fluidum siue manans, & vaporosum seu spirans: illud in mixtis inanimatis potissimùm viget, & duabus constat partibus crassioribus scilicet, & tenuioribus: hæ autem non apparent, quia per ignem fusum metallum actu apparet liquidum & fluidum, quod quum vi caloris graduati in vapores sublimatur, tunc per nouam ignis actionem, in flatus & halitus immutatur, & induit naturam humidi vaporosi, quod cõponitur ex partibus rarioribus, nullámque figuram prefinitam habentibus, atque continuò ascendendo mouentur, quoad occurrerint frigiditati, à qua condensantur. Habet ergo subtiles partes quæ producunt effectus corporum tenuium, sunt namque inflatiuæ. Ergo sunt spiritus? Respond. si nomine spiritus intelligas partes subtiliores humidi fluentis & vaporosi, concedo: si verò censeas esse spiritus æthereos, nego. At dices habent effectus admirabiles, & supra naturam elemẽtorum, esto? quia subeunt varias mutationes; & quasi nouam naturam induunt cœlo cognatam, ex seminario corporum mixtorum deductam. Vnde non est mirum si puluis bombardarius fit adeo impetuosus, quod non aliunde proce-

Lib. de flatib.

dit quàm ex partibus ſubtilioribus mixti, à craſſitie defæcatis; vnde aëris & ignis, non ætheris naturam participant, & ideo flammam facilè concipiunt. De ſale ſupra reſpondimus, cùm fixum ſit à calore coagulari, & ab humiditate diſſolui; & vi ignis liquorem quendam emittere, qui vocatur Mercurius ſeu ſal volatilis. Hic nihil aliud eſt quàm pars ſalis vaporabilis, quæ in liquorem tranſit aqueum, elementarem, non æthereum: & licet vim validiſſimam habere dicatur diſſoluẽdi metalla: hæc virtus acida quæ in eo eſt, vel Mercurialis nominatur, non aliunde quam ex ſuo ſeminario procedit.

Cap. 1.

Quantum ad Antimonium certum eſt eius validiſſimos ſpiritus, ex nulla alia materia produci, quàm ex illo fumo virulento & arſenicali, qui cum humida eius ſubſtantia vaporabili coniunctus, in flores antimoniales coagulatur. Sed non proinde hęc ab elementaribus mixti partibus diſcedunt, aut ſpiritus ætherei naturam aſciſcunt.

Lib. 4. Archidoxor.

Eadem eſt ratio omnium metallorum, quæ licet ex doctrina Paracelſi habeant in ſe perpetuam eſſentiam & vitam, nec moriantur: ſed quamdiu hæc metalla ſunt & lapides, tamdiu eorum vita protrahitur. Quare perfectas quintas eſſentias exhibent, quæ pariter ex illis extrahuntur. Attamen ſi eorum materiam & originem attentè conſideremus cum Ariſtot. & aliis Philoſophis, certum eſt corpora metallica generari ex halitu ſeu vapore & exhalatione terræ & aquę: iſtúmque vaporem coagulari gradatim in ſuccum metalleſcentem, à propria vi metallifica, quæ adiuta à corporibus cœleſtibus, & variâ ſuccorum diſpoſitione in metallum durum & perfectum euadit; cuius nulli alij ſunt ſpiritus quàm ſubtiliores illorum partes intra corpus fixatæ, elementorum naturâ ex quibus emergunt, redolentes. Nec proinde alia principia in ipſis reperies, ſiue in fumos, ſiue in aquas, olea, aut ſales per artem Alchymiæ reduxeris; dicimus hæc omnia ex heterogeneitate ſubſtantiæ metallicæ prodiiſſe, quæ ante elaborationem & ſeparationem, in metallo poteſtate continebantur; nihilominus vi ignis in actum deducta fuiſſe, tanquam partes potentiales illius mixti. Sed ſpiritibúſne conſtant? quidni? ſi ſubſtantias illas ſubtiles actu ſegregatas, vim inflatiuam & pulſantem habentes, ſpiritus vocare volueris. An verò vitales ſint? forſan lethales potius, vt ſæpe experientiâ multorum damno conſtat: quum neque à principio vitali prodeant; nõ enim in metallis eſt vlla forma viuens, quæ poſſit actiones vitæ, accretionis, nutritionis, aut generationis præſtare. Scio hæc non arridere Chriſopœiæ fautoribus, qui cenſent ex Mercurio tanquam metallorum ſpermate, & ſulphure ipſum coagulante, vi ignis graduati ita metallum animari, vt omnes eius partes in perfectum metallum conuertat. Chymici & Paracelſiſtæ vitæ nomine abutuntur, dum dicunt metalla & alia etiam viuere, quæ conſtant ſpiritu, ſemine & energiâ quadam, vnde fluunt illorum colores, figuræ, & proprietates. Nos verò cum Ariſtotelicis vitam concedimus rebus animatis actum corporis organici habentibus.

Obiicitur ſecundò quorſum tam admirabiles ſpirituum virtutes, cùm nulla ſit metallicorum ſpirituum

cum

cum microcosmicis affinitas, nec consortium: cui obiectioni respondent, admirabilem rerum omnium tam metallicarum, vegetabilium, quàm animalium conspirationem; istorum originem similem, & vnanimem causam demonstrare. Ex eodem scilicet spiritu æthereo velut primo motore, omnia animante, & vitâ perfundente promanare. Quod ita probant: hæc enim balsamicalis natura, siue astralis æthereúsq; spiritus, ex influentiis corporum cœlestium, & potissimùm solis prodiens, in elemẽtalem naturam simplicissimam priùs se effundit: deinde hęc in mineralem vires suas exserit; in qua dicitur esse vaporosus quidam humor subtilis, balsamicus, nitro-acetosus; hunc vaporem natura vegetabilis, hoc est plantæ exugunt, eoque aluntur, & in suam naturam transmutant: ita tamen vt magis hunc subliment, & vitaliorem, spirituosiorem, & magis æthereum reddant. Natura autem sensitiua & animalis à vegetabili, hoc est à plantis tanquam ex suo alimento, spirituosum illum vaporem excipit, quem longè pręstantiorem, omnibúsque modis perfectiorem, spiritualiorem, longéque ab ea substantia quæ in plantis fuerat, discrepantem reddit. Etenim substantia hæc balsamica vegetabilis, nobilísque quinta essentia elaboratur in pelicanis, & vasculis vitalibus naturæ sensitiuæ, multò perfectiùs quàm quæ in plantarum naturalibus ventriculis coqui, & perfici solet.

Verùm ad quid hæc demonstratio, nisi vt ostendant cunctas naturæ proprietates, & vires ex illa mutua rerum conspiratione, ab vnico solo & cœlesti principio, spiritu scilicet æthereo promanare; à cœlis ad elementa, ab his ad mineralia & metalla, à metallis ad plantas, ab his ad animalia vsque peruenire. Quod si ita est respondeant quæso quomodo substantia illa cœlestis tot formas rerum corruptibilium suscipiat: quòd si eadem maneat quomodo transmutatur. Præterea si substantia est, nónne suscipit magis & minùs, cùm in plantis spiritualior euadit, quàm in mineralibus: & in animalibus magis æthe-rea quod est absurdum. Nam propter quod vnumquodque tale & illud magis: at spiritus cœlestis qui in elementis consistit, cœteris mixtis per posteriorem mutationem gradatim communicatur iuxta illos: Ergo quò propinquiùs à suo principio procedit, eò magis naturam propriam retinet, & proinde in posterioribus nobiliorem non acquirit. Hinc colligimus spiritum internum hominis non esse sydereum, & astralem: quia quod est corruptibile & mortale non est cœleste; atqui spiritus internus hominis est corruptibilis. Ergo non est cœlestis.

Ad hæc animaduersione dignum est ex authore Cosmopolitæ, cùm obiicitur ex sententia Alberti Magni narrantis suis temporibus aliquot auri grana in dentibus cadaueris fuisse comperta; qui causam huius prodigij tribuerat virtuti minerali, quam in homine contineri profitebatur. Hoc tamen ita se habere non potest: nam virtus mineralis in suo regno & familia coërcetur, sicut vegetabilis & animalis in sua. Nam ex illo Chymico Anonymo citato, tria regna seu tres familiæ in natura constituuntur, & vnumquodque in seipso multipli-

Tractat. de sulphure.

catur, non in aliud subingrediendo. Hinc apparet quod in vnoquoque corpore tanquam in proprio regno, verbi gr. animali adsunt materiæ & formæ animales, & non minerales. Nam si in homine nullum esset humidum radicale, nec spirituosa substantia, nullúmque calidum innatum, sanguis in carnem & ossa transmutari non posset. Sic etiam in plantis si nullum esset humidum oleosum, nec spiritus insitus; partes illarum aqueæ vegetabiles in substantiam herbarum & arborum non concrescerent. Sic in minerali regno est intelligendum à propriis succis metallicis metalla produci. Et proinde sequitur quod succus metallicus in plantæ alimentum facescere non potest, neque planta in partem viuentem, nisi in sanguinem humorémque illi proportionatum priùs transeat. Maior autem est proportio vegetabilis cum animali, quàm mineralis.

Quòd si aurum iuxta dentes inuenerint aliqui, hoc ex accidenti contigit, propter inhærentiam cuiusdam succi metallici illùc collecti, qui deinde ex propria sua dispositione auri naturam comparauit: non quod virtus mineralis in homine reperiatur. Prædictus author opinatur huiuscemodi aurum ex Mercurio quo per vitam ille vsus fuerat, in dentibus post mortem collecto, deinde purificato à corrosiuo phlegmate corporis; postea à proprio sulphure in Mercurio contento in aurum coagulatum fuisse. Et si animal vim metallificam haberet, hoc non in vnico contingeret homine, sed in pluribus obseruaretur. Quòd si metallica agant in corpus humanum, suisque salibus quibus abundant, coagulent vel dissoluant humores in vasis contentos, hoc non arguit naturæ mineralis participationem, nec proinde spirituum cœlestium mutuum consensum; cùm sufficiat spiritus naturalis elementarem naturam obtinens, cœlo tamen cognatam.

Obiicitur tertiò alia differentia spirituum impuriorum, ab excrementis rerum & earum impuritatibus, tanquam illorum matricibus, & seminariis prodeuntium: ex quibus vermes nascuntur in fructibus arborum, & humanis corporibus; imò & morbi hæreditarij per spirituum illorum traductionem generantur. Hinc concluditur noxios istos spiritus habere aliquid æthereum, licet ex accidenti noxium, ob actiuas illorum qualitates quibus donantur; nam alij spiritus vaporis nomine, aura venenatæ, & halituosæ substantiæ titulo adscripti superioribus oppositi, sunt quædam spiritualia corpora ἐξίτηλα euanida, nullius efficaciæ ac virtutis, omnique scientiâ destituta: vt quæ vanis tantùm & emortuis etiam qualitatibus innitantur, vnde egregius nullus eliciatur fructus, qualis ex vera spirituum balsamicorum, siue vtilium, siue noxiorum energia prodire solet. Respond. spiritus impuriores naturæ destructores potiùs quàm conseruatores nihil cœleste continere: imò cùm variis modis spiritus vitales aggrediantur, mortem adferunt. Hinc docemur à posteriori, & ab effectis; quod si eorum effectus sint similes elementaribus, propriũque illorum sit dissoluere atq; corrumpere, hos spiritus impuros elemẽtaris naturæ esse participes: quod si animalcula inde generentur, id fit virtute caloris natiui & spiritus ma-

teriam

teriam putridam agitantis, donec perfectionem & ἐντελέχειαν producat. Neque traductio labis hæreditariæ arguit radices illas vitæ à spiritu æthereo prodire, quin potiùs ipsiusmet spiritus caducitatem, & elemẽtariam sortem insinuat, quam Hermetici etiam fatẽtur: cùm mors sit separatio & consumptio spiritus istius radicalis vitæ balsami; morb verò viæ sunt ad mortem.

Concludimus, spiritus esse actionum instrumenta, quatenus partes córporeæ sunt calore naturali instructæ, quæ potissima est craseos qualitas, cui debetur actio & virtus in ordine ad formam cui ministrat.

De humido primigenio, & in quolibet viuente triplex humidum inesse ostenditur.

CAPVT VII.

1. *Humidi ad vitam necessitas, eiusque differentiæ ad mentem Chymicorum & Medicorum exponuntur.*

PHYSICI pro comperto principio tenent in homine duo alimentorum genera inesse: vnum oleaginosum & viscosum, quod huiusce est conditionis, vt quò magis coquitur à calore moderato, eò magis incrassatur, & densior euadit, donec in gluten commutatum in partem viuentem transformetur ad reparationem substãtiæ solidæ, quæ à calore innato prædominante assiduè consumitur atque resoluitur: sicque sanguis conuertitur in humorem innominatum, rorem, cambium; & gluten, antequam vitæ gradũ subeat, euadens semper crassior & viscidior pro stabilitate partium: spiritus enim fit corpus, & corpus fit spiritus. Aliud alimenti genus est aëreum, possidétque conditionem priori ferè contrariam; quod faciens aliquam complexionem, & leuem vnionem cum sanguine subtili & benigno, quantò magis alteratur & coquitur eiusdem caloris innati beneficio, tantò magis tenuius & subtilius efficitur, quo spiritus implantatus fouetur & connutritur, reparans hoc modo portionem calidi & humidi innati consumptam in substantia carnosa & humida.

Hinc desumitur vtriusque principij calidi & humidi necessitas ad vitam: de qua loquens Aristot. inquit, omne animal naturâ humidum & calidum esse, ipsumque viuere eiusmodi esse. Tanta enim in animalibus est humidi ad patiendum, & calidum tuendum necessitas: quanta est calidi ad agendum vtilitas; nisi enim calida & spirituosa substantia humidi sibi familiaris permistione detineretur, citò euanesceret, & præ tenuitate exhalaret. Quare humor caloris pabulum, & sustentaculum esse dicitur. Cùm enim calor quasi gubernator vitæ nostræ esse debeat, in humido stabili ipse cohærere & consistere omninò debuit, vt vita diutius protrahi possit: humido scilicet oleoso & calido, quod partium similarium fibris

Lib. de longitud. & breuit. vita c.3.

fibris & staminibus insertum est,& humidũ radicale nominatur, quod veluti radix sit vitæ, ἀρχήγονον, πρωτόγονον primigenium, σύμφυτον ἔμφυτον quasi à prima origine partium similarium substantiæ insitum sit. Cùm enim spermaticæ partes naturâ & generatione priores sint, vnde πρῶτα μόρια appellantur, vtpote quarum quasi παρεγχύματα sunt sanguineæ:manifestum est in spermaticis à primo ortu fundari humidum illud primigenium & radicale, calidúmque natiuum.Etsi verò cuilibet parti suum sit calidum innatum;tamen principatus calidi natiui & humidi radicalis in corde est, quod ex spermatico humore, seu solida fibrosa substantia, & calido admodum sanguine concretum est: vnde Galen. ἑστίαν τοῦ ἐμφύτου θερμοῦ focum calidi innati nominat.Ab eo enim tanquam foco calor influens, quo corpus animalium ad tactum calidum apparet, in omnia membra diffunditur.Prętere humidum nobis inesse testatur,partium nutriendarum mollities, ob humidi insiti copiosam perfusionem, sine qua commodè enutriri non possent, vt videre est in senibus, quorum partes siccæ cùm extendi nequeant, vitale incrementũ haud suscipiunt. Contra verò pueri quia humidissimi sunt,non aluntur solum,sed plurimùm etiam incrementi accipiunt. Hoc etiam humidum in nobis contineri demonstrat substantię deperditæ reparatio, ab alimentis humiditate plenis proficiscens: quæ vt liberiùs distribuerentur,& vt humidum deperditum resarcirent, non exiguum à natura humorem retinuerunt.

4. Physis. cap. 3. Fernelius exemplo corporum quę incenduntur, calidi & humidi materiam repræsentat; compertum etenim est triplex esse flammæ pabulum: vt enim flamma fumosâ substantiâ,ita & ambiente aëre fouetur atque sustinetur;pręter hæc tertium illi fomentum & pabulum confertur ex propinqui quadam materia, cuiusmodi in lucerna est oleum. Hoc quidem corporum omnium celerrimè inflammatur,quod tenui substantiâ, multo aëre spiritúque perfusâ continetur: quantò enim vnumquodq; ad olei naturam propiùs accedit, tantò magis inflammationi aptum est. Quod præter vulgarem veterum sensum experientiis multis confirmare contendit. Nullum enim corpus est ad inflammationem propensum, ex quo sincerum arte oleum elici non possit: atque in animalibus nulla pars est siue os, siue neruus, siue membrana, aut caro: nihil denique in stirpium aut animãtium genere vitam habuit,quod non possit oleum de se profundere:huius etiam causâ quæcunquę viuunt inflammari posse compertum habemus. Quinetiam inanimorum genus quæ cõplectitur inflammationi subiecta, eadem quoque oleo sunt finitima nam sulphur quicunque metallorum naturas perscrutantur, terræ adipem,vel oleum appellant, quod moderato calore coctum cogitur atque concrescit. Ergo quæcunque viuunt aluntúrque corpora, pinguem & oleo similem continent humorem.

Hoc humidum illud est quod Chymici vocant sulphur, alterum rerum principium, humidum dulce,oleaginosum,viscidum,substantificum,primigenium, ignis seu caloris naturalis pabulum,leniendi & agglutinandi vi præditum. Verùm

in omnibus partibus viuentibus prĉter pinguem & olei similem humorem, alium reperiri censuit Fernelius, qui minimè est ad inflammationem idoneus, húncque alimentarium vocat. Ab hoc demum diuersus est aqueus humor, quo tanquam visco terrenæ corporum partes iunctæ cohærent, quique rerum omnium ex elementorum permistione concretarum est communis, nihilque commercij habet cum calore & spiritu; primigenius autem est cum calore cœlesti coniunctus, & cum alimentario propriam partium substantiam complet, & proinde à priori elementari longè discrepat.

Nos verò triplicem in nobis existentis humidi distinctionem, ad Philosophorum & Chymicorum mentem sequenti dogmate decernimus. Ea enim viuentium membrorum portio, quæ inter heterogeneas singulorum partes humida per excellentiam appellatur; etsi id habeat vt sit animata, quia tamen perenni actione calidi sibi consociati inæqualiter alteratur, nõ vnius est conditionis, vt eleganter exposuit doctissimus D. Merindolus prĉceptor col. illa siquidem eam varietatem sortitur: vt pars aqueam consistentiam imitata, aqueus humor appelletur, quem alij alimentarium nominant: pars verò eiusdem pinguior, oleagineus humor nuncupetur: pars demum cuius ope exsiccati corporis reliquiæ cohærescunt, sibi Chymicam salis vocem vsurpet, cui alij humoris aquei nomen indiderunt. Quorum primus, vt per morbos facilè absumitur: sic postmodum in conualescentibus non difficilè reparatur. Secundus per febres malignas & ardentes colliquatur; vel pingues reddens excretiones, vel in olei modum vrinis innatans. Tertius vel extremâ putrilagine dissoluitur, vel summè exsiccatis aut deustis corporibus, affusione humoris cuiusdam serosi prĉterfluetis ad lixiuij instar colliquatur. Tota verò ea humida substantia, si ad elementarem crasim respiciamus, etsi maximè aquæ & aëris participet: aliorum tamen etiam redolet permixtionem. Singulæ verò eius differentiæ eâ aquæ & aëris varietate participant; vt prior quidem à sibi consociati calidi breuiore alteratione excocta, maximum habeat cum aqua commercium, vnde nomen accepit. Posterior verò à diuturniore coctione, & attenuatæ terreæ substantiæ aliquantò maiore permixtione, crassitiem & lentorem cœteris maiorem acquirat. Media demum ex vberiore aëris miscella, & absolutissimæ coctionis mediocritate pinguis euadat. Aquea humidi portio tota alimentis debetur accepta: oleaginosa autem, & ea quæ salis nomen mutuatur, partim à primis generationis principiis, partim ab alimentis orta, nec tam promptè absumitur, nec tam facilè reparatur. Verùm qualiscunque ea sit varietas, totius humidi confusa est & indiscreta in viuente congeries, quâ nostri corporis membra intimè perfunduntur, hísque omnibus muneribus fungitur, quæ à nõnullis variis eius portionibus speciatim assignantur. Non enim vt perperam censuit Villanouanus, alia est species humidi quo primordialis massæ elementa continuantur, alia verò alterius quod nobis viuentibus & animatis inest. Idem namq; & continuationem, vt mixto tribuit; & vitæ pabulum, vt ani-

Cap. 9. lib. 6. Physiol.

Lib 1. de humido radicali, c vlt.

manti ſuggerit. Neque viſcidus & tenax ille humor (aqueus Fernelio) ſalis voce à nobis expreſſus, licet ſit firmius continuitatis vinculum; is ſolus eſt quo terrenæ corporum partes iunctæ cohærent, vt prædicto authori placuit: ſed ſingulæ relatæ humoris ſpecies ad debitam humano corpori continuitatem tribuendam, ſuum conferunt officium.

Humidum quod ſub explicata varietate ſic noſtris corporibus ineſt, vt ſubſtantiæ membrorum ſit portio, ſolidarum partium integritatem compleat, atque animatum ſit & viuens: partim ex materialibus noſtræ generationis principiis, ſemine & materno ſanguine, nobis connatum ingeneratur: partim per ætates ſenſim ex alimentis membris adnaſcitur. Illud vulgò πρωτόγονον καὶ ἀρχήγονον τὸ ὑγρὸν, ſeu primigenium & radicale humidum appellatur; nonnulli tamen radicale à primigenio diſtinguentes, radicale totum illud appellant, quod in nobis ineſt, ſeu à prima origine connatum, ſeu ex cibis ſit acquiſitum, cui calidum infixum, ſeu calida ſpiritus fixi ſubſtantia ideo familiariùs aſſidet: quod cùm pinguia omnia aëreæ ſubſtantiæ plurimùm participent, eiſdem tenues ſpirituoſæque ſubſtantię facilè permiſcentur. Animatum autem illud calidum humido radicali permiſceri dicimus, quia licet ambo partem ſolidam conſtituant, & ſe mutuò tueantur; attamen non eadem eſt vtriuſque ſubſtantia: quamuis alij aliter cenſeant, & ſæpè apud antiquos & Galen. vnius voce ambo comprehendantur. *Comm. in lib de nat. tum. text. 13. & 1. ſimp. c. 11.*

2. *In qualibet parte ſpirituoſum, humidum, & ſolidum quid diſtingui.*

Mirum non eſt nos præter illorum vulgarem ſententiam cenſere, aliam eſſe in nobis calidi, aliam verò humidi ſubſtantiam. Quamuis enim admittamus nullam ſenſibilem partem viuentis aſſignari poſſe, quæ calorem humorémque quodammodo non participet, addimus tamen nullam partem reperiri quæ heterogenea non ſit, & diuerſæ cõditionis ſubſtantias non retineat; licet minima corporis pars eadem omnia habeat, quæ & maxima iuxta Hippocr. partium ergo corporis quædam ſpirituoſa eſt; alia quod intenſiorem humiditatem cœteris à natura ſortiatur, humida ſeu humoroſa appellatur. Tertia demum ſolida nuncupatur. *Lib. de loc. in homi. in princ.* Quas cuicumque proteruiùs ab inuicem differẽtes eſſe neganti, ſpagyria pauco labore ſeparatas monſtrabit, atque ideò priùs inexiſtẽtes, & ſimul mixtas fuiſſe conuincet. Quinimò mixtis ac viuentibus commune eſt; vt cùm vel à natura; vel arte diſſoluuntur, tenuem & ſpirituoſam quãdam ſubſtantiam primùm exhalent: tum humidam aut liquabilem portionem contineant; quâ ſecretâ terreum demùm quoddam reſtet craſſamentum.

Quarum quæ ſpirituoſa eſt & tenuis portio, tum vaporum materia, effuſorúmque odorum ſubiectum: tũ in quibuſque medicamentis maioris actiuitatis ſubſtantia, de qua Meſuë, illud quo medicamur ſubtilis eſt ſubſtantiæ. *In Aphoriſ.* Eſt verò hæc portio ſpirituoſa in viuentibus, inſitus membris ſpiritus, & caloris primarium

rium princépsque subiectum. Posterior verò pars solida seu crassamentum, soliditatis omnis & firmitatis membrorum basis existit. Vtriusque autem est vinculum, media illa humida substantia, quæ spirituosam quidem portionem suo amplexu continet, & ne affatim exhalet remoratur: terrestre verò crassamentum ex se solutum, miniméque cohærens continuat: atque ab alterutro re & ratione distinguitur. hinc Lucretius. *In quouis animantium viscere vulgò, est odor, & quidam calor, & sapor: & tamen ex his omnibus, est vnum perfectum corporis augmen.*

Lib. 3.

Ab hac doctrina parum videntur discedere Chymici, qui tamen variis vocibus eandem rem explicarunt, asserentes in corpore hominis materiali tres esse radicales ac balsamicas essentias, ex quibus tum continentes corporis partes carnosæ, & solidiores; aliæ tum contentæ spirituales videlicet & fluidiores partes compinguntur, nutriuntur, & vitam suam hauriunt. Sal solidarum omnium partiũ radicale principium est: vtpote animalis semini quid insitum, solidas partes compingens & coagulãs. Sulphuris verò dulcis radicale principium, quod humidum primigenium ac oleaginosum est, in homine reperitur. Nec secùs radicalis Mercurius spiritualis & ęthereus, qui quidem est ille spiritus innatus vniuscuiusque partis, proximum animæ instrumentum, animalis vitam conseruans, à parte sulphurea nutritur & sustentatur.

Lib. de ... in ... in ...

Hæ autem partes prima mixtionis elementa materialiter continent, licet formaliter elementa nõ sint, sed mixtionis quandam rationem redoleant. Nostra enim corpora in nullum sensibile primum resoluuntur, quod purum sit elementum.

In Aphor...

3. De origine, materia & subiecto calidi natiui, & humidi radicalis.

Ex prædictis colligimus primam calidi natiui, & humidi radicalis originem eductam fuisse à semine vtriusque parentis, & benigniore menstrui portione, quæ calore hoc, & humore multo abundant, vnde non solùm crassiores & solidæ corporis nostri partes primùm constitutæ fuerunt, sed etiam spirituosæ, & humorales, quæ calidi huius innati substantiam constituunt. Verùm cùm calor iste natiuus suum perpetuò absumat pabulũ, diu perdurare non poterat, nisi perpetuâ quadam restauratione, quantum fieri potest conseruaretur. Hanc igitur præstant res illi consimiles & congeneres, vtpote calor ille cœlestis, & circunstantium nos elementorum qualitates, pręcipuè verò aëris, cuius benigno inspiratu & commodâ ventilatione spirituosa substãtia resarcitur, calor temperatur, & à suis fuliginibus repurgatur. Materia verò humida primigenia & radicalis reficitur, ex benigniore alimentarij succi portione, ex cuius veluti sinu suscitatur gratus ille vapor, quo totum corpus decoratur, & solidę partes humectantur.

Qua enim ex parte humor alimẽtarius magis est aëreus, pinguis, oleosus facescit in locum absumpti primigenij, & quodammodo illius naturam quãuis imperfectè repræsentat; quatenus verò est aqueus reficit partium humiditatem aquosam, cuius beneficio caloris impetus retardatur, ne tam cito humidum

illud pingue & aëreum depopulari queat, quemadmodum videmus saccharo, melle, aut oleo permixtam aquam, dum coquuntur absumi, illis permanentibus, aut parum immutatis. Ex hac ergo caloris natiui, spiritus insiti, humidique radicalis reparatione vita hominis perennat, & in indiuiduo propagatur, quatenus hęc sibi mutuas conferunt operas, & admirabiles producunt effectus, non solùm in prima partium plasmatione, sed etiam deinceps in corporis nutritione, accretione, seminis prolifici generatione, necnon morborum profligatione, periodorum & paroxysmorum recursu, humorum pepasmo, & crisibus certo dierum numero definitis.

De temperamentorum differentiis ex Gal. aduersus Paracelsum.

CAPVT VIII.

1. *Temperiem esse qualitatem ex aliarum complexu ortam.*

VIVENS omne licet calidum, vitaque in calore & humore posita sit, id non impedit quò minùs plures hâc vnâ sint temperamentorum differentiæ. Idcirco scire oportet temperiẽ hominis multis modis considerari, vel quatenus similare corpus habet mixtum ex substantiis elementaribus, quemadmodum reliqua composita inanimata. Secundo quatenus est corpus organicum viuens: priori modo magnam habet partium diuersitatem in calore, frigore, humiditate, siccitate, duritie mollitie, &c. quæ temperies homine etiam mortuo aliquo tempore manet, donec tandem per putredinem dissoluatur. Posteriori modo vt est corpus viuens, temperiem viuẽtibus propriam obtinet calidam & humidam; quatenus calor humori pingui & oleoso cohæret: idque dupliciter vel quatenus fixa est, & tanquam insita parti: alia denique influens quæ ex partibus principibus, corde præcipuè influit, & toti corpori communicatur ad exsuscitandam iuuandamque insiti illius caloris potestatem. Atque ex horum trium aggregato siue cócursu temperamentum humanum constituitur. Ex triplici illa temperie exurgit aliqua qualitas sensibilis, cæteris elementaribus quodammodo similis, partim verò diuersa, vtpote ex earumdem complexu procedẽs: quæ vel vnius, aut duarum qualitatum victoriam sequitur, aut in earum æquabilitate posita est: Ita vt verbi gr. temperies naturæ humanæ conueniens sit, in qua caliditas frigiditatem, & humiditas siccitatem moderatè superat; atque hæc pro temperata habetur, ad quam ceu regulam reliquæ temperaturæ comparantur. Quæ verò maiorem habet caliditatem & humiditatẽ, calida & humida dicitur: quæ quod mediocritatis excessum attingat insalubrior est, & putredini obnoxia: quæ autem minùs calida

&

& humida eſt, frigida & ſicca cenſetur: quæ calidior & ſiccior, calida & ſicca: quæ frigidior & humidior frigida & humida dicitur: etſi omnes in genere calidæ & humidæ ſint; atque quamdiu homo viuit, vita in calore conſiſtat. Quæ tamen caliditas & humiditas ſuos gradus habet. Atque hæc ad veritatem Hippocraticæ & Galenicæ doctrinę dicta ſufficiant.

Lib. 1. de gradib. & compoſit. receptor & natur. cap. 1. Neque obſtat Theophraſti Paracelſi ſententia, ſub hac verborum ſerie. Obſeruandæ ſunt complexiones naturæ, quarum duæ ſunt, alia calida, & alia frigida. Porrò quælibet harum ingenitam quandam habet diatheſim in ſe: nam omne calidum eſt ſiccum, & omne frigidum humidum: neque enim calor neque frigus ſola eſſe poſſunt. Itaquę hæ duæ naturæ calidum & ſiccum vnum ſunt, ſimiliter frigidum humidum: neque enim calor neque frigus ſola eſſe poſſunt. Itaque hæ duæ naturæ calidum & ſiccum vnũ ſunt, ſimiliter frigidum humidum. Ex his clarè apparet Paracelſum in errorem veterum incidiſſe, qui authore Galeno duo tantum temperamenta conſtituebant, nempe calidum & ſiccum, frigidum & humidum: hâc decepti ratione, quòd calor non poſſit diu conſiſtere cum humiditate, nec frigus cum ſiccitate: exiſtimabant enim calorem omnem exſiccare, frigus humectare: quod verum eſt ſucceſſiuâ mutatione, & cum tempore non confertim. Contra eorum ſententiam argumentatur Galen. experientiâ & ratione. Primò quod aqua balnei tepidi ſit calida & humida; ſecundò, quod animalia primo ſaltem ortu ſint calida humida: hoc autem conſtituto, ſi calidi & humidi fiat mutatio, cum omnis mutatio fiat à contrario in contrarium, mutabitur in frigidum & ſiccum. Ergo non tantum duo ſunt temperamenta calidum ſiccum, frigidum humidum: ſed calidum humidum, frigidum ſiccum.

Lib. 1. de tempera. cap 2. [margin note beside "thore Galeno duo tantum tempe-"]

Cap. 2. eius de lib. de gradib. Paracelſus obſeruandum præcipit, quid humidum, quid coagulatum, quid denique ſiccum reſolutum: nam inde fluit error communis, qui vel inter Medicorum principes graſſari ſolet. Exemplum ſume chriſtallum, qui frigidus apparet, præterea ſiccus & aridus: exſiccat enim & arefacit, ſed falſò: nam aridiſſima chriſtalli vis eſt humidũ coagulatum, &c. ſimiliter in petroleo ſiccum reſolutum non eſt perinde vt apparet, &c. proinde ſiccum, inquit, duplex, & humidum duplex, puta ſiccum per ſe, & ſiccum reſolutum; humidum per ſe, & humidum congelatum. Verùm vnuſquiſque artifex ſuos excogitat terminos, nam Philoſophi & Medici vocant verbi gratia, glaciem actu ſiccam, potentiâ humidam: vel per accidens ſiccam, per ſe humidam. Chymicus ſuis vtitur vocibus, & quoddam humidum vocat ſolutum, quoddam coagulatum; ſicut Plato aquas quaſdam fluidas habet, quaſdam concretas, fuſiles. Quæ ſanè oſtendunt qualitatum elementarium contemplationem, non ita ipſis debere ſordere; licet totum Chymicorum ſtudium ad eſſentias illas abſtraxerint.

2. *An, præter temperaturam alia perfectior natura Quinta reperiatur.*

Lib. 2. de gradib. Paracelſus præter illam complexionem elementarem conſiderat

aliam naturam multò præstantiorem, quæ ex tribus principiis prodit seu ex Iliaste, vt vocat (terminos innouando, vt suâ obscuritate admirationem apud vulgares sibi compararet) quæ est materia prima ex qua omnia ortum habent, & veluti chaos; constatque sale, mercurio, & sulphure, vnde prodit substantia quæ spiritum vitæ continet, siue tincturam rei, quam si in medicinam adhibere volueris, illic oportet spiritus vitæ discedat à substantia: & alibi ait, cùm parturit natura in proprio elemento, præparat tandem archeus (hoc est naturæ dispositio) pro ratione ac natura priuati iliastis, ita vt sores (hoc est natura prima omnium rerum) in tribus primis planè consistat, & generet in eadem re corporis substantiam: hæc generatio per se est solius gratiâ, vt cum relloleo eadem appareat. Relloleum vocat naturam vltra primum, quòd est accidens sine complexione. Verùm vt ostendat distingui cherionem (id est accidens elementale) à relloleo, quod est aliquid vltra primum & virtus principiorum; exemplum adfert de camphora, hæc frigiditatem suam ex cherione habere, ait, quare præstantissimum est remedium in sufflaturis, in substantia autem suarum primarum calida manet: quemadmodum sulphur & spiritus salis vnà cum Mercuriali. Nam pinguedo camphoræ est calidissimæ naturæ, ex scholiaste Paracelsi, & camphora per se salis naturæ, cum paucissima cõplexione Mercurij. Et paulo infra, inquit, oportet externa elementata corpora sua vnà cum substantiis relinquant ac deserant, & in spiritum vitæ vergant, nam inde liberatur ægrotus.

Cap. 3. eiusdem lib.

Cap. 4. eiusd. lib.

Nos verò asserimus præter crasim elementarem quæ in homine, & in aliis corporib⁹ reperitur prout mixta sunt, aliam etiam reperiri naturam in corporibus organicis, vt supra dictum est: sed hæc natura constatne principiis magis actiuis, & supra elementarem conditionem constitutis? nos supra satis probauimus illa principia actiua corporum, quæ essentiæ etiam appellantur, nihil aliud esse quàm substantiam subtilissimam, humidum radicale, & salem in materia terrestri reconditum; quæ sunt partes mixti elementares, proportione & naturâ ipsis respondentes: & quia eędem in substantiam vegetabilem & animalem transeunt, aliquid perfectius & nobilius ipsis elementis, ex quibus tamen fluunt, obtinere videntur. Neque omnes Chymicorum conatus possunt illas dictas substantias mistiles, seu essentias ab elemẽtaribus separare: semper enim manet, vt dictum est, cognatio illa prima, quæ est inter principalem essentiam à Deo ex elementis conflatam, & per generationem posteriorem in singularium successu acquisitam; ita vt indissolubiliter sint vnita posteriora prioribus, inque vnum facesserint: vt fit in eo quod ex semine quidem ortum habet, sed postea augetur per nutritionem, vnde aliquid elementare participare videtur.

Cap. 2.

Quod autem Paracelsus enunciabat de caphura quæ suas obtinet proprietates vltra elementa, à viribus principiorum; satis constat illas partes sulphureas, vel salinas caphuræ cum tenuibus, pinguibus, vel crassis illius partibus conuenire: dicimus enim caphuram esse mistæ qualitatis, & morbis calidis ac frigidis

frigidis multis prodesse; odore siquidem penetrante, sapore acri, ac spirituum tenuitate videtur efficere caloris modo: reliquis qualitatibus tanquam frigida lacescit; adeo vt varias ab horto potiùs frigidam quàm calidam esse censuerit; licet aliàs cum plurimorum sensu credidisset calidam esse, ob illum odorem, partium tenuitatem, & inflammabilitatem. Sed postquam expeperimento didicisset ophtalmiis, tum etiam ambustis impositam niuis frigiditatem retulisse, illicò sententiam mutauit. Heterogeneas ergo portiones hæc gummi resina possidet, pingues scilicet aëreas, & igneas superficie tenùs consistentes, ideóque facile vaporabiles, quarum respectu calida est, hanc partem Paracelsus vocat sulphuream: alterâ tamen parte constat magis terreâ, & proinde frigida, Cuius actiuitas acuitur à partibus tenuioribus camphoræ, quæ tanquam vehiculo ipsi seruientes frigiditatem penitiùs introducunt. Sennertus censet eam esse calidam; quòd si refrigerare videatur, id præstat, quia ratione similitudinis calidos vapores euocat; sicut combustis non frigida, sed calida aqua adhibetur. Refrigeratis à niue, frigida apponitur eâdem de causa.

Lib. 1. aromat. hist. cap. 9.

Lib. 1. prac. part. 1. c. 2.

Paracelsus asserit quatuor complexiones nullum habere locum in corporibus, sed existere in spiritu vitæ & humore radicali, non posse renouari aut restaurari: verùm vbi corpus clarificatum fuerit, tum etiã earum natura clarificatur. Quomodo enim vult complexiones nullum habere locum in corporibus, si existunt in spiritu vitæ, & humore radicali: non enim intimiùs corpori insunt, quàm cum his, quibus partes intimè perfunduntur, existunt: sunt ergo & non sunt, quod est absurdum.

Lib. 2. archidoxor.

Idem præter essentias iam dictas, aliam à superioribus esse naturam, siue essentiam quæ quinta appellatur, siue vt Philosophi loquuntur accidens elementale, siue vt Physica vetus habet forma specifica: quinta autem appellatur hâc ratione, quia in tribus primùs quatuor essentiæ delitescunt. Proinde accidens elementale, & quæ hoc loco quinta dicitur, cuius natura neque calida, neque frigida est, citraque omnem complexionem in seipsa. Quinta essentia definitur à Paracelso materia quædam corporaliter ab omnibus quæ natura crescentibus producit extracta, & ab vnoquoque vitam in se habente ab omnibus impuritatibus & mortalitate separata, subtilissimè mundata, ac ab omnibus elementis segregata. Sumit enim eam pro viribus & virtute quæ in illis rebus est comprehensa sine domicilio, & extranea incorporatione: est etiam calor, vita, proprietas rerũ, & spiritus. Cùm ergo dicit quintam essentiam non esse temperatam essentiam, temperiem elementarem ab ee alienare videtur, quod est absurdum, vt supra demonstrauimus. Pergit Paracelsus: Quod quintæ essentiæ curent omnes morbos, hoc nõn fit ex temperatura, sed ex insita sibi proprietate, magnaque puritatæ quæ in ea reperitur, quibus admirandè corpus in munditiam alterat ac immutat, non aliter quàm si ab oculo macula tollatur, qui priùs erat occæcatus, ac ita reuiuiscat. Vnde colligo iuxta ipsius doctrinam aliud esse, si dicamus quintam essentiam accipere viros ab elementis, aliud

Lib. 3. de gradibus.

Lib. 4. archidox.

Cap. 1. n. 3.

si enunciemus ex proprietate quæ in elementis existit. Prout si quis existimet (vt ipse refert) quintam essentiam anacardini habere similes operationes quintæ essentiæ auri, quod ambæ sint igneæ, longè fallitur. Sed ideo quod eorum virtutes seu proprietates (quas vocat prædestinationem & dispositionem in diuersis substantiis consistant, quarum vna est alterâ præstantior in virtute & sapore. Ergo quæ ex elementis consistunt propriam virtutem ab his non accipiunt; sed ab alio quod tamen in elementis consistit, ex illius sententia: sed quæstio est an beneficio artis ita possit separare quintas essentias, vt nihil elementare redoleant; cum supra demonstrauerimus elementares esse, si non actu saltem virtute & ἐνεργείᾳ. Supra quas agnoscimus alias qualitates excellentiores, cœlo analogas, quæ in tota substantia corporum consistunt, & naturam quintam constituunt.

De humorum naturalium numero & natura, ex Hermeticæ sectæ Medicorum, necnon Hippocraticæ veritatis doctrina.

CAPVT IX.

I. *An dentur humores, quid sint, & cur.*

Hippocrates lib. de natura humana postquam demonstrasset, omnibus rebus quatuor elementa esse communia, nempe calidum, humidum, frigidum, siccum: aliud præterea elementorum genus nos docuit, quod sanguineorum animantium proprium, atque humanæ naturæ conueniens; nimirum sanguis, melancholia, pituita, & bilis. Etenim ex sanguine semen, atque ex ambobus omnes humani corporis particulæ generantur, & singulæ ex sanguine alimentum & incrementum suscipiunt. In sanguine verò vel humores cæteri continentur, vel cum eo tanquam excrementa producuntur. Humores in solidis continentur membris iuxta Galen. in prima fœtus formatione ab his constituuntur: omnes namque particulæ suam ex sanguine menstruo generationem habent, & illo quidem non sincere, vt pote quod duplicem bilem, atque pituitam secum habeat. *Comm. text. 18. lib. de nat. 5 hum.*

Philosophi appellant humorem qualitatem primam alienâ superficie, non suâ terminatam, cuius dominatu liquida & mollia cedunt tangenti. Medicis est nomen substantiæ non qualitatis: nam omne liquidum & fluxile corpus appellant humidum, quo generaliori significato chylus, serum, lac, semen, oculorum humores, quia fluidam habent consistentiam inter humores recensentur. Specialiùs & definitiùs humoris nomine significatur à Medicis, liquidum corpus ex alimento genitum, nutritionis causâ, vel ad alia corporis commoda: quomodo quatuor succi qui continentur venis, & totam massam sanguinis

nis constituunt, propriè humores appellantur. Hos humores sensus ipse tā certò & manifestè indicat, vt ampliori probatione non indigeat.

Substantiæ enim eiusmodi liquidæ & profluentes variæ & multiplices quotidie per nares, per vteri venas, per hæmorrhoides, per venā aut arteriam sectam, aut per inflictum quouis modo vulnus erumpunt. Istis humoribus intumescunt venæ, palpitant arteriæ, irrigantur partes, acetabula replentur, reliquęque cauitates turgent, vt mera sit insania summæ stupiditati aut peruicaciæ coniuncta, eos negare velle cum Paracelsistis, qui Medicos rationales & dogmaticos per irrisionem humorales appellant. Paracelsus veterum Erasistrateorum, Asclepiadeorum, & Methodicorum errorem renouauit, qui vt refert Galenus cauillamenta & sophismata composuere, quibus sermonem de humoribus ad artis Medicę munera inutilem ostendere conarentur: hinc Nouator ille asserit, quod si hi in corpore consisterent; necesse foret, vt sanum quoque corpus similiter diuideretur. Ita scilicet in hac herba est cholera prassina; in ista vitellina; hæc est sanguinea, illa melancholica, ista phlegma falsum. Sed hæc omnia vana sunt: nec hoc modo natura diuidi potest, multóque minus homo. Quæ sanè ratiocinatio veritati consentanea nō videtur. Sunt in ægro & sano humores, hâc tamen differentiâ; probè temperati in sano, peccantes autem quātitate vel qualitate in ægro. Sed quid illud quæso est quod negatur? necesse pol foret vt sanum quoque corpus similiter diuideretur: Anne hominem in humores diuidimus; quasi essent partes integrantes corporis & vasis in quo continentur. Cur præterea scribit, in hac herba est cholera prassina; an quod humores qui in nobis esse dicuntur, in plantis non reperiātur; nobis etiam denegandos existimat? vel forsan Medicorū sententiā inculpat, quod & plantarum & cœterorum eduliorum aliqua, ad hunc vel illum humorem generandum, magis aut minùs apta esse profiteantur? vtrumq; autem meræ inscitiæ indicium est. Verùm quid isthic hæremus, cùm Paracelsi sententias componere sit difficile; neque vel alter Oedypus eius ænigmata soluere posset.

Lib. de atra bile cap. 1.

Tractat. 3. fragmentor. de modo pharmacandi.

Cùm ergo nemo tam stupidus sit qui nesciat humorum in nobis contentorum notitiam, esse valde necessariam ad dignoscenda corpora, quę ex his integrantur, signaque multa inde eruenda, morbos & earum causas inuestigandas; denique ad prænoscendum & curandum. Ab humoribus namque decretis, & ex eorum circumfluentium per corpora signis, plurimùm iuuamur in præsagiis, & dignotione morborū, & causis morbificis: & in curando maxima indicatio sumitur à causa morbifica, quæ sæpè humor. Cùm itaque sit necessaria Medico cognitio rerum earum ex quibus constamus, & Hippocr. demonstrauerit nos ex humoribus constare, quos ex sanguine materno hausimus; ratum sit, necessariam de humoribus scientiam esse.

2. *Per varias naturæ operationes produci humores nutritios, & excrementitios, iuxta Dogmaticorum effata.*

Diuersos humores tum alimentarios, tum excrementitios reperiri,

nutritio corporis ostendit, & varia alimenti per concoctiones immutatio. Corpus enim cùm propter continuum triplicis illius substantiæ effluuiū diù subsistere nequeat, nisi in deperditæ locum alia accedat, quæ partibus alendis sit proportionata; ideo natura ad animantium, hominis potissimùm conseruationem varia produxit alimenta liquida, solida, crassa, tenuia, & omnibus ferè qualitatibus prædita, quibus homo ad sui nutritionem vteretur præcedentibus multis alterationibus: vnde attritio & præparatio in ore, permistio omnium exquisita in ventriculo, & dealbatio quam χύλωσιν appellant, expulsio per intestina, & defæcatio seu separatio terrenæ & inutilis materiæ: tractio per venas mesaraicas siue lacteas in hepar; vbi materia illa quæ vniformis primùm videbatur, heterogeneis verò & multiplicibus partibus constabat, Iecoris facultate conuertitur in quatuor præcipuas substantias, sanguinis nomine, siue maſsâ sanguineâ contentas; quæ deinceps suis excremētis depurantur, nigro scilicet, & flauo succo, atque exundante seri portione, vt possit sincerior materia ad partes alendas deferri, & ibi perfectam ὁμοίωσιν assequi. Hinc colligimus alimentū diuersam subire mutationem triplici concoctione seu alteratione à calore naturali factâ, tanquam organo facultatis natiuæ partium, per quam humidi & sicci alimentorum cum calido natiuo & proprio perfectior cohærentia procuratur.

Prima coctio fit in ventriculo, in quo Chylus: Secunda in iecore sanguis: Tertia in solidis partibus ros efficitur, atque cœteri humores secundarij. Quæ fit in ventriculo à Chylifica facultate ipsi congenita vi conuertendi alimentum in Chylum, hoc est in substantiam cremori similem: vnde χύλωσις est esculentorum & potulentorum in ventriculo concoctio, quâ per elixationem ciborum succus, seu Chylus extrahitur. An verò in hac coctione intercedat mutatio substantialis cibi in Chylum, in dubium vertitur: aliqui negant mutationem substantialem esse, cùm nihil aliud sit quàm assumptorum ciborum succus per elixationem liquatus; qui temperiem & excellentes secundas qualitates eius à quo proximè extrahitur, plerumque retineat: nec semper album esse iudicant, sed qualis ab assumptis vi caloris elixantis extrahi poteſt. Neq; enim (inquiunt) humida ciborum substātia per elixationem extracta à calore ventriculi in aliam naturam mutatur: sed solùm à crassiore portione sibi ante permistâ, eliquata secernitur.

Ad hoc verum esse dicimus in Chylo priores alimentorum qualitates retineri, sed nouas etiam ad alendum corpus per nonnullā substantiæ mutationem, dispositiones introduci. Hinc fit vt propria tacitáque substantiæ vis ventriculo tribuatur, quâ cibum in Chylum vertit. In sturnorum ventre cicuta (nobis indomita) hâc reconditâ vi in Chylum & sanguinē abit. Sic alimentum huiusce alterationis beneficio propriam suam exuere naturam videtur, vel saltem nouam acquirere, vt in aliam speciem transire valeat, nempe sanguinem, pituitam, melancholiam, bilem. Et ideo Galen. profitetur concoctionē quæ à conuersione in cremorem fit, rem esse diuersam, sicuti sanguificatio & *3. Facult. natur. c. 4.*

& nutritio: tanquam enim hæ functiones monſtratæ ſunt qualitatum mutatione fieri; itidem ciborum in ventriculo mutatio, eorum eſt in propriam eius quod nutritur qualitatem. A ventriculo itaque qualitas Chylo imprimitur, quam cùm habet coctus dicitur Chylus. Hæc coctio in ventriculo per modum elixationis perficitur; proindéque *4. Meteoro. c. 3.* Ariſtot. Chyloſim comparat elixationi, quia fit à calore humido & *3. Natural. facult. c. 7.* vaporoſo: quam ſententiam Galen. approbat. Elixatio verò ab Ariſtot. definitur coctio indefinito in humido exiſtentis ab humido calore facta: id eſt à ſucco calido in quo res coquitur; cùm naturale rei quæ elixatur humidum indefinitum ſit & indomitum. Eſculenta verò & potulenta coquuntur, quod habeāt calidum humido ſibi ſociato per *6. Epidē.* caloris actiuitatem commenſurabile. Hinc dicebat Hippocr. vigilans calidior exteriùs, dormiens è contra. Empedocles putrefactione cibos concoqui putabat, cuius opinionem ſequuti veteres σηπτὰ vocabant, quæ nos ἄπεπτα. In ventriculo ingeſtorum coctionem abſolui dicimus vi propriæ temperaturæ; cui maximè ad operandum inſeruit proprius eius ſubſtantiæ modus: carnoſior enim quiſque & craſſior ventriculus copioſiores ſpiritus ex ſe in alimenta effundens, ea intimiùs peruadens, eadem perfectiùs & faciliùs conficit. Sed eidem ſuppetias ferunt partes circumſtantes, hepar ſcilicet, omentum, arteriæ, & venæ ventriculo ſubiectæ, ipſius calorem fouentes, & remiſſiorem intendentes.

Ineſt quoque inteſtinis vis Chyli procreatrix ſed imbecilla docente Galeno; idque patet ex alimen- *4. De uſu part. c. 17.* tariis clyſteribus, quorum materiam inteſtina in Chylum conuertunt, ex quo ſanguis in hepate generatur.

Cùm autem materia coctilis ſit heterogenea, partéſque diuerſas obtineat, quaſdam in alimentum vtile commutabiles: nonnullas ad alēdum ineptas. Natura inutilia ſeparat & ſecernit; primæ ergo concoctionis excrementū & ſtercus, Grȩcis ὑποχώρημα & σκατὸν quod reuerà in ventriculo cum vtili ſubſtantia confuſum erat: ſed cùm poſtea è ventriculo & e ſuperioribus gracilibúſque inteſtinis Chyli portio tenuior rapitur in Iecur; reliqua craſſior impurior fæcis æmula, in cœcum inteſtinum vel in colum, mox in aluum irruit, vbi primùm fæx alui dici ſolet.

Alterum primæ coctionis excrementum eſt tenuius & aquoſius, ex potulenta & aquoſa materia genitum, quod minimè ſtatim excernitur, vt fæces alui, ſed cum Chylo mixtum permanet, eo fine, vt dilutiorem & fluidiorem Chylum reddat, quò deinceps per anguſtas meſenterij, portæq; venas faciliùs permeare poſſit, præcipiente Galeno. *4. De uſu part c. 5.*

Nonnulli adhuc tertium excrementum addunt quod ex Gal. cibū *3. De sympt. cauſ. c. 2.* ſemicoctum, atq; excrementum pituitoſum nominant, quod pituitæ qualitates referat, atque album frigidum & lentum ſit: hoc autem vel ex praua cibi natura, vel ex ventriculi debilitate producitur: & ad humores excrementitios non naturales reducitur.

Coctione primâ abſolutâ, altera in iecinore celebratur αἱμάτωσις Græcis appellata: huius enim concurſu Chylus à ventre hauſtus propriâ iecoris vi, quæ in eius ſubſtantia, temperie, & colore inſidet, in veram

anguinis speciem conuertitur, quã à Chylo non modo colore, sed etiã substantiâ plane diuersam esse cõstat. Vt autem appareat quî in parenchymate hepatis sanguis generetur: sciendum est venas mesenterij, quem exsugunt Chylum, seu alimenti concocti puriorem partẽ, ad portæ truncum & radices, per hepatis corpus numerosâ serie sparsas deuehere; inde ob venarum tenuitatem (sunt enim tenuiores omnium in hepate venarum tunicæ) exsudat, & per mediã visceris carnem transcolatur. Annon seri fit per renum carnes transcolatio? & sanguinis à dextro cordis sinu in sinistrum per septum medium; lactis per mammas, seminis per testium substantiam. Non remanet ergo in vasis Chylus proximè in sanguinem transiturus, sed per carnem hepatis trãs funditur; quo carnis contactu ruborem & formam consequitur; hinc aut per diapedesim, aut per Anastomoses radicum venæ cauæ & portæ, in cauę radices fertur, à quibus in truncum & ramos tanquam per canales in vniuersum corpus excurrit. Non enim Iecur pars princeps hoc sibi solum officium præstat, sed vniuersis corporis partibus. De hoc controuersia vide Laurentium 4. lib. Anatomes, in controuers. exercitat. 2. & seq. D. Fõtanum lib. 5. Physiol. c. 42. & 43.

Neque venis hepatis aliqua vis conficiendi sanguinem tribui debet, vt censuit Auicenna: quia primò ad sanguinis generationem requiritur temperies partis calida humida, & particularis substantię modus; sed nulla pars ita est temperata vt hepar; imò nec talis dispositio alteri communicari potest, nisi ad paritatẽ substantię deducatur, quod venis non accidit: venæ siquidem membranosæ, spermaticæ, frigidæ, & albæ id præstare non possunt. Secundò mutatum omne vertitur in naturam immutantis, eiq; quantum fieri potest assimilatur: similia namque à similibus potiùs quàm à dissimilibus producuntur, vt de Chylo albo apparet, qui à ventriculo spermatico & albo efficitur. Ergo cum sanguis suo temperamẽto & colore hepati sit conformis, venis autem valdè dissimilis, ab illo potiùs formam sumpsisse concluditur. Neque ea, quam ex Galeni dictis colligunt, Chyli præparatio in venis mesenterij, adumbratio quædam à Fernelio appellata, de vera Chyli in sanguinem conuersione intelligitur; sed quòd materia proxima ex qua fit sanguis, in venis primùm secreta reperiatur, atque ibi primùm à calore innato quodammodo alteretur. Nisi asserere velimus talem vim sanguificam, ab hepate prouenire ad venas, non contactu mathematico, sed solius virtutis influxu.

Lib. 1. fen. 1. doctr. 4 cap. 2.

Lib. 2. de placit. Hipp. & Plato. c. vlt.

Sanguinis hoc modo geniti portionem aliquam sibi, vt nutriatur hepar adiungit, reliquum per venam cauam in totum corpus nutritionis causâ distribuitur: pars tamen aliqua per Mesaraïcas quoque ad ventriculum, intestina & omentum defertur. Quod absurdum non videtur; etsi eædem venæ Chylum ad hepar vehant: cum diuersarum partium diuersi sint appetitus, & diuersæ facultates trahentium, vnde attractio diuersorum succorum, Chyli nempe ab hepate, & sanguinis à prædictis partibus sine vlla confusione fieri potest; vt cum in aliis, tum in criticis euacuationibus fieri videmus succorum permistorum

rum secretionem; vt puris empyicorum per venas vsque ad vesicam reiectionem; sudoris ad cutem Cómeatum. Chylum tamen ferri per venas lacteas ab aliis distinctas cófirmarunt recentiores: quod vidimus in animali viuo recéteroccíso, & antea lautè enutrito. Agellius notat lacteas ex chili receptaculo sito in pancreate & merenterio quæ ad hepar ex eo promptuario chylum deducunt, per ductum venæ portæ accumbentem. Martolus verò anatomic. Monspel. Ex obseruatione D. Pequet Med. venam lacteam continuauit ex alio promptuario superiori, nō ad hepar, sed per duos alios canales vtrinque positos super arteriam ascendentem propè œsophagum, qui surgunt vsque ad venā subclauiam, indeque ad dextrum cordis ventriculum, vt in sanguinem conuertatur chilus, per illas venas ibi delatus.

Natanaël Highmors in disquisit. anatomiæ vult chylum à vētriculo per venas lacteas ferri in pancreas, vt perfectiorem acquirat coctionē, vt inde incrementa separentur, & amandentur ad lienem, & vesiculam felleam ante quam ad hepar transportetur. Quidquid sit totum alimentum non potest conuerti in substantiam nutriti, quòd excrementa testantur: necessarium ergo fuit, vt illa alimenti portio quæ in substantiam nutriti conuerti non poterat, futura corpori noxia excerneretur. Quod vt fieret, operæ pretium fuit naturam constituisse aliquas partes in corpore ad illa noxia excrementa reseruanda. Quæ multa sunt aquea & serosa, vt vrina, ignea vt bilis, terrea vt fæces, & succus melancholicus: nulla autem sunt aërea; quia nutritio est consumpti reparatio: dissolutum verò magna ex parte aëreum, cui inest natiuus calor, ideo non excernitur.

Sanguinis ergo excrementum est humor serosus & aquosus, ex potulenta materia & sero sanguinis genitus, qui per venas & arterias emulgentes, postquam sui muneris pensum deuehendi sanguinis absoluerit, à renibus maxima ex parte attrahitur, & per vreteres ad vesicam transmittitur, à qua postea excernitur, & vrina nominatur: quam Chymici salem resolutum vocant, asserúntque serosum illud excrementum esse salem in cibo & potu superfluum, & alendo corpori inutilem, cuius partem nonnullam recétiores non incommodè tartarum nominarunt, quòd sali illi crassiori & fæculento quod à substantia vini secretum doliis adhæret, & tartarum nominatur, non absimile sit. Hoc itaque serosum excrementum salsum esse constat.

Aliud excrementum est flaua bilis, quæ ne in totum corpus dispergatur, partim in vesiculam fellis colligitur, quæ per meatum ex ipsius collo prodeuntem, & per hepatis substantiam inter venæ cauæ & portæ propagines variè distributum, biliosum humorem ad se allicit: partim per alterum ductum ad duodenum fertur, quò vesicula eum ad intestina detrudit, vt acumine eius quasi adhibito stimulo, tardiora ad excretionem intestina irritentur, & cibi reliquiæ abstergeantur. Hoc autem excrementum ex tenuissima calidissimáque chyli portione (qualis plurimùm est pinguis atque dulcis) assâ & torridâ, quasi flammeam acrimoniam acquirit.

Melancholicus humor quem lien

ad se rapit, ex crassa terrenaque chyli portione genitus, quæ naturæ concoctionem subterfugit, neque potuit Iecoris vi commutari: iuxta Galeni sensum, lien hoc excrementum trahit per vas venosum, attractumque attenuat ope arteriarum per suam substantiam intextarum: harum enim continuo motu & viuifico calore fœculentus ille sanguis crassitiem deponit, quam per ductus in eam rem paratos excutit lien, tenuiore portione in sui alimoniam retentâ. Reiicit ergo hanc fæcem nunc in portam & intestina per ramum splenicum, nunc in fundum ventriculi per vas breue: (hinc vomitiones nigræ aliquando obueniunt) nunc in sedem per hæmorrhoïdas internas: nunc in renes per arterias emulgentes amandatur. Breuior enim est ductus arteriarum lienis ad renes, quàm venarum. Idcirco cùm sæpè obseruemus succi melancholici per vrinas expurgationem. Imitatione naturalis conatus diuretica in melancholicis affectibus præscribere licet: dictante Hippocrate.

2. de loc. affec. c.1.

Lib. de internis aff ctionibus.

5. *Sanguinem intra venas contentum non esse sincerum, sed variis partibus constare.*

Repurgatus à suis excrementis sanguis, nihilominùs in se plures humores alimentarios continere dicitur: hic ergo quæstio est de sanguine alimentario, cuius licet vna eademque substantia sensus examine plerúmque esse videatur; ratione tamen varia deprehenditur. Cùm enim chyli ex quo fit sanguis, omnes partes eiusdem naturæ planè non sint; sed aliæ magis temperatæ, aliæ calidiores, aliæ frigidiores, aliæ sicciores, aliæ humidiores, aliæ tenuiores, aliæ crassiores; cùm ob diuersitatem ciborum quibus vtimur, tum ob varietatem alterationis diuersarum eius partium: massæ sanguineæ partes quæ inde generantur, non planè eiusdem naturæ erunt. Quoniam & ex eiusdem agentis pari applicatione ad dissimile patiens, & inæquali applicatione operantis ad homogeneæ materiæ diuersas partes, differentes effectus produci necesse est. Quare ea chyli portio quæ temperatioris est consistentiæ, & tam exactè ab hepatis parenchymate elaboratur, vt ad coquentis visceris naturam quàm proximè accedat, eius colorem etiam in saturato rubore repręsentans, calidæ & humidæ temperaturæ sanguis per excellentiam dicatur. Quæ verò tenuior & calidior est adhuc chyli pars, dum in iecore magis excoquitur, non exusta tamen, nec ad amarorem adducta, sed florido rubore insignis bilis alimẽtaria appellatur. At quæ aliquanto crassior & frigidior eiusdem chyli portio perfectam coctionem effugiens, & ad exquisitam illam temperaturam minimè perueniens, dilutiore rubore, si separata consisteret, insignita: pituita alimentaria nuncupatur. Quæ demum eiusdem cibalis succi portio maximè crassa, adhuc crassior inter coquendum redditur; minùs & calida & humida priore, paulóque obscuriore rubore infecta, si sola haberetur: melancholia alimentaria vocatur.

Itaq; sanguis qui è iecore emergit, maioribúsque venis concluditur, exquisitè vnus & purus esse non potest, vt probauit Galen. Id verò adumbratè in eo conspicitur, *Lib. 1. de element. c. 2.*

qui

qui sectâ venâ ex integrè sano corpore est emissus: nam præter serum, in reliquo quod concreuit partes spectâtur planè dissimiles: alia quidem tenuis, subrubra, ac feruida per summa innatans: alia in imo crassa, subnigra, ac verè terrena: alia medio situ in istarum mediocritate consistens; per quas & quarta quædam portio crudior effusa est. Quidquid in hac concretione cernitur à Medicis & Philosophis, sanguis appellatur: qui vnanimiter pronunciãt, corporis partes solo sanguine, id est, iustâ quatuor succorum commoderatione nutriri.

Ex dictis constat humores qui in sanorum sanguine continentur, eorum qui in propriis conceptaculis resident, conditionem non referre: nam excrementitij humores sunt à sanguine segregati, actúque suas qualitates possident: alij verò qui in massa sanguinea alimentaria continentur, ob permistionem & reciprocam alterationem, quæ ex qualitatum contrarietate manat, in vnam coeũt complexionem & formam, quæ diuersas tamen habeat partes, poteſtate in massa sanguinea contentas; cùm proprios actus ex commistione non retinent. Neque bilis aut pituita in ipso sanguine alimẽtario actu reperitur, sed nomine ab ipsis humorib⁹ separatis mutuato, sanguis pituitosus, biliosus, vel melancholicus nũcupatur. Hieronym. de Hãgest Theologiæ professor Parisiensis, loquens de sanguine prout est massa in qua plus sanguinis, quam alterius humoris permisti, rubedine illius tincti: ipsum absque dubio esse ait, in suis partibus eiusdem speciei difformem qualitatiuè.

Lib. 2. de forma prdpriet. dubitat. 8. de humor.

Hi verò humores sanguini permisti, tunc integrè secundum naturam sunt, quando eam proportionem inter se heterogeneę illæ eius portiones seruauerint, vt cæteris superemineat temperatior ea pars, quæ sanguis per excellentiam appellatur: ab hoc deinde pituita: tertio loco ponunt aliqui alimentarem melancholiam, alij verò biliosum succum, vt appositè monstrat Zacutus: ita vt in optimè sano corpore sanguis abundet quantitate 48. vnciarum. Pituita 24. bilis 12. Melancholia sex. Qui humores non possunt actu nisi per putredinem dissolui; tunc verò in præternaturalem statum declinant, cùm vel ab errore externo, vel ex partium vitio & intemperie, vel obstructione vitiosam qualitatem acquirunt, & prædictæ proportionis rationem perdunt, aut quouis alio modo à naturali statu deflectunt.

Lib. 2. de medicor. princip. historia quæst. 10.

Obiiciunt aliqui Hippocratem his contrarium attulisse, dum quatuor humores actu sanguini inesse demonstrat. Corpus, inquit, hominis continet in seipso sanguinem, & pituitam, & geminam bilem, nimirum flauam & nigram; quibus natura corporis illius constituitur, & per quæ ægrotat, ac sanitate fruitur. Quod postmodum hâc ratione comprobat. Si enim alicui homini Pharmacum propinaueris quod phlegma educit, pituitam tibi vomet: & si Pharmacum dederis quod bilem ducit, bilem tibi euomet. Eodem modo & bilem atram purgabit, si Pharmacum propinaueris quod bilem atrã ducit. Quod si partem aliquam sauciaueris, vt vulnus fiat manabit inde sanguis: hæc autem accidere compertum est omni tempore. Vnde concludunt intra venas sanorum

Lib. de natur. human. tex. 19.

tex. 27.

humores

humores alios sinceros actu contineri cum sanguine. Respondeo illa ab Hippocr. verè pronunciata, non quatenus sunt tales humores permixti cum puro sanguine, sed quod ex hepate verbi gratia, & proprio folliculo bilis detrahatur: pituita (si verè ea pituita dici debeat) è ventriculo & intestinis; melancholicus humor è liene. Quod ita esse colligitur. Cùm his qui incorruptâ sunt sanitate difficiles ideo fieri purgationes censuit Hippocr. quod cùm desint affines & cognati, quos medicamentum trahat humores, sanguinem id est carnes colliquefacit, quò ex his proprium alliciat humorem. Quibus quidem verbis significat, sana corpora cum sanguine reliquos humores reuera non habere, sed potestate duntaxat.

aphor. 37. lib. 2.

His positis facilè est obiectionibus aduersariorum occurrere, qui volunt omnes humores in iecore separari, singulosque ad propria domicilia concurrere, adeo vt sanguis in venis impermistus permaneat. Hi enim non aduertunt inutiliores ad alendum portiones solùm secerni, vtilibus permanentibus; vt demonstrat massæ sanguineæ heterogeneitas. Neque proinde ingratis & noxiis humoribus sanguinea moles inquinatur, si succi biliosi alimentaris portiunculâ perfundatur; suos siquidem colores, & qualitates quas in propriis locis retinent, vix seruant, ob reciprocam mutationẽ. Neque sanguis amarus aut acidus est, sicut nec simul calidus & frigidus, ruber & flauus; sed ob dictas causas medio se habet modo.

4. *An humores successiue an simul generentur, ab vno eodemque calore.*

De succorum generatione censet Galenus ex mente Hippocr. Aristotel. Praxagoræ, Philotimi, & veterum medicorum; alimentum dum in venis ab innato calore alteratur, in sanguinem à mediocri calore commutari, reliquos vero succos ex eodem immodico. Quod idipsum hâc ratione fulcire nititur, ductâ ab hominum naturis, ætatibus, vitæ generibus, ab anni tempore, regione, cœlique statu. Ex his enim quæcumque in calorem propensa sunt, bilem; quæ in frigus vergunt, pituitam: vt mediocria sanguinem gignunt. Hac in parte Galenus meritò à Fernelio reprehenditur: confundit enim alimentarios humores cum excremẽtitiis: vultque à varia caloris coctione varios humores generari. Quod si in hoc procreationis humorum summa causâque tota consistit, quum in vnoquoque homine calor vniusmodi sit & simplex, vnicus duntaxat humor proferetur. Et cui acrior ille obtigerit, ex quouis sint discrimine tum calido, tum frigido alimento, nihil præter bilem gignet. Contra verò cui naturâ iam actâ decursâque calor torpescit, tametsi calidiora erunt alimenta, meram pituitam procreabit: hæc autem falsa & interse vehementer repugnantia esse constat.

Lib. 2. de facultat. natur. c. 8.

Lib. 6. Physiolog. cap. 4.

Cùm actio caloris coquentis cibum vnica sit & simplex, & illarum omnium partium attractio simul & eodem tempore fiat, simul & eodem tempore horũ humorum generatio perficitur. Nec omnis Chylus

quampri

quamprimùm in pituitam mutatur, tum in sanguinem & bilem: sed simul & semel dum vi caloris crudiores Chyli partes in pituitam transeunt; aliæ etiam benigniores & magis temperatæ in sanguinem vertuntur; aliæ simul in bilem, quatenus in Chylo succo heterogeneo continentur, cuius partes pro dissimili ipsarum cõstitutione, ab ęquabili Iecoris calore disparem mutationis modum subeunt. Neque pituita ideo dicitur incoctus sanguis, quòd ex eadem impensiùs cocta fieri sanguis debeat, aliique subinde humores: sic enim vnicus in nobis esset humor, diuersis vocibus formisque mutatis, totúsque Chylus in pituitam primùm, deinde in sanguinem verteretur; quod est absurdum.

Lib. de atra bile. Ad hunc tamen scopulum incidit Galenus dicens: à nobis demonstratum est pituitosum humorẽ ex cibis pituitosis oriri primâ coctione vt biliosum & melancholicum in iecore. *2. De rat. v. a. acut.* Et alibi ait, pituitæ generatio ex cibis pituitosis, sanguinem perpetuò antecedit, eamq; postea calor hepatis in sanguinẽ transmutat.

2. Artis par. comment. 41. 44. Ad hæc respondendum est pituitam excrementitiam fieri in ventriculo; alimentarem verò in hepate cum cœteris succis. Vel quod vni est excrementum, alteri est alimentum: pituita ventriculo excrementitia, hepati cœterisque partibus est alimentaria. Vel dicendum quòd pituitæ nomine, non verus humor designatur, sed Chyli crudior & magis dulcis portio, quæ in hepate mutatur in sanguinem pituitosum, simul & eodem tempore cum cœteris humoribus: crudior & crassior distribuitur in venas, vbi paulatim cocta fit sanguis.

5. *Sanguinem non tribus tantum succis constare, contra Turisanum.*

Superest vt examinemus Turisani opinionem, qui existimauit sanguinem vniuersum, non ex quatuor, sed ex tribus duntaxat permistis succis constare, pituitâ scilicet, & vtrâque bile; neque præter hos quartum, sanguinem purum in venis contineri, hâc primò ratione, quòd seorsum tres humores positi sunt, sanguis autem purus nullus extat.

2. Sanguinem dum corrumpitur, in tres omninò humores conuerti, neque sanguinis quicquam seorsum manere: cùm igitur tres hi succi æquabiliter aucti sunt, sanguinem dominari censuit; sin inæquabiliter, eum duntaxat qui reliquis est superior; à quo totum sanguinem, aut pituitosum, aut biliosum, aut melancholicum dici voluit.

3. Simillimam in lacte rationem haberi, quod tribus substantiis continetur, iuxta Galenum, præter quas nulla est quarta quæ lactis nomine designetur; sed totum quod ex iis tribus idoneè temperatis consistit, lactis nomen assumere. *Lib. 2. de element. cap. 2.*

4. Demum idem Galen. comparat musto sanguinem qui fit in hepate: at in musto tres solùm substantiæ obseruantur, scilicet spuma ac flos natans, quæ comparatur bili, fæces quæ resident melancholię; tertiò aqueus & crudus humor sero, seu tenui pituitæ. *4. De vsu part. c. 3.*

Ad primum Turisani argumentum Respond. sanguinem ex Galeno sumi, aut pro tota massa sanguinis quatuor humores complecten- *Comm. in lib. de nat. hum.*

te;aut pro solo & sincero sanguine: Is nunquam solus potest reperiri à reliquis separatus,teste Hippocr.gignitur equidem permistus cũ aliis humoribus, neque sincerus ab aliqua parte attrahitur. Negamus proinde humoris peculiarem differentiam non cõstituere:nam cum partes corporis componantur ex quatuor humoribus, & iis nutriamur quibus constamus:nutriuntur omnes partes quatuor humoribus, & eò magis sanguine cœteros proportione superante.

Ad secundum dicimus,nec dum sanguis corrumpitur, vniuersam eius substantiam in bilem tum atrã, tum flauam facescere, sed etiam partem quandam manere,aut nondum corruptam, aut corrupti sanguinis speciem exhibentem.

Ad tertium non vrget lactis adducta similitudo:nam eadem ratione dicere possis sanguinem ex duabus tantum constare partibus, quia semen quod ex eo proximè conficitur, ex spirituosa & aquea tantum parte conflatur. Nõ enim eandem rationem esse necessum est materiæ de qua fit quidpiam, & eius quod ex illa efficitur:neque id quod ex aliquo procreatum est, in tot diuiditur substantias, in quot separatur id ex quo genitum fuit. Quod vt meliùs pateat, contemplare lactis partes iam adductas, & videbis eas non respondere partibus sanguinis; nam serum non repræsentat pituitam coctam & alibilem,sed potiùs ichores & humiditates: butyrum etiam cùm valde sit humidum parùm respondet bilioso succo siccitate prædito: caseus denique cùm sit maxima lactis portio, non potest omninò respondere melancholiæ, cuius minima est pars in massa humorali. Ergo hæc lactis cum sanguine comparatio ostendit sanguinem naturalem esse heterogeneum veluti lac; non autem quòd tribus tantum constet humoribus. In eo namque Galeni loco,sanguinis velut quarti humoris subsistentia apertè demonstratur: vbi sanguinem fibras obtinere dicit quæ ipsius partes tenues sũt, quasi villi aut filamenta, ex terrena eius substantia, & magis tenaci genita, tum in ventriculi, tum in hepatis coctione,quorum operâ faciliùs circa partes concrescit,eisque agglutinatur. Quæ si ex eo detrahantur, iam non concrescit ampliùs sanguis: qui deinde non parum illis exemptis, colore, ac substantiâ differt: quippe cùm ex eo pars quædam omninò rubra videatur,alia verò potius flauescat, quædam etiam magis ad atrum vergat, nonnunquam verò & aliquid albicans se in illius superficie apertè offert. Vnde sanguis minimè vnum erit. Enim verò cùm cœteri humores abundent suo sale, quidni concrescunt? cùm sal iuxta Chymicos sit principium concretionis & coagulationis; solum enim sanguinem coagulari hoc certo signo dignoscitur, quòd sanguis cumprimùm è venis excidit, concrescat; cœteri humores nusquam. *De element. citat.*

Ad quartum patet in musto reperiri quatuor substantias proportionatas quatuor humoribus, scilicet spumam bili,fæcem melancholiæ, partem vinosam sanguini, & partem aquosam viscidam atq; immaturã phlegmati. Quòd si Galen. ex vino dulci ab vuis expresso, adhuc à suo calore feruente, & proprium liquorem immutante, duo prouenire excrementa dixerit: alterum *Lib.2.de natur. facultat. c.vlt.*

rum

rum leuius magíſque aëreum, alterum grauius ac magis terreum: hic non comprehendit partem ſanguini aut pituitæ reſpondentem; quia partes magis excrementitias, bili & melancholiæ proportionatas repræſentabat, non autem abſolutè omnes quæ vtilitatem ad alendum præſtant.

Platerus in ea verſatur ſententia quòd ſanguis venarũ ſincerus ipſo ſenſu appareat, niſi quod ſero veluti ſuo vehiculo diluatur: ſanguinem lacti comparat, & tribus partibus conſtare aſſerit, vnâ ſeroſâ, quæ dum calet omninò illi confuſa eſt, cùm verò craſſeſcit ſeparata ſerum dicitur: aliâ verò pinguiore, quæ lactis butyro comparatur, & dum ſanguis refrigeratur in ſuperficie eius, plerũmque rubicundior cernitur, ex qua pinguedinem generari ſtatuit. Reliquam omnem corpori nutriendo idoneam caſeoſę lactis ſubſtantiæ reſpondere.

Hermetici cenſent ſanguinem miſtum quoddam corpus eſſe, non ex bile vtraque, aut pituita, ab ipſo iam ſeiunctis: ſed ex parte primùm aquea, quam vocant Mercurialem tum ex pingui & florida, quam ſulphuream nominant. Demum ex caſeoſa & terreſtri ſolidas partes nutriente & componente, quam ſaliuam appellant: cùm reliquæ velut excrementitiæ in ſerum vel pinguedinem faceſcant: hanc ſententiam infra examinabimus.

Num 9. Nos verò doctrinæ antiquæ & veriſſimæ Hippocratis & Galeni aſſentimur, ad noſtram artem exercendam magis accommodatę, quàm iſtis nouatorum ſpeculationibus; quæ ad nihil aliud conferunt, niſi ad peruertendam cognitionem cauſarum, temperamentorum, & humorum naturæ, in ruinam Medicæ praxeos; ad excludendas cunctas indicationes, quæ à rebus naturalibus, nonnaturalibus; & pr. nat. petuntur.

6. *De ſanguinis partibus Hermeticorum opinio examinatur.*

Huc accedit Hermetica humorum Anatome à Quercetano recepta, qui licet humores ſanguinem, pituitam, bilem & ſuccum melancholicum admittat; ipſos tamen qualitatibus frigidis, calidis, humidis, ſiccis non diſcriminat: ſed quatenus in ſanguine Mercuriales, ſulphureæ, & ſalinæ ſubſtantiæ continentur, quarum ratione ſanguinis partium, aut contentorum ſit diſtinctio; ſicut in lacte dictum eſt: in quo ſeroſa portio Mercuriali liquori, butyroſa ſulphureæ ſubſtantiæ, caſeoſa verò & ſolidiſſima pars ſaliuæ aut tartareæ reſpondet. *Tetras cap. affec. cap. 7.*

Nutribilis ſucci naturam ex ſententia Chymicorum Crollius explicat: ex vltima cibi materia per archæum ſtomachi digeſtionem videlicet, ſeparationem & generationem ſeparationis, emergit primum ens ad vitam, vnde corpori ſuum nutrimentum & cibus, reducitur in ſulphur, Mercurium, & ſal, vt appareret in tribus pręcipuis emunctoriis. *In præfat. admonitor. n. 6.* Verùm cum negat humores, vt facit etiam Petr. Seuerinus, eos ſupprimere non poteſt, ſed nomina immutare, vt compertum eſt. Salis, inquit, ſuperfluum per vrinam ſeparatur, ſulphuris per inteſtina ſecernendo excernitur, Mercurius ſeu liquor nutrimenti locum occupat; ſi fortè quid in eo ſuperfluum occurrat per poros pellitur. *In ideæ Medic. cap. 12.*

Omne quod comedimus, & bi-

bimus, ex Crollij mente, habet in se mucilaginosum, luteum & arenosum tartarum sanitati humanæ nociuum: natura non accipit nisi quod purum est; si stomachus validus sit, impurum per secessum separat: si verò debilis mittitur impurum etiam per venas mesaraicas ad hepar, ibi fit secunda digestio & separatio. Hepar ergo ex duobus illis separat vicissim purum ab impuro, videlicet rubinum (sic enim mauult potiùs, quàm sanguinem nominare) à crystallo: rubinus est nutrimentum omnium membrorum, cordis, cerebri, &c. Crystallum seu quod non est nutrimẽtum expellit ad renes, & est vrina quæ nihil aliud est quàm sal expressum à Mercurialibus per violentiam separationis in resolutionem coactum, quod resoluitur per hepar in aquã, & expellitur: si hepar ex debilitate non rectè separat, mittit mucilaginosum & calculosum ad renes, ibi in defectu bonæ separationis, ex potentia prædestinationis, mediante spiritu salis coagulatur in arenam seu tartarum aut bolarem aut mucilaginosum.

Ex his constat Chymicos tantam tartari mentionem facere, quasi nouum mixtum esset antecessoribus nostris incognitum, quod ad nullum quatuor humorum referri posset. Bellè sanè & lepidè gloriantur Chymico Medici, se inuenisse naturam tartari, seu naturalis superfluitatis, quæ mucilago salis est, excrementum cibi & potus, quod in se habet aliquod coagulationis principium: & omninò in pluribus corpori partibus satis sese prodit materia illa mucilaginosa, & fæculenta cum sale permista, quæ, quod illis fæcibus quæ à vino separantur, & ex lutosa & salsa materia coagulantur, doliorúmq; lateribus adhærescunt, & tartari nomine vulgò appellantur, affinis sit, tartarum etiam nunc à plurimis appellatur, ab aliis materia phlegmatica: de quo etsi alij aliter loquantur; Galenici tamen in hoc cum Chymicis consentiunt, qui dicunt, succum quendam lapidescentem, vt Fallopius, & Mathiolus appellant, seu materiam quandam coagulationi naturâ suâ aptam, vt Paracelsus nominat, passim in terra reperiri, & cum alimento à plantis attrahi volunt, & per plantas quæ animalium alimenta sunt, in ea transferri. *Tractat. 1. de tartaro lib. 1. c. 1.*

Quantum ad Hermeticam humorum Anatomen: quum horum nonnulli humores non negent, sed varia principia obtinere aiunt, nec primis qualitatibus discriminari, sed Mercurialibus, sulphureis, & salinis substantiis. Si proximè res cõsideretur, ipsi conantur vtramque sententiam conciliare: & cùm consensus vbique integer elici nõ possit, rationes & argumenta in vtramque partem afferemus, atq; sic doctioribus recto iudicio ductis, nullâque obliquâ inclinatione affectis, ansam præbebimus de vtriusque opinionis veritate saniori, sententiam pronunciandi: si modò sanguinis Anatomiam priùs & specialiùs proposuerimus. *num. 9.*

Quercetanus dum particularem sanguinis Anatomiam profert, collatione factâ sanguinis cum vino: vt enim vinum clarescit ac defæcatur in suis vasculis: sic sanguis noster in suis venis contentus, sedimenta sua deponit & exuit. Vana est hæc comparatio: nam longè aliter vini excrementa, quàm prædictos humores generari censemus. *Loco cit.*

Vuarum

Vuarum enim ſuccus per proprij ſpiritus,cui vegetus vini calor inſidet, commotionem efferueſcens, quæ ſibi ex vuarũ expreſſione admixta ſunt ſecernit; leuius quidem ſurſum effertur: quod verò grauius deorſum ſubſidet. At Chylus dum in hepar per venæ portæ truncum in minutulos ſurculos diſſectum introducitur, à particulari parenchymatis temperie alteratus, priorem naturam amittens nouam induit. Vbi quia heterogeneis conſtans partibus, parem ſecundum omnes ſui partes alterationem, à calore iecoris ſubire non poteſt: quod illius tenuiſſimum eſt ſuperexcoctum, vel quod eiuſdem dulcius eſt facilius amareſcens, in flauam bilem tranſit,actu calidam ſiccam amaram, & ad alendum inutilem; eamque veſica fellis per vaſa ſibi propria, quæ per cauam Iecoris partem diſperguntur attrahit: vbi annotatur ſegregatio à calore facta,tum ſucci inutilis attractio ad ſuum locũ. Ad craſſi autem & fæculenti excrementi generationẽ, quod vbi ſubſideret non habet in hepate, vt vini fæx in cortina & dolio: ita natura prouidit; vt cùm non potuerit ſufficienter in hepate immutari craſſus ſanguis amandatur per portam, & ramum ſplenicum ad lienem, vbi magis conficitur & defæcatur. Licet recentiores Ariſtotelis opinionem refricantes velint, eam Chyli portionem per meſaraïcas delatam vſque ad portæ truncum; ibi per alterum ramum ſplenicum, à lienis facultate attrahi, vt in naturam ſanguini maximè analogam conuertatur: & in hepar poſtmodum per eundem ramum tranſmittatur. Hinc conſtat diſparem eſſe rationem ſanguinis mutationis, & partium ſuarum ſeparationis, ac vini portionum ab vuis expreſſarum alterationis. Non ergo eſt vtriuſque analoga & affinis comparatio.

Lib. 3. de part. anim. c. 7.

Verùm conſiderant Hermetici ſanguinem defæcatum, quatenus per venam cauam in cor vſque delatus (quod veluti pelicanus eſt naturæ,aut vas circulatorium) ſubtiliùs adhuc concoquitur, vt vires quintæ eſſentiæ,aut aquæ vitæ ſulphureæ ardentis aſſequatur, quæ emphyti caloris origo eſt. Sicut ex vino, lento calore aqua vitæ elicitur: ſic ex ſanguine, lento & naturali cordis calore extillatur,fitque aqua vitæ, nempe ſpiritus vitalis. Ad hæc Reſpond. dicta eſſe per ſimilitudinem, & quandam analogiam: nam calor cordis non eſt lentus,ſed cœterarum partium validiſſimus. Præterea fit quædam circulatio,quam Medici vocant tranſcolationem per ſeptum cordis medium, carne fibroſâ contextum, multis foueis & quaſi cuniculis peruium; vt in theatro Aquenſi anatomico à D. Pagano Chirurgo, & anatomico regio: & expertiſſimo D. Cayre eundem locum occupante, nobis demonſtratum eſt. Non ſicut ſpiritus vini in aquam, ſed ſanguinis ſpiritus in corpus tenuiſſimum viſum effugiens tranſit; & ex ſanguine, nec non aëris ad cor appulſu, generatur. Vtraque igitur materia in cordis ἐργαστηρίῳ attenuata, calefacta, & penitus elaborata vi inſiti caloris; & propriæ temperiei, fit ſpiritus vitalis, qui per arterias in totum corpus diffunditur.

Ex eo ſpiritu vitali, animalis ſumit originem: nam cùm per arterias in balneo maris cerebri depor-

tatus, illûc rursùm, ex sententia hermeticorum, in rete mirabili circulationibus exaltatur. Non secus ac ex aqua vitæ spiritus vini artificioso maris balneo prolicitur, qui longè aquâ vitæ subtilior, & spirituosior est, vt cuius gutta effusa citiùs in auram euanescat, quàm in terram delabatur. Hic spiritus animalis subtilitate vitalem in arteriis contentum longè superat, & excellit. Verùm non tãtum illa attenuatio quæ fit in plexu coroide, & rete mirabili consideranda; sed etiam mixtio aëris per nares & os attracti, & elaboratio ab ipsa cerebri substantia.

Respons. ad veritatem hermet. med. c. 15. Neque illa aqua vitæ sulphurea censetur vltimum alimentum, quod per tertiam coctionem partibus assimilatur, vt voluit Querceranus: sed potius sanguis tum venosus, tum arterialis, ad nutritionem concurrens: & licet arteriosus sit venoso calidior tantum, quantum cor superat hepar caliditate; est item tenuior ob multorum spirituum permixtionem, & maiorem depurationem; item flauior, & minùs rubescens venali, quia aërea pars in corde permista, illum colorem saturatum diluit. Vterque tamen est alibilis, sed venosus solidarum magis partium, arteriosus verò spirituosarum, & substantiæ illius humidæ, quam primigeniam & radicalem appellamus, cum qua maximam habet societatem.

7. *De humoribus secundariis*

Sanguis antequam in partem nutritam abeat, in humores secundarios commutatur, qui ita dicti sunt, quòd à primis oriantur. Hæc sanguinis alimentarij mutatio in tertia coctione celebrata humorum vsum apprimè commonstrat.

Quatuor sunt humiditates, quas ex Galen. quatuor siccitatis differentias referente colligimus. Ex quibus contrariorum lege Auicenna humiditatum quatuor species elicit, peculiari nomine insignitas, vt declarat Vallesius. *Lib. 7. meth. c. 6. Lib. 1. fen. 1. doct. 4. cap. 1. Lib. 1. contr. c. 22.*

Fernelius quatuor humiditates ex quatuor alimenti mutationibus deducit, quas primùm Gal. declarauerat. Qui succus animalis particulam nutriturus est, à vasis excidit, in totam eam primùm dispergitur, mox adiungitur, deinde agglutinatur, demùm assimilatur. *1. de fac. nat. c. 11.*

Prima humiditas omnium consensu est, quæ in extrema & ora exilium venarum, arteriarumque perducta, leuem aliquam à parte circunstante mutationem patitur, & quia immediatè fit à sanguine, idcirco humor sanguineus à plerisque nominatur; cùm proprio nomine careat.

Secunda, est quæ roris modo in partis substantiam spargitur, eique apponitur, vnde res, seu roridus humor dicitur.

Tertia humiditas est, quæ proximè partes alit, & per maiorem coctionem magis densatur, omnesque membrorum qualitates suscipit, vocatur Cambiũ propter insignem illius permutationem: quidam vocant humiditatẽ carnosã & adipis.

Quarta eadem est alimenti substantia humida magis agglutinata, & vsquequaque assimilata, vt ad formam naturamque membri imbuendam sit proximè disposita. Auicennæ interpretes eam gluten nuncuparunt, per quam partium continuitas conseruatur, & illarum substantia vltimò reparatur; ideo-

que humidum primigenium partium solidarum esse dixerunt. Fernelius hanc humiditatem vocat Carnosam substantiam, seu concretum liquorem.

Lib. 4. physiol. cap. 5.

Et cum in quauis coctione fiat semper crassiorum partium segregatio; proinde in hac multa separantur excrementa, quorum quædam sunt communia, & quæ ab omnibus particulis promiscuè dimanant, maximéque ab vniuerso corporis habitu; vt quæ vaporis specie per cutis spiracula insensibiliter exhalant: & quæ paulò crassiora sordiū instar cuti extrinsecus adhærescunt, & sudores qui reliquię sunt serosi humoris illûc euecti. Præter hæc alia conspiciuntur quibusque partibus peculiaria, quemadmodum pili & vngues partium solidarum sunt excrementa; renum autem & vesicæ ea, quæ cum vrinis redduntur; pulmonum sputa quotidiana; cerebri excrementum est id, quod tum per palatum, tum per nares defluit, & emungitur.

8. *Hermeticorum opinio examinatur de natura humorum excrementitiorum, & cum illa dogmaticorum comparatur.*

Loco cit. tetrados.

Quercetanus comparationem & analogiam vini distillati cum sanguine persequitur: quum huiusmodi tentantur extractiones spirituum vini; quæ anima est illius, magnam Phlegmatis copiam, eamque inualidam & nullius virtutis licet conspicere, quæ subsidit in imo post spirituum extillationem. Sic in sanguine, præter illum spiritum & aquam vitæ naturæ humanæ, comperitur etiam magna phlegmatis quantitas, humoris videlicet pituitosi prorsus itidem inutiles.

Nos verò asserimus illam phlegmatis separationem non fieri in spirituum elaboratione, sed potius in intestinis, ventriculo, & venis, in quibus tamen spiritus minimè perficiuntur. Si quæstio sit de parte illa Chyli quæ in sanguinem crudum ab hepate commutatur, quia hæc vtilis est corpori non euacuatur.

Insuper in vino præter phlegma distillatione eductum, fæcem quandam flauam aut rubram obseruant, sulphuris & salisnitri plenam, mediocriter volatilem: quod idem in sanguine deprehendi putant, si destillatione tentetur: idque est quod bili, quam à sanguine natura separat, aptè comparari potest: cùm vtraque fæx prorsus nitro-sulphureæ sit substantiæ. Ibi sumunt bilem pro fæce, nos verò subtiliori sanguinis excremento calidissimo & amaro, præsertim quod ex cystide fellea exundans, in capacitatem intestinorum amandatum, expultricem facultatem ad deiiciendum prouocat. Neque bilis in corpore per distillationem extrahitur: sed à facultatibus membrorum ad id destinatis segregatur.

Vini anatomiam si iuxta prædictos Hermeticos persequaris, licebit copiosam eius fæcem liquidam intueri: ex qua acetum fiat ab artifice, quod naturalem melancholiam acidam, & ponticam aptissimè refert, quæ in sanguine subsidit: & ex qua materia natura acetum suum exprimit, & elaborat, humorem scilicet melancholicum. Porrò post aceti in formam liquidam extractionem, remanebit quædam fæx aut tartarus, vsque adeo acer, niger & ardens, ex salium vitriolatorum copia quam continet, vt ex tantilla illius

illius in aquam inſperſione, ea promptè tota acetata reddatur. Quod etiam in ſanguinis anatomia obſeruari aiunt, ex vtriuſque analogia. Siquidem huiuſmodi aceti fæx atræ bili, & aduſtæ reſpondet: non quòd ea talis ex aduſtione euadat, ſed ex Mercurialium & ſulphurearum ſubſtantiarum ſeparationibus: quarum commixtione ſales antea in ſuo ſtatu, & officio temperati continebantur: qui ſoli ex ſeparatione relicti, ſeſe ipſos exacuunt, & offerunt. Vt autem acetum nonniſi poſt deperditum aut ſeparatum ſpiritum (quæ volatilior eſt & ſulphurea, atque Mercurialis vini eſſentia) fieri poteſt: quod idcircò aceſcit, eò quod ſalem ſolùm armoniacum, volatilem & acrem, necnon vitriolatum retinuerit: quē ſibi ſemper habet latenter coniunctum, à quo qualitatem & vini obtinet longè aliam, quàm frigidam & ſiccam, ſed modò dirimentem & reſoluentem potiùs ea, quæ duriora & ſolidiora exiſtunt: modò coagulantem, quæ mollioris & magis ſpiritualis ſunt corporis. Sic etiam humorem melancholicum in corpore noſtro, diſſipatâ priùs dulciori & ſuauiori eſſentiâ, aceſceri, & eaſdem facultates quas acetùm, ſed longè potentiores à ſale ſuo obtinere, & in actum tandem producere. Omnis namque melancholicus humor nec à calcinatione & aduſtione, acrimoniam, nigredinem, & fermētationem aſſequitur: ſed, vt ſentiunt Hermetici, à mixtione ſalis cuiuſdam armoniaci, volatilis, ſubtilis, atque acris, acidiue, ac vitriolati, quem in ſe ſolutum continet, quique eſurinus & prouocādó appetitui condimenti loco eſt.

Ex hiſce conſtat Hermeticos velle melancholicum ſuccum more aceti fieri, ex deperditione ſpirituoſæ & pinguis ſubſtantiæ; vnde ſal volatile ipſius acidum, mixtum cum parte aquea magis viget, & ſic liquidum facit hunc ſuccum, vt nunquam fæculentus qualis deſcribitur à Galen. & ſuis ſectatoribus reperiatur, qui paſſim eum confert fæci vini, & amurcæ olei. *Lib. 3. de loc. aff. 7.* Contra illi ſentiunt, vt acetum naturæ liquidæ, non terreſtris, per totum lienis ſpongioſum corpus diffundi; vt ſic corpus eius, hoc ſucco acido & acri perfuſum, tanquam fermento, in raram & ſpongioſam naturam attollatur: vt in pane videmus fieri, qui fermento maceratus attenuatur, ac leuior, & ſpongioſior redditur; cùm ſecùs futurus eſſet grauis & denſus, ſi eo deſtitueretur.

Nos autem ſtatuimus melancholicum ſanguinem, ex craſſiore & terreſtriore Chyli parte confici; quem cum hepar vix poſſit elaborare, ſtatim ad lienem veluti illius ſubſidiarium amandari: & cùm illa craſſior portio ſanguinis naturam redoleat, ipsâ lien, & partes vicinæ nutriuntur. Non deſtituitur hic humor ſpirituoſis, & oleagineis ſanguinis partibus, quibus ſalina illius portio coërceatur: à quo cùm ſeparatur licet terreſtrem habeat propriâ naturâ conſiſtentiam; attamen aliàs contingit, vt multâ aquâ dilutus & fæculentus à liene attrahatur; eique ſicut in lixiuio ſal, & fæculentæ aduſtæque partes, aquæ adeo immiſcentur, vt non animaduertantur.

Sunt etiam in Chylo partes quædam terreæ, craſſæ, ſalſæ, fæculentæ quæ non magis nutrire poſſunt quàm cineres: aliæ contra aqueæ ex potulentis & liquidis cibi & potus

potus partibus superfluæ, quæ ferreis illis & crassis pro vehiculo seruiunt, easque diluunt. Vtreque cum in Chylo mixtæ ad hepar peruenerint, simul in generatione humorum separantur, & lieni destinantur. Exinde humor melancholicus procedit non semper crassus, sed aqueâ portione aliquando dilutus: vnde ab Hippocr.[a] melancholia aliquoties ὕδωρ & ὕδωψαρ appellatur, docétque[b] quod potus pars in vesicam penetrat, reliquum verò lien ex ventre ad se trahit, & recipit: vnde dicitur ab Hippocr.[c] sanguis melancholicus ἰχωροειδὴς καὶ λεπτὸς.

a Lib. de genit. & initio lib. 4. de morb.
b Lib. 1. de morb. mul. & lib. 4. de morb.
c 6. Epidem. sec. 2. tex. 32.

Hinc constat varias esse melancholici humoris differentias: & primò melancholia seu succus melancholicus propriè sumptus, est massæ sanguinariæ portio in secunda hepatis coctione genita, veluti fæx quædam seu residentia frigida sicca; colore nigro, sapore acerbo, & consistentiâ crassiore; cuius partem per venas deferri diximus cum sanguine, ad nutritionem membrorum hâc materiâ gaudentium: aliam verò à liene attrahi, secerni, & expurgari tam in superiorem ventriculi partem, per vas breue, seu μελαινοδοχὸν, vt appetentiam ibi excitet, ex sententia Auicennæ, vel certè quod magis Galeno placuit, retentionem alimẽtorum suâ acerbitate, & astrictione iuuet; vel ciborum dissolutionem in ventriculo promoueat, vt rectè docuit Vanhelmont tractat. de sextuplici digestione alimenti humani.

Alius humor melancholicus reperitur intra latitudinem sanitatis per accidens genitus, in naturis sanguineis & biliosis leuiter exustus, qui homines ingeniosos efficit. Et tandem humor ille qui atra bilis pr. nat. dicitur, inutilis, & exitialis, à caloris extranei exurentis, & putrefacientis excessu generatur; cui recipiendo nullum à natura viscus dicatum, quem omnes partes velut infensissimum auersãtur, omnibus qualitatibus, & totâ substantiâ ingratum, ac nocentissimum; quippe tantam aciditatem cũ acrimonia retinet, vt excedendo exulceret partes, quibus adhærescit: nec tantum membra erodit, verùm etiã in terram effusus, acerrimi aceti instar, vel etiam aquæ fortis, fermentat, & bullas excitat: vnde perniciosissimos morbos gignere dicitur: teste Hippocr. Hermetici huiusce atræ bilis causam efficientem sali prædicto tribuunt: sed non omittendã est partium plus iusto inflammatarum, & exsiccatarum dispositio, quę succos contentos extorret, & incinerat; addendus est putredinosus calor, per quem consumptis tenuioribus partibus, quas Hermetici vocant sulphureas & Mercuriales, fæx veluti vsta remanet, vt calx, & cinis: in qua ignis veluti ἐμπυρεύματα remanent.

Notandum est acetum melancholico humori generando aptissimum esse, ob vires & qualitates melancholiæ similes; neque aliter fieri è vino acetum, quàm ex sanguine melancholiam Galen. innuit. Qua de causa Hippocr. melancholicis noxium esse acetum docet: siquidem siue temperiem, siue generationis modum attendas, melancholiæ pabulum est. Aceti aciditas biliosis magis, quam melancholicis confert. Amara enim dissoluuntur, καὶ φλεγματοῦται & in pituitam transeunt, dum ab ipso in sublime attolluntur. Nigra verò fer-

3. De sympt. caus. c. 2. 3 de vict. acutor text. 38.

mentantur,in ſublime attolluntur, & multiplicantur. ἀναγαγὼν γὰρ μελάνων ὄξος: eleuans enim nigra eſt acetum.Quo in loco Hippocr. fermentationis, & exaltationis humorum mentionem facit ; quod Chymici attribuunt ſaliuę ipſorum portioni ; quod ſignificare videtur diuus Senex,dum conſiderat potiùs diuerſas humorum ſubſtantias , & varios ſapores , tanquam mutationis eorum cauſas ; quàm primas ipſorum qualitates.

9. *Humorum principia qualia ſint ex Paracelſo , & Dogmaticis.*

Redeamus ad examen ſententiæ Hermeticorum , qui malunt contemplari in humoribus , vt & in aliis rebus , Mercurium , ſalem , & ſulphur , quàm primas qualitates; non enim negare poſſunt in noſtro corpore quatuor eſſe humores, rationum momentis,& experientiæ luce conuicti;qui ſunt corpora mixta : nam ſanguis apud Ariſtot. eſt conſiſtentiâ aqueus, energiâ igneus dicitur ; fibræ quæ colaturâ deprehenduntur,manifeſtè demonſtrant illum eſſe terreſtrem ; ſed quia primo obtutu non ſunt conſpicuæ , aqueus potius quàm terreſtris iudicatur:multis item ſpiritibus conſtat à corde & hepate communicatis;hinc quamdiu eſt intra venas naturaliter conſtitutus , tamdiu calidus eſt , & aëreâ humiditate præditus , quâ partes noſtri corporis reficit, & caloris innati robur conſeruat.Cœteri humores ſinguli, pituita, & vtraque bilis ſunt corpora mixta. Verùm in pituita , aqua, in melancholia terra,in bile ignis dominatur, Sic ſemen ratione ſpiritus eſt igneum , ratione verò ſpumæ pinguis aëreum magis quàm terreſtre,& aqueum. Si ergo ſpectes duo generationis principia ſenſibilia ; quis dubitet quatuor elementa , & humores totidem , ad animalium perfectorum conſtitutionem conuenire.Si materno ſanguine ex quo primùm fit & nutritur fœtus in vtero , quatuor ſint humores , qui quatuor elementis proportione reſpondent : bilis igni,pituita aquæ, melancholicus ſuccus terræ , ſanguis aëri:quis ibit inficias?quatuor elementa,ſi non immediatè, ſaltem mediatè eſſe materiam miſtorum potiùs,quàm ſalem,ſulphur,&Mercurium : cùm ipſo ſenſu teſtatum habeamus , miſta conſtare quatuor elementis : ſanguinea quatuor humoribus, quos continet ſemen , & ſanguis. Quis furor fingere noua neque ſenſu , neque ratione comprobata?

Si verè Paracelſus ſcripſerit primâ coctione ſecerni ſalem, ſecundâ ſulphur , retineri tamen Mercurium , ſeu liquorem ad nutritioné; cur illo authore tria ad generationem animalium & plantarum coëunt ? ſi iiſdem conſtamus quibus nutrimur. Ergo ſolo Mercurio partes conſtantur Verùm dices in humoribus à Paracelſo contemplari ſalem , quem nominamus partem terreſtrem ; pinguem præterea ſeu ſulphuream ; denique ſpirituoſam & Mercurialem , quæ potiſſimum partibus aſſimilatur. Vel potius Paracelſum excuſabis , quod bilem ſulphur nominarit , humorem terreſtrem ſalem:ſi rem eandem deſignauit , cur nomina immutauit ? cùm res ſatis cognoſcerentur ſub nominibus iam ab annis bis mille receptis;quæ neceſſitas erat nomi-

na

na mineralium ad animalia transferre? sed lucem quam consueta vocabula Medicinæ afferebant, non tantum rerum sed verborum nouitate, extinguere conatus est Paracelsus. Vsitatis nominibus vtendum esse monet Galenus, maluitque solœcismum cōmittere, quàm obscurè, & ænigmaticè loqui. Perspicuitas maxima est orationis virtus quæ nullâ perinde re, atq; inusitatis nominibus vitiatur, prout vulgus hominum consueuit.

Initio lib. 1. de facult. nat.

Obiiciunt primò aduersus hoc de humoribus dogma, nec primis qualitatibus discerni, nec vulgaribus principiis, sed Mercurialibus sulphureis, & salinis substantiis: absurdum enim est, qualitates & accidentia constituere principia substantiarum: quia ex non substantia fieri non potest substantia; mille accidentia simul iuncta non efficient vnam substantiam. Ideóque reprehenditur Galen. quòd facultates omnes rerum naturalium crasi, & materiæ elementari adscripserit, Empedoclis errorem sequutus, qui dicere erat solitus; naturam nihil aliud esse quàm mixtionem, & mixtorum alterationem.

Sed non aduertunt non referre Medico, si primum calidum dixerit an ignem, primum frigidum, an aquam, vt fecit Hippocr. cùm cogamur propter ignorationem essentialium formarum, elementa primis qualitatibus definire: licet substantias prout sunt consideran-tes, negemus eiusmodi crases efficientes esse causas, aut formales: at organicas tantum, seu instrumentales, quas Plato vocat causas sine quibus non; quæ cùm sint suâ naturâ indefinitæ, formâ substantiali definiuntur. Atque hinc Aristotel. causam formalem, quę substantiam cum materia constituit, appellat φύσιν seu λόγον, & principem naturalium causam. Quæ forma vt scribit Philosophus, neque est elemētum, neque concretum quid ex elemētis, sed est principium quoddam diuinum, quod non constituitur ex crasi elementorum, nec ab iis generatur. Vnde notandum est in omnibus rebus naturalibus tria considerari: primò substantiam ipsam; secundò potentiam essentialem, siue ipsius substantiæ δύναμιν, quæ est efficax ad agendum: hanc falsò collocat Quercetanus in Categoria substantiæ; cùm sit ex secunda qualitatis specie, in potentia naturali. Tertiò potentiam naturalem quæ dependet à temperamento, siue crasi cùm operatur: & quia medicus est artifex sensui addictus; idcirco temperamenti facultatem sensibus nostris obuiam, cum Galeno potissimùm considerat. Licet Hippocr. non tam qualitates primas, quàm quod est acidum, amarum, aut dulce inuestigarit: per quæ verba volunt Hermetici; intelligendum Mercuriale, salsum, & sulphureum: vt postea examinabimus.

3 Phyficor.

3 Metaphys. & in fine lib. 1.

In Responsione ad veritatem Hermetica Medic. c. 11.

De veteri Medici.

Obiiciunt secundò: nos constare spiritibus, & salibus mineralibus; quia iisdem constamus quibus nutrimur: atqui nutrimur tum vegetabilibus, tum animalibus ex iisdem educatis, quæ in sensitiuam & animalem naturam transierunt. Vegetabilia verò seu plantæ suum alimentum ex terra, quæ in variis locis diuersa, & plerumque salsuginosæ materiæ; ex qua minerales spiritus Mercuriales, acidos, & acres, ac nitro-sulphureos, amaros, & dulces attrahunt, & quantum

num. 10.

fieri potest in suam naturam meliorem immutant. Ergo iis etiam constamus, licet ex diuersa coctione quam in corpore, subeunt, immutatis & contemperatis. Quòd si illa excedentes habeant qualitates, vt sæpè fit, quas natura superare non possit, non mirum est si priorem naturam, quam ex terræ succis mineralibus retinuerunt, in corpus quod illis alitur transportent. Ergo humores, inquiunt, & potissimùm excrementitij, qui ex alimentis illis magna ex parte indomitis ortum habuerunt, parem naturam repræsentabunt: atqui talia alimenta, spiritus illos, & sales minerales è terra hauserunt, & corpori alibili communicarunt. Ergo humores illi excrementitij nomina illorum mineralium, quorum facultates obtinent, retinebunt.

Insuper vrgent sapores ex salibus emergere: atqui saporibus, seu substantiis variis saporibus constantibus proprietates omnes tribuuntur. Ergo & humores suis salibus perfusi facultates quibus corpus afficiunt, obtinebunt. Hinc fit vt bilis ratione sui salis habeat amarorem nitro-sulphureum; pituita salis communis, sed diluti saporem refert; melancholia, seu atra bilis, vitrioli. Et ex his salibus varia fit in humoribus mutatio, fermentatio, & exaltatio. Magnã esse eiusmodi vitriolatorum salium copiam in multis vegetabilibus, quibus nutrimur, & ex quibus elaboratur sanguis, probant in vino, cuius mater scilicet vitis plusquàm vegetabile aliud, metallicos terrę spiritus haurit, & depascit: hinc fertur Bacchum amare colles, & petrosa loca, iisque delectari: quod multis aliis vegetabilibus non contingit. Illud ergo quod à terra vitis attraxit planè immutare nequit, vt & in vino demonstrari possit, imò in homine remaneat, & in morbis, præcipuè arthritide satis sese prodat.

Quin etiam ex vrinis artificio sales secernuntur, qui varium saporem mineralium repræsentant: ex his enim interdũ occurrit sal amarus, quem possis nitrosum vel biliosum dicere; interdum dilutus, qui congruit vulgari, vitioso, & imbecilli; interdum subacidus de acida pituita, vel atra bile, quem nominare queas aluminosum, aut vitriolatum: quorum hic atræ bili acri, ille pituitæ respondet. Ita humores Galenicis dictos facilè conciliabis cum succis mineralibus: quod non solùm ita esse accipiendum quidam putant, quasi solam quandam analogiam ad ea habeant; sed quòd reuerâ aliquid salis, aut talium rerum in se contineant, quod effectus satis docent, qui maximè apparent, cùm ab humoribus aliis quibus quasi diruebantur, & occultabantur, secernuntur.

Ad prædictas obiectiones. Respond. 1. certum esse similia à similibus nutriri & conseruari: hinc fit vt vitam habentia, quorum esse calido & humido continetur, calidis etiam & humidis foueantur & alãtur: & licet omnia corpora sint quatuor qualitatibus prædita, tamen quæ vitam habent calidum & humidum in prædominio obtinent; stirpium verò naturã maximè humidam esse constat. Itaq; cùm spiritus minerales & terræ salsedo nimiùm exsiccent, ac constringant, fit vt humida stirpis natura quæ alimentum humidum postulat, dum sicco sustentatur, exsiccetur & arescat: cùm à contrariis omnia intereant.

eant.

cant. Corpora mixta tametsi quatuor qualitatibus constent, vnâ tamen excellunt; vt quadrupedia calore, humiditate stirpes, frigiditate pisces, siccitate lapides. Stirpes autem ita à natura sunt comparatæ, vt humore tanquam materiâ maxime alantur, calore nimirum illum fouente & animante, siccitatéq; moderatâ consolidentur, ac indurentur; roborentur demum frigiditate vt partes humoris accedentis quasi coagulentur, & in corporis molem sensim adhærescant. Hic verò motus fit ab anima vegetatiua ferè diuina, & à spiritibus organicis. Terræ humor est aër calidus & humidus, ei vim altricem propinans, & veluti lac, quo ipsa rerum parens fœtus suos alit. His positis negamus plantas è mineralibus alimentum suscipere, licet aliquam ipsorum virtutem attrahere possint, vt constat in vite.

Quod spectat ad id quod in medium proponitur, salem esse saporum principium; dicimus in humoribus alimentariis non reperiri: quia terrestris portio sanguinis non in salem abit, sed in fibras quæ soliditatem dant partibus. Oleaginosa horum portio non est de salis sulphurei natura, imò maxime dulcis illius mixti portio, quæ humidum radicale restaurare est apta. Spirituosa tandem omnium purissima, & calidissima ipsius pars, quã Chymici vocant Mercurialem, & æthheream, omni sale caret. Nihilominus in sanguine alimentario an sal dulcis reperiatur, non video; cùm nulla qualitas sicca cum ipso iungatur, quæ tamen salis naturam comitatur. Salem autem saporum causam non approbant Medici, quia natura à salsis abhorret, nutritur omne corpus dulcibus, vita est in humido dulci; amara autem sicca, seu salsa ad cineris aut calcis naturam accedunt.

Salem autem in humoribus excrementitiis non semper actu inesse asserimus, vt sentiunt Hermetici, sed potentiâ: nam aliqua mutatio intercedit vt ad actum reducatur; vt cùm per adustionem à calore pr.nat. factam humores alterantur. Sic bilis per ampliorem vstionem partibus humidioribus absũptis longè acrior & amarior fit. Idẽ contingit in scabie, vlceribus erodentibus, ac serpentibus, & cancro in quo salem corrosiuum inesse dicunt. Salsedo deprehenditur in pituita salsa propter immixtam serositatem salsam calore humidũ aliquatenus consumente, salsedo producitur. Quare licet humores excrementitij salsi, acidi, acres, acerbi, & similes reperiantur, non proinde sales in ipsis contenti sunt causæ facultatum ipsorum: quia sapores ex salibus non proficiscuntur, sed ex aliis succis variis saporibus donatis, quos nec vitriola, vel alumina esse vocanda dicimus, sed probatis vocibus iuxta dogmata Philosophorum & Medicorum, salsi humores prodeunt ex Chyli parte terrestri, quæ cum sero permista, & ad vrinam conuersa, ipsam salsam reddit.

10. *An principia Hermeticorum Hippocrates nouerit.*

Hermetici longè meliùs sensisse Hippocratem dicunt, firmiúsque fundamentum astruxisse, qui postquam repudiasset quorundam hypotheses, qui plus æquo crasi, & elementorum qualitatibus tribue- *Lib. de prisca Medic.*

bant: ſecúſque agnouiſſet varias ſaporum differentias alimentis & humoribus inſitas, aliam ſubiit rationem, quâ ortus & cauſas morborum inueſtigarit, eáſque dulci, acido, acerbo, amaro, & id genus aliis ſpeciebus adſcripſerit, ac morborum curationes ex eadem familia peti & abſolui debere, conſtanter aſſeuerauerit. Nunquid hęc magis fauet Hermeticis opinio, maiorémque cum illis conſenſum habet, quàm Galenica illa, quâ modò facultates eiuſmodi craſi arrogat; modò ad occultas proprietates reuocat, cùm eæ ſolis tribus hypoſtaticis principiis tribuantur. Quod agnouiſſe, aiunt, Hippocratem; etſi principiorum illorum nomina tacuerit. Quid enim aliud nobis dulce illud Hippocratis exhibet, quàm ſulphur, aut liquorem rerum oleaginoſum, quem copioſè ſemina obtinent omnia; vt quæ ſemper oleoſa appareant. Quid repræſentat aciditas, præter Mercurium, quem ferè ſemper dicunt aciditate illâ ſtipari, à quo fermentantur, & condiuntur omnia. Quid nobis acerbũ & amarum demonſtrant; præter qualitates ac proprietates ſalibus debitas: quibus ipſe Galenus reliquos ſapores vendicat.

Cenſent Hermetica tria principia non fuiſſe Hippocrati ignota, licet aliis terminis nobis illa explicauerit: atque hinc concludunt ſua theoremata ac fundamenta nõ eſſe recens iacta, ab huiuſce ſeculi Doctoribus, nec planè noua eſſe; cùm originem ſuam ab ipſo Hippocr. vel altiùs etiam acceſſiuerint.

Ad hæc nos profitemur verum eſſe apud Hippocr. cauſas ſanitatis & morbi, non in ſolis qualitatibus primis conquiri; ſed etiam in aliis facultatibus, quas per ſaporum differentias inueſtigat; & ideo in hæc erumpit verba. Quam rectè conuenientérque ratiocinando inueſtigaſſe mihi videntur, & ad hominum naturam accommodatè primi iſta inueniſſe, artémque dignam iudicaſſe, quæ ad Deum authorem ex maiorum inſtitutis referretur: etenim nec ſiccum, nec humidum; neque calidum, neque frigidum, nec quicquam ex his exiſtimarunt homini damno eſſe, neque horum aliquo ei opus eſſe. Sed quod in vnoquoque ἰσχυρὸν potentius eſſet, & ſupra naturam humanam, adeo vt ab ea ſuperari non poſſet, id lædere cenſuerunt, & tollere conati ſunt. Eſt autem valentiſſimum inter dulcia dulciſſimum, inter amara amariſſimum, inter acida acidiſſimum, & quod in re quaque ſummum eſt. Hæc enim homini ineſſe, eique nocere videbant. Homini enim ineſt, & amarum, & ſalſum, & dulce, & acidum, & acerbum, & inſipidum, aliaque ſexcenta, quæ pro copia & viribus varias habent facultates. Et hæc quidem mixtione, & mutua inter ſe contemperatione, neque cernuntur, neque quenquam moleſtià afficiunt. At vbi quidpiam eorum ſecretum fuerit, & per ſe extiterit, tunc & conſpicuum fit, & moleſtiâ hominem afficit. *Circa Med. loc. cit.*

Verum Hippocr. hoc in loco nõ loquitur de aliis principiis, quàm de humoribus: nam vt in decurſu ſermonis ipſe dicit: quæcunque hominem malè afficiunt, ea omnia ex ſuccorum potentiis proficiſcuntur. Veluti quidem ſi amarus humor aliquis, quem bilem flauam nuncupare ſolemus, effuſus fuerit, quænam anxietates, æſtus, & impotentiæ detinent: paulo poſt, & qui- *Circa finem.*

bus

bus quidem acuti,acres, & ærugi-nosi humores instant,quinam furo-res, & viscerum ac thoracis lanci-nationes, animique abiectio inde oriuntur.

Nomine ergo amari, & salsi, & dulcis, & acidi, non intelligit sa-lem, sulphur, aut Mercurium: sed tantum varios humores pro diuer-sitate saporum; atque alios insipi-dos,alios salsos,alios amaros, alios acidos,acerbos, alios dulces nomi-nat. Qui succi si excedant,& à reli-quorum mixtione secernantur, & commoderatione, in extremos & excedentes degenerant.Eum exces-sum Hippocr. τῶν χυμῶν ἀκρότητας καὶ ἰσχῦς appellat. Hoc etiam probat ex cibis;quicunque nobis incommodi sunt, & ingesti hominem lædunt, horum quilibet aut amarus est, & eatenùs intemperatus,aut salsus,aut acidus,aut quouis alio modo ἄκρατος καὶ ἰσχυρος intemperatus & for-tis,vt ab his turbetur corpus, æquè ex his quæ excernuntur è corpore. Quædam enim alimenta assumpta, ita sunt ἀνεπιτήδεια inepta, ἄκρατα καὶ ἰσχυρὰ, vt quamuis in sanguinem conuerti videantur, bona tamen ex parte pristinam naturam retineant, neque à natura humana superari possint.

In medio loci cit.

Ex his colligere licet, non ad sulphur,salem, aut Mercurium re-currendum esse, vt causas morbo-rum cognitas habeamus,sed ad hu-mores diuersis saporibus præditos, ex variis alimentis genitos, iisdem qualitatibus constantes. Nomine acidi.dulcis, salsi, aut amari intelli-git succos suis facultatibus & viri-bus instructos;in quibus qualitates etiam prædominantur,sed non solæ & simplices: quemadmodum lo-quens alibi Hippocr.de calido,non solùm calorem appellat, sed ipsum cum substantia spirituosa & humi-da coniunctum.

Verùm si velimus Hermeticos cum Galenicis conciliare, dicemus in humoribus, sicut & in corporis partibus, tres substantias distinctas animaduerti, quas veriùs Medici cognoscunt: duas scilicet humidi-tates; vnam aqueam,alteram olea-gineam; tertia est substantia solida & terrestris, quam Chymici sali-nam vocant: quæ diuersæ sunt na-turæ, & diuersos obtinent sapores. odores, & colores, æquè ac partes quæ de hisce componuntur.Verùm huiuscemodi qualitates in sangui-ne simùl commoderantur, & mis-centur,adeo vt non appareant, nisi exhalent,aut exaltentur, per secre-tionem illarum ex massa sanguinea; vbi separatæ illæ qualitates extre-mæ & vehementes suas vires in corpus,quod malè afficiunt,exerũt. Illas autem qualitates excellentes retinuerunt ex natura alimẽti,quod non potuit à natura superari.

Nemini ergo mirum est vndenã profluant in corpore tot sapores di-stincti ad fauces,& linguam eleua-ti, etiamsi edulia vorata tales sapo-res antea non referrent:nisi à spiri-tibus & vaporibus, qui ex istis se-cretis substantiis emergunt. Verùm Hermetici & Chymici in hoc fal-luntur, quòd vt exprimant sapores humorum excedentes in corpore, nominibus rerum externarum, vt-pote mineralium,& similium vtun-tur.Cùm tamen Hippocr.fuerit cõ-tentus nomine generico vti vt in-de sub nomine acidi melancholi-cos, amari biliosos, dulcis sangui-neos, insipidi pituitosos compre-henderet. Meliúsne isti si alumino-sum succum, quem vitream & aci-dam

dam pituitam Galenici nominant, dicunt de natura aluminis esse: si illum quo dentes obstupescunt, acidum & acrem simul vitriolatum vocent, & sic deinceps. Quasi verò humanum corpus eadem pati posset, seu in humano corpore eadem fieri, quæ alicubi foris; veluti vtrobique gignuntur lapides, & succi inflammatiles, quod sulphur fœtidum vocant, stercori quàm simillimum. Itaque humores Galenicis dictos facilè conciliabis cum succis mineralibus: rectius est, quæ extra hominem in mineralibus sua habent nomina, ea cùm non sint planè eiusdem speciei, cum his quæ sunt in homine, consuetis suis vocibus distinctis appellare.

Quare dogmatici Medici amaros succos vocant biliosos, potiùs quàm nitrosos, aut sulphureos: subacidos pituitosos, quos aluminosos Chymici vocant; vel atrabilarios, quos vitriolatos appellant. Incongruum quippe est nomina apud antiquos & probatos authores recepta, vsuque comprobata immutare; hoc tanquam piaculum in medicina penitùs reiicimus: ne scilicet ex nominum inusitatorum receptu, confusio principiorū oriatur. Quod ita à Paracelso factitatum esse videmus, qui cùm noua principia protulisset; ne humorum quorum in medicina frequens fit dictio, meminisset, ipsos prorsus denegauit, eorúmque loco noua mineralium nomina, horum tamen comparatione aliquid illorum repræsentantia proposuit, vt doctrinam vulgarem funditùs supplantaret; quod ne maximo artis Medicæ detrimento contingat, malumus nos antiquorū verā doctrinā sequi, quàm Nouatoris istius ambitiosos fastus æmulari.

Sect. 1. probl. 5. Lib. 1. gener. ani. c. 1.

De formationis hominis principiis.

CAPVT X.

1. *Quid semen, & Quotuplex.*

SVMMVS rerum opifex Deus maris ac fœminæ permistione atque congressū, & seminum emissione, vt nouus fœtus sobolesceret præfiniuit. Propterea fœcundum semen esse voluit, quod ex prędictis humoribus primordia ducit. Fernelius spiritus & calorem in eo vigentem diuinum & cœlestem esse fatetur, non ignis aut alterius elementi participem; licet ipsius crassitudo & substantia ex elementorum tēperamento confletur. Certè in semine vim diuinam agnoscimus; cui tamen elementaris æquè ac cœlestis calor subseruiat, cùm vterque eiusdem speciei subsit.

Lib. 7. Physio. cap. 5.

Humanum semen corpus humidum est, calidum, spumosum, & album, ex reliquiis alimenti vltimi, & spirituum vbique oberrantium permistione, vi testium excoctum elaboratúmque ad perfectam animalis generationem. Humiditas, caliditas, spumositas, & albedo ipsius formam designant. Humidum semen est & δυνάμει & συστάσει, viribus & consistentiā: humidum autem esse debuit, tum vt ab agente facilè terminari posset, tum vt partium corporis omnium ideam formamque

mamque ſpecificam cōtineret. Calidum eſt vt educat formas illas; frigus enim non ingreditur generationem niſi ex accidenti. Duplex apud Philoſophos ſeminis natura, aërea altera & ſpirituoſa; altera aquea & diffluens. Quà aëreum ſemen eſt nunquam congelatur; quà aqueum ſtatim ſub dio poſitum, cùm ſpiritus euanuerit liqueſit. Ariſtotel. ſemen pituitæ ac aquæ naturam præ ſe ferre ſcribit, non ſpecie ſed colore: nam alibi eos refellit, qui ſemen omninò aqueum affirmabant, quia album eſt colorem aquæ referens, & refrigeratum ad aquæ ſpeciē redit. Diuerſa (inquit) eſt aquæ & ſeminis natura, aqua enim non craſſeſcit calore vt ſemen: aquea omnia frigore concreſcunt, ſemen ſub dio humeſcit.

Sect. 1. probl. 51. Lib. 2. de gener. ani. c. 2.

Spumoſum eſt ſpirituum permiſtione & motu: tum ob calorem genitalem quo perfuſum eſt; tum agitationem & quaſi circulationem, quam in vaſis præparantibus ſubit; tum ſpirituum copiam in quibus velut præcipuâ ſeminis parte ἀρχιγονὸς formatrix facultas ſita eſt.

Album eſt, tum quia in teſtibus & ſpermaticis vaſis excoquitur, quorum interna ſuperficies albeſcit, tum quia aëris & ſpirituum in ſe plurimùm habet.

Materia ſeminis duplex eſt, reſiduum alimenti vltimi, & ſpiritus: hâc ratione ſemen excrementum dicitur naturale & vtile proli ſuſcipiendæ gignendæque; ex reliquiis alimentarij ſanguinis generatur, non quidem à partibus ſolidis immutati, ſed ex puro ſanguine venæ cauæ ad vaſa ſpermatica delati, & in teſtibus elaborati. Altera ſeminis materia eſt ſpiritus tanquā efficiens, & formatrici vi inſeruiēs, per quem illa nobilis architectrix membranas extendit, canales in lōgum producit, & velut ſufflatione quâdam perforat, & ſingularū partium ideam ſpeciémq; δυνάμει cōplectitur atque diſpenſat. Hanc duplicem ſeminis materiam agnouit Hippocr. dum ſemē nunc igneum, nunc aqueum vocat. Igneum eſt ratione ſpirituum ἐνεργούντων. Irrepit in hominem anima ignis & aquæ commoderationem ſortita. Per animam ſemen intelligit, quod alibi ἐυψυχὶν vocat: per ignem ſpiritus & calidum innatum; per aquam humidum alimentarium, hoc eſt ſanguinem. Ignis, inquit, omnia per omnia mouet, aqua omnia per omnia nutrit. Habitâ duplicis huius materiæ ratione ſemen vtriuſque principij naturam ſortitur; materialis quidem ratione craſſioris corporis, ex quo partes ſpermaticæ generantur; efficientis verò & formalis, ratione ſpirituum.

1. De Diæta.

Semen duplex eſt, quicquid Peripatetici ſentiant, maſculeum ſcilicet & fœmineum; quia in mare & fœmina organa ſunt ſemen præparantia excoquentia & eiaculantia: eadem in coitu titillatio & voluptas; ſed maris ſemen τὸ πρῶτον ἔχον ἀρχὴν γενέσεως: fœminæ verò δεύτερον. Maris ſemen agendi vim maximam obtinet, quàm fœminæ: vtrumq; tamen fœcundum & prolificum. Rurſùm in vtroque ſexu duplex agnouit ſemen Hippocr. alterum robuſtius & calidius, alterum debilius & frigidius: illud maſculeum, hoc fœmineum vocat; ſiue oriatur illud à mare, ſiue à fœmina, ex quorum varia permiſtione & victoria mares fœmináſque generari vult. Quod etiam firmiſſimis rationum momentis confirmauit.

Loco cit.

2. De semi. cap. 1. Comme. in 6. lo. cor. affec. sec. 5.

Galen. & Thomas à Veiga in suis Comment.

2. De vi formatrice, & quâ semini communicetur.

Elementa, mixta, plantæ, animalia suas facultates naturales, & vitales tantâ doctrinâ insignitas obtinent, vt quasi rationis participes esse censeres: nam ab ipso ortu doctrinam quasi in mandatis habent, quam perpetuò exercent, ignara quorsùm, hoc tantum edocta obedire, & iussa creantis citra examen & iudicium facere. Et quemadmodum horologia temporum momẽta dimetiri & dispensare pro artificis arbitrio videntur; ita rerum istarum naturæ & facultates, diuino artificio constantes, præstantissima quædam & sapientissima exercent, ipsa sui operis inscia. Inter quas omnes facultates formatrix supremum Sapientiæ naturalis locum occupat, adeò vt in admirationem sapientes induxerit: ea vocatur à Thoma à Veiga diuinus influxus, incorporeus, summam tamen & ferè infinitam sapientiam edoctus: alij formas & actus vocant.

Maxima dubitatio suboritur, quomodo vis formatrix semini communicetur; cùm accidentia ex communi Philosophorum axiomate de subiecto in subiectum non mutentur. Etenim passio esse debet in proprio subiecto; ideóque illa vis semini esse nequit, cùm id non sit animatum, & proinde propriũ eius subiectum non dicatur: at vis illa corpori animato inhæret. Respond. illam potentiam semini communicari, & ideò semen esse potentia animatum non actu, ea ergo vis formatrix in spiritu inest genitiuo, quatenus simile producit; ista vis seminis formæ est insita, iuncto diuino influxu, iuxta quem in tam nobili opere mirabiliter dispensatur. Hoc probatur ex prima hominis plasmatione à Deo summo immediatè orta, cuius benedictione dicendo, Crescite & multiplicamini, virtus sibi simile generandi hominibus concessa fuit, ratione cuius species per generationem propagatur. Est verò generatio origo seu processio vnius ab altero secũdum naturæ similitudinem. Vnde colligimus generantem necessariò ad sui similis procreationem concurrere, non quidem propriæ essentiæ communicatione, quæ propter naturam finitam, partem substantiæ cum suis accidentibus impertitur, iuxta quam simile animal generatur à vi formatrice.

Hinc ad prædictum dubium respondemus, per vim impressam semini communicatam non esse intelligendum, aliquam ex animalis corpore facultatem decidi, & per seminis substantiam diffundi: sed illa vis imprimitur & exsuscitatur, dum semen prolificum atque fœcundum à vi generantis procreatrice, ad speciei propagationem hominibus benedictione diuinâ inditâ, ita elaboratur, vt proximum fiat formationis instrumentũ, etiãsi à generante seiũctum sit; agit enim virtute illius, cum quo coniungitur, ab eoque pendet, tum propter inhærentiam qualitatum cum substantia, tum propter huius virtutis cum substantiæ forma proportionem, tum verò propter agentis instrumentalis connatam doctrinam, quâ per eas qualitates similem sibi naturam producere intendit. Ex his non proinde sequitur, quòd accidens

dens vi propriâ nobiliorem effectum producat: non enim id illi conuenit, nisi vt est alterius instrumentum, agentisque supremi influxu dirigitur, ac cum generante proportionem habet, quod est agere virtute substantiæ.

3. *Hermeticorum opinio de formatione fœtus examinatur.*

Hermetici tres esse dicunt radicales ac balsamicas essentias in corpore humano, ex quibus tum continentes corporis partes carnosæ & solidiores, aliæ tum contentæ spirituales, & fluidiores partes formantur, nutriuntur, & vitam hauriunt. Sal in illis solidatum partium principium constituitur, vtpote quid semini animalis insitum, solidas partes compingens ac coagulans, & fundamentum compaginis dicitur.

Verùm sal quid aliud est, vt sæpè diximus quàm terrestris pars aquæ permista soliditatis & firmitatis causa: partes namque terreæ siccæ dissoluerentur, nisi propriâ humiditate velut vinculo, in vno globo & corpore detinerētur. Considera sicci terrei naturam ex Alberto Magno, quod tenue sit oportet in animantiū corpore; tum vt mixtioni sit idoneum recipit ab humido & calido attenuationem, & coctionem quam digestionem vocāt; quod cùm ita dispositum sit, & cū humido comprehensum, est figurabile in omnes partes similares & dissimilares. In semine ergo spiritus materiam diducit in fibras veluti filamenta quibus consuit totum corpus, implet sanguine interstitia fibrarum, qui resiccatus sensim solidescit in partem. Hæc sunt prima totius ędificij fundamenta, quibus vis inest sanguinem coagulandi, non sali.

Sulphuris verò radicale principium, quod humidum primigeniū ac oleaginosum est, reponitur à quibusdam Hermeticis in pinguedinibus & medullis: in quo falluntur, aliud enim est loqui de sulphure, seu humore pingui, & inflammabili illarum partium quæ vitâ non fruuntur; ac de illo humido cum spiritu sociato, à quo partes vitæ principium exhauriunt, omnésque suas functiones perficiunt. Si hoc sulphur voces parum refert, modo ipsius natura & actio fuerit perspecta.

Nec secùs radicalis Mercurius totus spiritualis & æthereus, qui quidem est spiritus innatus cuiusque partis, proximum animæ instrumētum, animalis vitam conseruans: sed supra nullam verè ætheream substantiam in corpore humano admisimus.

Alchymistæ in formatione fœtus multas Chymicas elaborationes à natura fieri decernunt; & imprimis semen tam maris quàm fœminæ, aquæ limpidæ specie intra propriam matricem concludi ferūt; tuncque incipit putrefieri materia, vnde subsequitur resolutio partium heterogenearum; cùm partes eius elementares inter se commistæ internis claustris reseratis operante calore per humorem eas resoluente discedunt: separatione autem factâ tum phlegmatis inutilis, tum fæcum terrenarum distillationis operâ pergit ad coagulationem purioris essentiæ partium dicti compositi. Et in hoc opere obseruatur mira transmutatio; nam quod ineunte plasmatione aquæ limpidæ formam repræsentabat, transmuta-

tur in molem carneam ſolidam, à Latinis embrion appellatam; quæ mox in varias partes toti tamen cohærentes mirabili artificio diſtinguitur. Demum fit alia ſyntheſis & animæ ac corporis coniunctio, atque partium fixatio. Chymici quod in operibus ſuis deſtillando animaduertunt, putant pari modo naturam reſoluere, coagulare, componere: quæ valde obſcura puto, & ſoli authori naturæ comperta, cuius ſolius potentia in hoc formationis opere ab omnibus ſuſpicienda & veneranda potiùs, quàm vlteriùs perſcrutanda venit.

Anatomes Dogmaticorum commendatio, & Paracelſi nouæ Anatomiæ refutatio.

CAPVT XI.

1. *Vtilitates Anatomes iuxta Dogmaticos.*

DOGMATICI corporis humani anatomem excoluerũt, & maximo cum ſtudio humana cadauera ſecuerunt, vt partes ſingulas exactè cognoſcerent, earumque vſus & actiones callerent: eam improbat Paracelſus quaſi rei mortuæ picturam vmbratilem & inutilem, imò horrendam lanienam, & theatricam carnificinam appellat. Ergóne cadauer humanum tanquã inutile terræ pondus contemptum iacebit, hominibus inuiſum? ſiccine palatium ſpernitur propter regis abſentiam? tum enim licet introſpicere domum, eiuſque picturas, & periſtromata perluſtrare. Quamdiu anima in corpore immoratur, huius amictum & ſuperficiem duntaxat intuemur: illâ abeunte corporis latebras inquirere negligemus, Medici præſertim qui ſartum tectum hoc ædificium tueri ſuſcipiunt Sed dices mortua eſt pictura, quinimo? audi Hippocratem οὐκ ὅμοιον ἀπὸ θανάτου ζώοισι. ὧ λάθει κότι τὸ ζῶον οὐδὲ ἀσύνετον. Non eſt ſimile mortuum viuenti, ex mortuo animal nouit. Ex mortuis ſiquidem viuentia cognoſcit, τοῖσι ἀποθανοῦσι τὰ ζῶντα. *1. De diata.*

Galenus conſiderat quatuor vtilitates ex Anatome erutas, prima eſt Dei cognitio: ſecunda eſt partium affectarum notitia: tertia ad futurorum morborum prænotionem facit: quarta ad curationem. *Lib. 17. de vſu part. cap. penult.*

Inchoandum ergo eſt à ſui ipſius cognitione; quia in hoc veræ Philoſophiæ principium conſiſtit, ſi Demonaci Philoſopho credimus; imò culmen & perfectio, vt eleganti gradatione declarat Agapetus ad Iuſtinianum; qui ſe nouit, Deum noſcet, Deum noſcens Deo aſſimilabitur; aſſimilabitur qui Deo dignus erit; dignus erit qui nihil Deo indignum admittit, ſed cogitat quæ Dei ſunt, & quæ cogitat loquitur, & quæ loquitur facit.

Secunda vtilitas eſt partium cognitio, quam vt clariùs aſſequamur, priùs partis definitio & diuiſio eſt ſupponenda: pars eſt corpus toti cohærens, communique vitâ coniun

coniunctum, ad illius functionem vsumve comparatum.

Partes respectu materiæ ex qua componuntur, secantur in spermaticas, & sanguineas. Respectu compositionis in similares, & dissimilares: similarium omnes particulę tum inter se, tum toti sunt similes, & in partes specie non differentes diuiduntur; dissimilarium verò partes dissimilis naturæ, & diuersæ speciei esse dicuntur.

Galen. 8. de placit. Hipp & Plato. c. 4

Similares rursùs diuiduntur in informes quæ figurâ carent, vt caro simplex, & pinguedo: aut formatas, & organicas, sicuti vena, & neruus. In similaribus informibus spectatur materia, vt pote sanguis & semen, temperamentum, consistentia, continuitas, & vsus. In similaribus formâ donatis, præter iam dicta, attenditur figura, magnitudo, situs, origo, progressus, & insertio. In partibus dissimilaribus obseruantur illa quæ similaribus formatis conueniunt, & desuper consensus cum cœteris membris, numerus partium similarium eas componentium, ordo, continuitas, connexus, sensus, necnon actio.

Ex hisce capitibus multa colliguntur ad partium affectarum cognitionem, & morborum curationem.

Materia, & substantia partis in qua cohæret temperies, gradum remedij indicat; hac de causa partibus spermaticis affectis, remedia magis temperata applicari debent quàm in sanguineis: neque frigidis præsidiis in illarum affectibus expugnandis vtendum, aut certè morbo calido laborarent.

In partium substantia chymici & Hermetici tria principia considerant, salem, sulphur, & Mercurium, à quibus illarum actiones prouenire putant. Opera Dei à principio creationis mundi inchoata fuisse sentiunt, non à quatuor elementis, & cœlestibus Globis, sed ex tribus illis principiis: cùm nihil sit perfectum nisi Trinitas, à quibus cœtera corpora compacta fuerint, in quæ deinde ipsa resoluantur. Hæc tamen mixta sunt, & ex elementis conflantur, licet Chymicus ea admittat vt simplicia, & principia corporum naturalium, ignem tamẽ participant, & sulphur magis quam sal, & Mercurius minùs vtrisque: sal terram, & Mercurius aquam. Ex hisce tribus substantiis extrahunt Chymici vnam subtiliorem quam vocant spiritum. Essentiam enim ex misto Chymicus extrahere destillando satagit, eamque formâ liquoris oleosi, aquosi, vt fiant aquæ stillatitiæ, olea, & spiritus quasi mediæ naturæ inter aquas & olea. Essentiam ergo quærit, sed in humido primigenio, quatenus illam ab impuritate elementari separare valeat. Ergo rem temperamento donatam, & qualitatibus actiuis insignitam, odorem, & saporem suum retinentem inuestigat: & in hoc cum illis conuenimus, & proinde spiritus in partium fabrica connatos concipimus, & proprium ipsarum humidum, vnde partis similaris substantia constituitur, & ex istorum varia temperie alteratur, atque disponitur ad suas actiones obeundas. Cùm enim à contrario spiritus à proprio statu deficiunt, partem intemperant; vt cùm sunt acres & fuliginosi in calore; vel positiuè refrigerantur à vaporibus noxiis; vel priuatiuè dissoluuntur, & extinguuntur; vel propriâ materiâ orbantur.

Substantiam partis dogmatici

considerant, velut domicilium determinatæ facultatis : & cuilibet parti peculiaris est, eiusque ratione substantia partis dicitur ossea, mébranosa, neruosa, carnea, medullosa; eam verò partim à forma, partim à materia consequitur, & per sensiles qualitates dignoscitur, vt duritie, mollitie, crassitie, tenuitate, raritate, densitate, colore, sapore. Temperies substantiam comitatur proximè, & materiales sequitur qualitates, non enim abstractum est aliquid, sed suo subiecto firmiter cohærens : ideo partium similarium forma dicitur à Medicis (licet reuerà non sit, sed tantum πρῶτον δεκτικὸν) temperies. Hæc Medico consideranda est, nam singulæ partes hoc, vel illo modo agunt per temperiem, & qui partium actionem tueri vult, is temperiem conseruare debet. Eius ratione partes calidæ, frigidæ, humidæ, siccæque dicuntur: conferuntur autem ad medium aliquod nempe cutem. Frigidam & calidam temperiem ratione potius quam sensu exploramus, cùm in viuente nihil actu frigidum persentiatur. Humidam verò & siccam solus sensus patefacit, mollities quippe aut durities partis: quidquid enim tangenti durum percipitur, id siccum statuatur, cùm nihil sit concretione durum in viuente. Quidquid molle sentitur, idem esto humidum. Temperies partis sua amat remedia, duris dura, madore calido perfusæ partes à natura (metu putredinis) sicciora petunt, vt vesica, sedes, palatū, vterus.

Verùm similares partes non solâ quatuor primarum qualitatū symmetriâ constant, sed & nobiliores alias qualitates occultiores obtinent; cùm vt rectè Scaliger sentit, omnia ad manifestas qualitates reducere velle, summa sit impudentia : atque corpora nostra, non simpliciter & proximè, vt mixta ex elementis constent, sed sua proxima principia habeant, & calore quodam vitali, spiritu viuifico, humidoqúe primigenio prædita sint, & formam suam, atque animam obtineant, à quibus multæ nobiles qualitates fluunt, vt ex sympathia & antipathia quam corpus habet cum aliis manifestè colligitur.

exercit. 218. n. 8.

Conformatio partis ab anatomicò diligenter perlustratur, quæ in symmetrica multorum constitutione consistit, figuræ scilicet, magnitudinis, numeri, & situs. Ad figuram reuocantur superficies, meatus, cauitates, foramina, & productiones. Figura & magnitudo partis nobis indicant figuram & magnitudinem præsidij : nam vel pars caua est, plana, sinuosa, alta, arcta; vnde varia instrumenta, vt otenchyte, balani, errhina, pessi; sinuosis liquida ac meabilia infunduntur, quo vis remedij parietes cunctos sinuosos tangat, ac peruadat.

Numerus partium tam similarium quam dissimilarium aliquod organum componentium in examen adducitur : vt in ventriculo præter venas, neruos, membranas, arterias, quæ sunt partes similares, consideramus orificia, & fundum, partes nempe illius dissimilares.

Situs partium à nobis cognitus reuulsiones & deriuationes humorum vacuandorum indicat: ad hanc refertur origo, progressus, & insectio partium, continuitas similarium, & dissimilarium contiguitas, & præcipuè partium connexio & consensus; vinculis namque & membranis colligatæ partes cohærent; ideo quibus partibus vinciantur cognoscere

debet

debet Medicus, vt vnâ affectâ sciat, quæ possit in illius sympathiam trahi. Ex hac cōsideratione in morborum per consensum notionem ducimur; tum ex ea multorum symptomatum causas agnoscimus: partes sibi inuicem compatiuntur, & vna alterius affectionem persentit; aut quod propinqua sit, aut quòd per vasa & neruos alteri colligata, aut ob generis similitudinem, operisque societatem.

Actio partis quæ Aristoteli finis structuræ dicitur, à Medicis diligenter inuestigatur: nam & quælibet pars actionis gratiâ, & substantiam qualem cernimus, & temperiem, & conformationem adipiscitur.

Vsus partium nobis considerandus venit; scribit enim Philosophus, ex vsu potiùs quàm ex structura in cognitionem organi nos adduci. Vsus nomen æquiuocum est; primò enim latè sumptum pro actu vtendi accipitur, siue pro exercitatione actionum. Secundò minùs latâ significatione sumitur à Galeno pro fine: & quia actio ex Aristot. dicitur finis structuræ partis, actio hoc sensu vsus partis dicetur. Tertiò vsus propriè definitur à Gale. aptitudo ad vtendum siue ad agendum, sine qua partes actionem suam perficere non possent. Istiusmodi aptitudo consistit in tēperie partium similarium, & in constitutione facta ex similaribus, quæ complectitur formam, figuram, magnitudinem, situm, numerum: ex hisce verò fontibus hauriuntur vsus, seu vtilitates. Vsus duplex à Gale. statuitur, alter sequitur actionem, id est, procedit ab ipsa actione, & est finis actionis; vt ex videndi actione hunc vsum consequitur animal, vt fugiat quæ nocitura sunt, & vtilia prosequatur. Alter vsus actionem præcedit, & definitur aptitudo quædam ad agendum. Sic in oculo crystallinus visionem edit primariò, reliqui humores, tunicæ, opticus neruus, vsum præstant, & ad actionem perficiendam diriguntur; vel enim sine istis illa actio non fieret, vt sunt nerui optici ex Gale. vel non æquè bene perfici posset, vt absque musculis & tunicis; vel denique non conseruarentur sine palpebris & superciliis.

Lib. 1. de pulsib.

Lib vlt. de vsu part.

Cap. 8. l. 1. de vsu part.

Ex his collige actionem distingui ab vsu; omnis enim actio est vsus, sumendo nomen vsus pro fine partis; non tamen vsus est actio, quatenus aptitudinem ad agendum significat, & sic actionem iuuat. Differunt ergo, tum quia actio motus est partis actiuus: vsus verò aptitudo quædam ad agendum; in sola est operatione; vsus etiam in membri otio: actio in omni organo solius est partis principis similaris, vsus reliquarum omnium. Denique plures partes vsum habent sine actione, vt pili, & vngues.

His ergo ponderatis quis audebit humani corporis licet mortui dissectionem aspernari; cùm ex sola ipsius inspectione, tot tantasque vtilitates percipere queat. Natura namque in necessariis non deficit; ideoque inspiciendo partium structuram ad talem actionem comparatam, nonne inde infinitos vsus hauriet, vt ex opere illo magnifico Galeni de vsu partium colligere licet; & multò certiùs ex αὐτοψίᾳ, & partium artificiosè administratarum inspectione.

2. *Anatomes Paracelsi refutatio.*

Hanc Anatomiã Paracelsus improbat, in cuius locum ridiculam & ad hunc diem inauditam Anatomem excogitauit, quam formalem & spiritualem vocat, non materialem, viuam non mortuam, non localem microcosmi & cadauerum, sed Anatomiam ossatam, & elementatam mundi & microcosmi ostendit. Hæc Anatome hominis essentiam non patefacit in homine, sed extra hominem in vniuersi partibus præsertim mineralibus. In cupro, vel ex aliorum sensu in stamno ostendit Anatomiam Iecoris, quia detracto velo illius essentiam Vulcanus detegit, quæ est iecur non corporeum & materiale, sed essentificatum: in cupro vel stamno latet iecur ossatum, si mauis forma, vis, & essentia Iecoris; pari ratione in argento ostendit cerebrum, in auro cor essentificatum; ita vt possis dicere argentum cerebrum minerale, vicissimque cerebrum argentum animale: cuprum Iecur minerale, Iecur verò cuprum animale. Súntne vnquam audita talia opinionum portenta? videntur tamen aliquo verisimili niti fundamento.

Homo enim, inquiunt, idcirco dicitur compẽdium vniuersi, quod nil in toto sit, cuius non sit etiam particula in ipso homine microcosmo: imò omnium rerum semina, referente Crollio, in ipso latere, Astrorum nempe, Meteororum, mineralium, vegetabilium, animaliũ: consideratâ diligenter hâc symmetricâ concordantiâ, & anagoge Physicâ, verorum etiam Medicorũ officium erat, inquirere si laboraret exempl. gr. cor internum microcosmi, id est hominis, vt remedia mutuarentur confortantia à parente suo, seu corde macrocosmi externo, ipsi planè (si non figurâ & formâ externâ, tamen internâ) simili, & Analogicè repræsentata. Idem de aliis sex principalibus membris, & partibus corporis humani audiendum. Quemadmodum autem omnes actiones naturales à spiritibus spiritualibúsque tincturis proficiscuntur, ex illorum sententia, in quibus mechanicæ scientiæ triũ principiorum vigent: ita remediorum actiones à spiritibus, vitalibusque tincturis procedunt, non è corporibus, vel mortuis relollaceisque qualitatibus.

In præfat. ad monit. sect. 2.

Verùm hoc nouæ Anatomes fũdamentum fulcitur deliræ Paracelsi opinioni, qui nihil esse in maiori mundo sentiebat, quod in ipso homine actu, & realiter non reperiatur, imaginem certè & similitudinem totius mundi continere hominem non negamus; ideoque paruum mundum nuncupari, & vniuersi exemplar, vel epitomem dici; sed proinde partes corporis humani Astra, aut stellas errantes in suo sinu non comprehendunt, vt Paracelsus somniauit. Sicut nec metalla, quæ à priscis Philosophis caballistis nomen planetarum acceperunt, hosce planetas continent, vt supra probatum est. Quomodo ergo membra corporis quatenus metallorum vires suscipiunt, mineralem naturam habere dicuntur? sicut metalla animalem; cùm nihil sit minerale in homine, aut animale in metallo. *Cap. 4.*

Veteres magi necnon sapientissimi Ægyptiorum Sacerdotes tres vniuersi partes statuerunt: superiorem vnam quam intellectualem & Angelicam

Anglicam vocabant: alteram mediam, cœlestem dictam, in cuius medio præest sol: tertiam sublunarem seu elementarem. Quarũ trium partium simulachra in humano corpore penitus expressa, & velut penicillo adumbrata quis non videt? caput humanæ mentis arx, rationis sedes, sapientię domicilium, memoriæ, iudicij, cogitationum (quibus humanum genus intelligentiis est simillimum) officina, editissimum locum occupans, annon supremam illam & Angelicam mundi partem pulchrè refert? mediam verò & cœlestem habes in thorace & medio ventre ad vnguẽ expressam. Vt enim in cœlesti illa præest sol, cuius motu, radiis, & lumine illustrantur omnia; ita in medio thorace situm est cor, cuius perpetuâ motione, eiusdémque vitali calore, paruus iste mundus reficitur & viget. Huius tanta est cum sole Analogia, vt solem non dubitarint antiqui cor mundi, & cor solem hominis appellare: sed non sub illo sensu, vt cor solis substantiam contineat, & ex cœlesti in animalem transmigret: solam enim influentiam vniuersalem cor à sole suscipit. Iam verò sublunarem mũdi partem in ventre inferiore expressam quis non videt? in eo enim partes nutritioni & procreationi dicatæ continentur, vt non sit cunctandum profiteri omnia in humano corpore reperiri, quæ vniuersus hic mundus amplissimo suo sinu cohibet.

Aurum ergo inter omnia metalla excellentissimum, vt possit suas vires ad corpus humanum conferre, debet à suis compedibus liberari, & in actum ex potentia naturali, ac debita resolutione reduci: sed pauci tanto dignantur munere diuûm, aurum vt compactum solua *n* in potabile. Rationes namq; & viæ Alchymistarum vulgarium in conficiendo auro potabili, seu putabili sunt ineptæ, humanæ naturæ inconducibiles, & à proposito Philosophorum longissimæ, quicquid etiam hoc nomine glorientur & mentiantur, vt fatetur Crollius in basilica Chymica: & pro remedio deleterium causticum præparant, cuius ita suspectus est vsus, vt nulli eâ quantitate quâ agere in nos possit, innoxiè exhibeatur: nisi pro auro potabili cardiacum vini spiritum, flauo colore tinctum præbeât. Nam hoc aurum Chymicum mendaciis & vanis expectationibus decipit potiùs quàm reficit. Auri natura cùm longissimè distet à nostra, neutiquam per illum licebit instaurari. Sed nunquid alia suppetunt inter vegetabilia quæ cordi sunt amica, vt crocus, ruta, scordiũ, melissa, chelidonia, macis, ocymum, & sexcenta huiusmodi. Inter animalia cornu cerui, monocerotis, os de corde cerui, & id genus alia. Ex aquæ stillicidiis margaritæ in conchis generatæ. Sed veniamus ad aliud Chymicorum fundamentum, quod sic à Crollio proponitur. *Præfat. sect. 3.*

Animale vegetabile & minerale sperma, vnum habet ortum, differunt saltẽ loci & receptaculi qualitate, secundum etiam spiritus vniuersalis agitationem & operationẽ, hîc crescunt vegetabilia, illîc mineralia proueniunt, isthic generantur animalia, & vnum cedit semper in nutrimentum alterius. Hic enim ordo sublunari œconomiæ præscriptus est; vt mineralia vegetabilibus, hæc brutis, brutáque hominibus alimentum suppeditent;

quod fieri non posset, nisi natura vnus esset affinitate participans naturæ alterius, & hoc propinquitate primi generis, à quo omnia processerunt. Natura inquam media, infima supremis harmonico quodam concentu coniungens, stupenda operari solet in tribus naturæ familiis: sicuti inter cœtera in puero Silesiaco manifestum fuisse narratur, in cuius ore produxit non aureum, sed auro obductum maxillæ sinistrę inferioris denté. Quod hinc euenisse putatur, quia idem ille spiritus, & natura mineralis quæ in terræ visceribus producit aurum, etiam in homine reperiri creditur à Chymicis. Hoc confirmauerat Albertus Magnus, vim scilicet mineralem in homine, & maximè in capite inter dentes apparuisse: commemorat inuentum aurum in sepulchris antiquorũ mortuorum inter dentes. Sic Morienes Chymiologiæ scientissimus, cùm regi Calid interroganti de elixiris materia respondisset: ex te est ô rex, & tu eius minera es.

Tractat. de sulph. in fine. Cap. 6. num. 3. Verum ista opinio refutatur ab authore Cosmopolita: nam virtus mineralis in suo regno permanet, vegetalis in suo quoque, vt animalis: quod supra ostendimus. Hinc fit vt in regno animali quidam sit Mercurius ex opinione Chymistarum, quem nos vocamus partem aqueam, qui sit veluti materia, & sulphur veluti forma, quod appellamus oleosam partem: hæ verò partes sunt animales non minerales; proindéque sulphur animale vim obtinet suum Mercurium coagulandi: quod non fieret ab extraneo, id est in eodem regno non cohærente.

In lumine Chymico. Lib. 11. tractat. 7. Virtus (inquit Cosmopolita) cuiuscunque seminis est, vnicuique rei in suo regno se cõiungere, quia subtile est, & nihil aliud quàm aër, qui pinguedine in aqua congelatur: cognoscitur ita, quia non miscet se extra suum regnum naturaliter alicui rei. Virtus ergo sulphuris animalis non mutat Mercuriũ mineralem in aurum, sed solum Mercurium animalem in carnem, &c. Si enim hæc virtus homini inesset, hæc conuersio partium in metallum non vni soli accideret, sed omnibus: vide hanc difficultatem decisam loco citato.

Vtcumque se res habeat nostris fundamentis innitendum est, nullam à cœlo substantiam discerpi quæ misceatur cũ corporibus sublunaribus. Quantum verò ad rerum istarum seminaria, Chymicis videntur esse vnius generis. Omnia ex ipsorum sentẽtia sunt ab vno principio, & tendunt ad vnum, in nocte Orphei, & Hippocratis Orco, omnia sunt vnum, attestante etiam πανσπερμία Anaxagorica. Sed postquam vnica illa natura essentia & materia rerum omnium in hanc mundanam progreditur scenam, secundùm Dei voluntatem, varia & multiplicis distinctionis mirabilia induit corpora, iuxta loci & receptaculi dispositionem & varietaté: secundum etiam spiritus vniuersalis agitationem & operationem. Hîc crescunt vegetabilia, illîc mineralia proueniunt, isthic generantur animalia. Verùm superioribus capitibus ostendimus hæc seminaria esse diuersas materiæ elementaris dispositiones vnicuiq; conuenientes, iuxta propriæ formæ conducibile domicilium, quæ si materiales sint & Physicæ ex potentia materiæ educuntur, dispositionibus instrumen

ſtrumentaliter concurrentibus ad compoſiti generationem, & propriç formæ eductionem. Vnde mineralia in terræ viſceribus, vegetabilia & animalia ſupra terram generantur, à viribus cauſarum naturalium, concurrente Deo, & ſyderum influxu.

In tabula ſmaragdina. Quod verò Hermes aſſeuerat; id quod eſt ſuperius, eſt ſicut id quod eſt inferius: & vice verſa. Ita intelligendum venit; primum ſperma metallorum diuerſum non eſſe à ſpermate rerum omnium, ſcilicet vaporem humidum, ceu materiam primam: ſed ſi quæſtio ſit de materia ſecunda quam acquirunt corpora in propriis mineris & receptaculis; proculdubio hæc diuerſa in vnoquoque reperitur, & proinde ſpiritus mineralis non tranſmutatur in animalem, nec in vegetatiuum. Atque hæc ſatis de Anatome metallica, quę multò plura promittit ſuis cultoribus quàm præſtare valeat.





SECTIO II.

PATHOLOGICA.

DE VERITATE

HIPPOCRATICÆ MEDICINÆ.

DE MORBI DEFINITIONE eiusque subiecto.

CAPVT I.

1. *Galeni de morbi definitione sententia stabilitur.*



SAPIENTER est illud à veteribus pronunciatum, multum esse laborandum in constituendis scientiarum principiis; illis enim benè positis, cœtera quæ ex illis inferuntur, firmiter cohærent. Verùm in Pathologia morbi definitio obtinet vim principij & fundamenti totius futuræ disputationis. Quare in illius natura describenda plurimùm operæ ponendum est.

Lib. de differ. morbo. cap.2. lib de sympte. diff.r.c.3. Auicēna fen.2.l.1. cap.3.

Morbus definitur iuxta Galeni doctrinam variis in locis propositam: affectus pr. nat. primò per se & sensibiliter partium corporis humani actiones lædens. Affectus est loco generis significans quod à Gale. initio lib. de differ. διάθεσις seu dispositio: & κατασκευὴν, constitutio appellatur; non strictâ illâ significatione, quam Aristoteles vsurpauit lib. 5.Metaphys. cap. 19. dispositionem ab habitu distinguens: sed eâ tantum sub quâ asserit dispositionem dici ordinem habentis partes, aut secundum formam, aut secundum potentiam. Hoc tertium dispositionis genus pertinet ad categoriam qualitatis; sicut primum & secundum ad categoriam quantitatis, & situs: quare morbus dicitur dispositio hoc tertio significato, quatenus consistit in ordine siue constitutione partium secundum facultatem, vt si partes corporis sint optimè constitutæ, laudabilem operationem perficient: si malè malam. Hæc verò dispositio esse potest in habitu, vt constat ex Philosopho. *5.metaph cap.20.* Habitum dici etiam dispositionem, quâ id quod afficitur, benè vel malè afficitur.

Notandum est diathesim à passione distingui iuxta Galen. quod passio sit alteratio & motus, qui adhuc fit circa materiam: morbus verò qualitas permanens quæ motum terminat.

terminat. Quod verum est conside-ratâ acquisitione qualitatis illius quæ actiones lædit, cuius ratione permanens esse dicitur.: licet respe-ctu causæ conseruantis & augentis in motu esse dicatur.

Cùm ergo morbus sit de genere qualitatis, falsò asserit Fuchsius: morbum esse quidquid in corpore pr. nat. consistit, siue illud sit qua-litas, siue substantia, siue quidpiam aliud. Quod etiã docuit Fernelius: nam teste Galeno, participatione vnius generis, morbi omnes vnum sunt. Non ergo potest habere spe-cies in diuersis cathegoriis; alio-quin aut nomen ambiguum esset, non generis: aut illud decem primis generibus superius foret, quæ ad-mitti non possunt.

Lib. 3. instit. sec. 1. cap. 3. *Lib. 1. pathol. cap. 1.* *Gal. 1. & 2 meth.*

Quando ergo dicimus morbum esse diathesim, seu qualitatem, in-telligimus: ita vt non substantia, non magnitudo, non numerus, non figura, non reliqua talia, vel sanitas, vel morbus sint; sed horum omniũ diathesis seu qualitas, per quam corpus ad benè vel malè agendum disponitur.

Obiiciet aliquis contra id quod dicimus dispositionem esse ordinẽ; cùm enim ordo sit relatio, talis dis-positio non erit de genere qualita-tis. Qua de causa Christophorus à Vega, multis rationibus demonstra-re conatur, morbum esse relatio-nem, seu ametriam, & immoderatio-nem; quibus vocibus vtitur Galen. non tamen sub eo sensu: etenim dispositio est relatum secundum di-ci, aliquid absolutum connotans, (vt fusè probat Vallesius, ac respon-det argumentis A Vega) licet ipso concipiendi modo videatur rela-tum, quod tamen excluditur à Phi-losophis à categoria relationis. Vn-

lib. 3. art. Med. c. 1. *initio l. de differ. morbo.* *Lib. 4. contro. c. 1.*

de morbi essentia in relatione non consistit, sed positiua est qualitas, quæ non accidit corpori absque vl-la eius permutatione, sicut rela-tiones.

Reliquæ definitionis particulæ, differentiæ locum tenent, pr. nat. enim, morbum à sanitate seiungit; hocque nomine id omne intelligi-mus, quod adeo à naturali statu re-cedit, vt actiones oblædat. Multa enim sunt pr. nat. quæ morbi dici non debent: neque vitiatus cutis color, actio læsa, cacochymia, aut plethora, quæ pr. nat. sunt, in mor-borum numerum adscribũtur. Hinc sequitur Argenterij & Fernelij defi-nitionem nullius esse momenti. Il-le enim dicit morbum esse consti-tutionem præter naturam: hic verò affectum contra nat. corpori insi-dentem; quorum definitiones iure reiiciendas censemus. Quoniam quod pr. nat. est actiones lædat oportet, vt morbi nomen asciscat: nam teste Galeno, quoad illæsæ omnes seruantur, etiam si millies corpus sit alteratum mutatumque, nullus tamen eorum affectuum ad-huc morbus est. Quod curationem desiderat, aliud planè non est quàm affectus qui vitiat actionem. Malè igitur citati authores morbum defi-nierunt, quoniam eius definitio, ex eiusdem Galeni præcepto, à com-muni hominum notione desumi debet: de ægrotando omnibus ho-minibus consessa notio est; vbi na-turalium corporis actionum sense-rit quampiam, vel malè geri, vel prorsus non geri, & ægrotare se illâ corporis parte existimant, cuius actionem læsam vident, & Medicũ de remedio consulunt. Quare in de-finitione rectè Galen. asserit, morbũ esse affectũ pr. nat. actiones lędẽtem.

Gal. l. 1. meth. c. 9. *Cap. 1. lib. de morbo. generib.* *1. patho-log. c. 1.* *Lib. 1. methodi cap. 5.*

Additur per ſe primò, ad differentiam cauſarum, & ſymptomatum: ſunt enim tres ſpecies affectuum pr. nat. cauſa, morbus, & ſymptoma: cauſa lædit actionem morbi interuentu, ſymptoma verò eſt effectus morbi, ipſum namque ſequitur, velut vmbra corpus. Et ſicut partium integra ſtructura, eſt immediata naturæ diſpoſitio ad bene operandum: ſic etiam earumdem partium vitioſa conſtitutio eſt prauatum operationum cauſa. Neque dicas cauſam morbo priorem eſſe, cùm morbus rationem effectus habeat: ergo actio priùs læditur à cauſa quàm à morbo; cùm illa vim agendi habeat. Nam licet morbus in generatione effectus rationem habeat, tamen in actionum læſione primò & per ſe agit, cauſaque non niſi per morbum operatur. Per ſe excludit externa impedimenta; qui enim ob compedes non ambulat, non habet vitioſam actionem per ſe, ſed per accidens ab externa cauſa.

Ponitur in definitione ſenſibiliter, vt leues à valetudine receſſus pro morbis nō habeantur; niſi enim læſio ſit ſenſibilis, Medicus tam obſeruare nequit. Si verò minimum à bono ſtatu, receſſum ſtatim pro morbo reputaremus, ἀειπάθεια, id eſt, perpetua inualetudo, toties à Galeno damnatro admititur, & neuter ſtatus non paruo errore à Medicina tollitur.

2. *Argumenta Argenterij diluuntur.*

Argenterius Galeni doctrinæ cēſor, eiuſque hoſtis acertimus, reprehendendi ac contradicendi animo ductus, morbum primò actiones nō lædere, multis demonſtrat rationibus: primūm, inquit, cùm animæ facultas & functio ſeſe inuicem conſequantur, priùs debet lædi facultas quàm functio. Ideóque inter morbum & actionem mediat vis corporis. Et intēperies primò cauſa eſt facultatis agendi, facultas autem ipſius actionis, hæc verò operis, vt ipſemet Galen. oſtendit. *1. de natu. ral. facul.*

Reſpondeo morbum eſſe cauſam actionis vitij, non actionis: nam cùm morbus ſit habitus, vel diſpoſitio partis pr. nat. propter diſpoſitionem autem res non agit, ſed meliùs aut deteriùs, faciliùs, aut difficiliùs: & ideo morbus non eſt cauſa actionis, ſed actionis vitij, at inter organi vitium, & actionem læſam, nihil aliud intercedit, quàm illa praua διάθεσις: facultas enim in læſione actionis à Medico non conſideratur; morbuſque excipit actionem manente facultate. *Lib. 4. contra. cap. 2.*

Secundo argumentatur, cauſa morbifica ſine morbi interuentu poteſt lædere actionem primò & per ſe; veluti concortio alimenti, exuberante illius copiâ labefactatur, nullo morbo interim affecto ventriculo. Reſpond. cum ex ciborum copia cruditas ſubſequitur, abſque vlla intemperiei introductione, illa non dicitur actio læſa, ſed opus naturæ impeditæ ab errore externo; quod plurimùm differt ab actione læſa: ſiquidem hæc opera non contingunt extra ſanitatis terminos; actio autem læſa ſemper eos excedit; neque neceſſarium eſt, vt operatio partis ſemper ſit læſa, quoties opere fruſtratur; an enim eſt læſus homo ſanus, qui curſu leporem aſſequi non valet? *Galen. l. de ſympt. differ. c. vlt.*

Tertio obiicit Argenter. Symptomata quædam primò & per ſe poſſe

functiones lædere: effusus namque per corneam oculi tunicam color insolitus, est causa immediata læsionis visus, nempe hallucinationis: & tamen color cùm sit qualitas mutata, in symptomatum genere collocari debet. Respondet Fuchsius colorem esse symptoma, nec tamen lædere visum: id enim fit potius ab humore bilioso, qui est causa illius coloris, in eoque consistit morbus. Verùm reiicienda est hæc responsio, quod causam pro morbo ponat.

Lib. 3. instit. sec. 1. c. 3.

Vallesius censet colorem oculi morbum esse, huic enim conuenit morbi allata definitio. Deinde eorum dicta refellit, qui hunc colorem ad aliquod morborum commune genus reuocant; idque ideò fieri, quod omnibus partibus accidere non possit, vt alij, sed soli oculo: cui soli contingit à coloribus alterari, vt operetur: proinde verius censet, nullo dictorum generum contineri, sed extra diuisionem morbi reperiri.

Lib. 4. controu. cap. 2.

Dicendum potiùs videtur, quia color in oculo requiritur, ad ipsius organi conformationem, licet ad aliarum partium constructionem non sit necessarius: si color ille deprauetur, ita vt visus hallucinatio subsequatur; illa præter naturalis constitutio pro morbo conformationis habenda est. Sicque perpetuò verum est symptomata vitiare actiones morbi interuentu: color namque corneæ tunicæ lædit visionem, ratione prauæ constitutionis impressæ, quæ in oculo particulatim reperitur, & ad organicum morbum reducitur. Quantum ad Argenterij rationem, quâ asserit colorem esse qualitatem mutatam, & proinde symptoma dici. Respond. qualitatem mutatam in specie esse symptoma, sed in genere omnis morbus qualitas mutata nuncupatur. At color corneæ cùm sit oculi constitutio pr.nat. actionem lædēs, nō facit illud quâ est qualitas mutata, & vt symptoma; sed vi morbi, ratione scilicet prauæ constitutionis, quæ ad malam oculi conformationem pertinet.

Quarto insurgit ex actione morbum definire, dicereque partes eas ægrotare, quæ agere nequeunt, iuxta Galeni doctrinam: vel etiam omninò læsam esse illarum substantiam, à veritate lōgè aberrare. Nam multarum partium actio aboletur, cuiusmodi sunt, quæ vim aut materiam ab aliis integrâ manente earum substantiâ, suscipiunt: quemadmodum nerui motui destinati, & voci edendæ partes dicatæ, nullo morbo interim affectæ; sed aliis à quibus vim materiamque sumunt, sua officia exercere non possunt; vel certè illis remedia essent adhibenda, si modo ægrotantibus partibus nos mederi oporter. At id non facimus, propterea quod non ęgrotant, etiamsi suo munere & actione priuentur. Ergo actionis læsio non est vera morbi differentia, cùm partibus nullatenùs affectis conueniat. Respondeo Argenterium in errorem Archigenis incidere logicè contendentis, eri nonnunquam vt actio lædatur, organo non habente passionem, sed passionis vmbram, cuiusvidelicet passionis origo aliūde pendet. Vult contra Galenus, quomodolibet affectum esse organum: alibi tamen in iis partibus quæ sentiendi & mouendi vim habent accidere ait; vt ipsis nequaquam læsis; nihilominus earum actio pereat. Qua in re Argenterius contra

1. De loc. affec. c. 2. Cap 7. eiusd. lib.

contradicendi studio ductus, repugnantiam, & Galeni incertitudinem cōminiſcitur: quaſi verò cùm ſupra pati membrum omne, cuius actio læſa eſt multis oſtendiſſet, nuncque oblitus illa læſa negaret. Non ea ſanè Galeni mens eſt; nunquid diſcernit pati, & læſum eſſe, vel ægrum ? nam læſio, & morbus conſtantem affectum indicant, & idiopathicum, qui in parte conſentiente non reperitur: ita pati denotat pendentem affectum, & ſympathicum, quem in parte conſentiente agnoſcimus. In hac enim licet nihil læſum ſit quod ad σωματικὴν οὐσίαν, ſeu ſubſtantiam corpoream ſpectat; bene tamen quod ad πνευματικὴν ſeu ſpiritualem. Sunt ergo hi morbi per conſenſum, licet curationem propriam non expoſcant.

3. *Quodnam ſit morbi ſubiectum.*

Diximus in prædicta definitione, morbum eſſe affectum præter naturam partium corporis humani: hinc quæritur in quonam ſubiecto ſit morbus; cùm in qualibet parte continente multa reperiantur, contenta ſeu humores, & impetum facientia, nempe ſpiritus. Cùm morbus ſit accidens, ſine ſubiecto exiſtere non poteſt; illius enim eſſentia in inhærentia ſubiecti conſiſtit. Quare profitemur morbum eſſe in partibus continentibus: morbus namq; lædit actiones, actio autem manat à parte viuēte benè aut malè diſpoſita ſecundum facultatem: actiones verò ſunt ſuppoſitorum
1. Metaphyſ. c.2. ex Ariſtot. contenta verò, humores, & ſpiritus ſunt cauſæ morborum. Quòd autem ſubiectum inhæſionis morbi, nullum aliud ſit quam corpus, aut membrum viuens, ſic demonſtratur iuxta poſitum fundamentum: etenim cùm praua totius, aut partis conſtitutio, quæ læſionis operationum proxima eſt, licet inſtrumentalis cauſa, illi ſubiecto inſit, quod facultatum à quibus operationes prodeunt, immediatum organum eſt, atq; etiam ſubiectum: facultatum autem tale organum, ſubiectúmue inhæſionis, non aliud ſit quàm corpus, aut membrum viuens: & hoc ſolum morbi ſubiectum eſſe neceſſe eſt. nam idipſum quod proximi, & immediati effectuum principij actionum integrarum ſubiectum eſt; oportet etiam ſubiectum eſſe eius, quod actionum læſarum proxima & immediata eſt cauſa.

Fateor quorumdam eſſe opinionem, ſubiectum morbi non tantum eſſe partes continentes, ſed contentas, & ſpiritus: poſitâ tamen hâc partium hominis conſideratione; vel enim homo, aiunt, conſideratur vt corpus naturale, vel vt viuens. Vt naturale dupliciter, primò phyſicè, & hoc modo duæ tantum ſunt illius partes, materia & forma: ſecundò medicè, & hâc ratione quæ totum implent, & integrant, partes ſunt ex Gal. omnia ſcilicet quę homini naturaliter inſunt, contenta, continentia, & impetum facientia iuxta Hippocr. at verò ſtrictè ſumpto nomine partis, proue viuens eſt, ad mentem Fernelij, ea tantum quæ toti cohærent, & communi vitâ coniuncta ſunt, atque ad illius actiones, & vſus comparata partes dici poſſunt. Verùm partis nomine non ſolùm ea quæ viuunt in corpore, ſed etiam quæ naturaliter inſunt, ſubaudiunt, ſub vario tamen reſpectu: propriè enim & prædicatiuè morbus eſt affectus partium viuentium,

viuentium & agentium: subiectiuè autem, inhæsiuè, & causaliter, ad ea omnia quæ nostrum corpus constituunt referri potest. Atque hoc modo conciliantur illorum sententiæ, qui subiectum morbi ad contenta & spiritus extendunt.

Illud tamen vulgare & verum in Pathologia dogma pronunciatur; si de morbis intemperiei potissimum subaudiatur: causas esse in contentis, & impellentibus: symptomata in actionibus, quæ à partibus proficiscũtur: morbos autẽ in continẽtibus, seu veris partibus, ad vitæ actionẽ, seu vsum comparatis.

De morborum generibus, & differentiis, iuxta Hermeticorum doctrinam.

CAPVT II.

1. *Hermeticorum doctrina circa morborum differentias stabilitur.*

HERMETICI doctrinam Paracelsi sequentes, ex principiis ab illo propositis conclusiones nouas propalarunt. Ponunt igitur pro constanti principio, cuncta corpora componi ex sulphure, Mercurio & sale, quæ vbi iustâ proportione coniuncta & commoderata sunt in vnitate perfecta, omnium actionum causæ existunt. Cùm omnis facultas ex illis substantiis procedat, & in ipsis resideat. Vnde sequitur quòd sanitas, & hominis vita tamdiu sine vllà dissolutione, aut alteratione conseruatur; quamdiu hæc tria in illa vnione & temperatura permanere possunt. E contra si aliquod principiorum à temperie sua, aut ab aliorum consortio excurrat, à causa aliqua pr. nat. sanitas immutatur, & morbi varij generis in corpore procreantur, propter immoderatum excessum vnius horum trium principiorum, aut duorum, aliàs verò trium simul, sulphuris scilicet, Mercurij, & salis. Docẽt ergo Hermetici morbos omnes ex tribus istis substantiis seu principiis procedere: quamuis dogmatici horum principiorum loco referant morbos quos vocant similares, ad simplices temperaturas, vel compositas; siue sint coniunctæ cum humore aliquo, siue absque illo sint: tum dissimilares ad viciatam organi dispositionem, in magnitudine, figura, numero, & situ: tum communes nempe vnitatis solutionem. Hermetici verò existimant prædictas tres substantias sulphuris, Mercurij, & salis extra propriam regulam, & proportionem positas, esse causas morborum tam simplicium, quàm compositorum: simplicium quidem, quando vna sola subiit alterationem, & discrasiam: compositorum verò cùm duæ aut tres à sua moderatione discedunt: constituunt ergo hanc morborum diuisionem in sulphureos, mercuriales, & salinos; secundum tres illas substantias, è quibus corpora nostra sunt composita: addunt etiã morbos prouenientes ex superfluis-

tatibus excrementitiis. Cibi & potus, quas nomine tartari comprehendunt, de quo postea agemus.

Prædicta morborum diuisio non inutiliter constituta ab ipsis creditur: quoniam eadem sunt principia sanitatis & morbi; eadem est causa perfectionis actionum per sanitatem, & læsionis illarum per morbum: atqui causæ actionum tempore sanitatis sunt sulphur, sal, & Mercurius. Ergo quando morbus in aliqua parte corporis introducetur, ab iisdem causis & principiis orietur, ex sulphure scilicet immoderatiùs luxuriante: Mercurio, & sale discrasiam patientibus. Insuper Hermetici hanc diuisionem instituerunt, vt inde causas morborum cognoscerent, & ex alteratione istarum substantiarum, morbum in sua Anatomia perspicerent.

Cùm enim sulphur immodicè pullulat, & inflammatur, varias partium inflammationes & febres inducit: impetit namque cor, hepar, cerebrum, renes, & parit morbos acutos & calidos, quales sunt febris, pleuritis, pestis, mania, phrenitis, & similes; qui morbi à sulphure accenso producuntur. Siquidem sulphur viis quatuor destruitur & exaltatur, iuxta Crollij doctrinam. Hinc Paracelsus nitro-sulphureas febres appellat, quòd excitentur à sale sulphuris accenso, dum sulphuri impuro ac fœtido mucilagines, & spiritus salini nitrosi permiscentur. Insuper sunt alij affectus quos suscitat sulphur narcoticum, ex spiritibus narcoticis ac inebriantibus, quos in se continet, & per totum corpus luxuriando diffundit. Quod facilè percipitur in nimia vini meracioris poratione, in esu panis multo lolio permixti, necnon

In præfat. basil. Chymi. sec. 4.

vsu croci, camphoræ, succorum papaueris, hyosciami, cicutæ, aliorumque opiaticorum: quæ soporiferis suis sulphuribus, non frigidâ suâ qualitate somnum conciliant.

A liquore prouenientes morbi vocantur Mercuriales: Mercurius enim seu calore digestiuæ virtutis accidentalis, vel calore exercitationis, vel astrorum exaltatur supra naturalem gradum tribus viis: calore namque digestionis destillatur, & facit apoplexiam: calore exercitationis sublimatur, & facit phrenem, & maniam: calore astrorum præcipitatur, & facit ex esculentis tartaro abundantibus, arthritidem. Ex Mercurij acidis & acribus vaporibus produci volunt Epilepsias, Apoplexias, Paralyses, & omnia defluxionum aut catarrhorum genera subinde procreari: qui quidem affectus si veneno aliquo, aut malignis ac contagiosis spiritibus stipentur, in Epidemicos morbos, venenosos, ac contagiosos transeunt. Alij volunt Mercurium ex se non alterari, sed sale aut sulphure alteratis produci excrementa venenosa, quæ natura infirma expellere nequit; & tunc Mercurius ea in se recipit, & illis infectus deinde in reliquas corporis partes ea diffundit, vnde dolorifica mala proueniunt, in lue venerea, calculo, arthritide, & conuulsione.

Ex sale verò prouenire inquiunt, per calcinationem illius, erosiones internas, Apostemata, vlcera, dissenterias, hæmorrhagias, hydropes, diarrhœas: quoties scilicet sal per exaltationem lædit sanitatem; vel resolutione, calcinatione, reuerberatione, alkalizatione. Ex salium resolutione iuxta Paracelsistarum sententiam, ardores vrinæ, strangu-

riæ,

riæ, & id genus alia suscitantur incommoda; siquidem pro diuersitate salium, diuersa etiam vlcerum, apostematum, & erosionum genera, per ponticum, austerum, ac acerbum eorum spiritum; vt & variæ colici doloris species inducuntur. Nominant autem ea vlcera voce salis referentis proprietatem mali quod excitat; vnde quædam vlcera vocant nitrosa, aluminosa, vitriolata, arsenicalia. Ex horum verò salium coagulatione innumeri morbi nascũtur, vt calculi, tophi, nodi, schyrrhosi articulorum tumores, ac obstructiones, & morbi innumeri generantur.

Ex istis fundamentis Hermetici colligunt primò causas omnium morborum actiones partium oblædentium, ex tribus principiis promanare, sulphure scilicet, Mercurio, & sale.

Secundò ex proprietate horum principiorum morbos causantium, ipsas morbi differentias cognoscunt: v.g. cognitâ sulphuris accensione, & inflammatione, morbum sulphureum facilè percipiunt. Sic etiam ex cognitione proprietatis salium partes afficientium, & dolore opprimentium; earum affectionum varietatem cognoscent; vt si pars sit tumore turgida, & tamen dolor sit grauans: alia verò minùs tumens dolore acutiore sit oppressa, nónne asserent illam partem minùs dolentem affici à materia stupefactatiua, quæ sensum illius minuit, ipsamque obtundit; quale esse dicitur sulphur vitriolatum: aliam verò partem magis afflictam iudicabunt, à sale eodem vitriolato, cuius sulphur retusum & extinctum fuerit. Sic illà pars corporis quæ à sale vrticali læditur, pruriginem & scabiem coniunctam habebit. Hermetici hac de causa substantias intra corpus contentas, habentes similes salibus metallicis proprietates, illorum nomine vocant. Veluti vitriolum externum & metallicum constat sulphure stupefactiuo, & proinde absque dolore corrodit: ita se habet illud quod corpori inest, vlcera sine dolore pariens, quia partem omni sensu priuat. Arsenicum habet salem valde corrosiuum, ideóque vlcera multùm dolorifica parit. Alumen rodit cum pruritu, veluti illa quæ naturam vrticarum, aut titimalorum obtinent.

Tertiò hæc diuersa salium genera, suam à similibus salibus curationem indicare asserunt, vt Dariotus ostendit in discursu de Arthritide: nam cùm apparet vlcus Arsenicale, significatur statim extrahendum esse ex ipso Arsenico salem quẽdam dulcem, ad summouendam & exscindendam erosionem, placandumque dolorem, quem concitat sal Arsenicale internum corporis, aut substantiæ illius quæ parem Arsenico virtutem habet, & quæ cancrum, vel noli me tangere producit. Ex quibus concludunt hanc morbi diuisionem, non solum ad varios affectus cognoscendos, ex gemina illorum Anatomia, esse necessariam; sed etiam ad indicationem naturæ remediorum & medicamentorum conducibilium ad eorum curationem.

Quod ergo omnium actionum causæ in tribus hypostaticis principiis consistant; ex ipsorum resolutione, separatis impuritatum ipsis annexarum tincturis, atque exaltatis, radicésq; morborum inde pendere probat Quercetanus: non ex nudis illis caliditatis, frigiditatis, *Tetrag. erauiss. capit. aff c. 9.*

humiditatis, ſiccitatis qualitatibus; aut intemperie ſimplici, vel cum materia coniuncta. Nam Hermetici non qualitates, ſed ſubſtantias benè, vel malè temperatas, qualitatibus efficacibus dotatas proponunt; quas radices, vel ſeminales tincturas appellant: quæ in ſpiritualibus potiſſimùm corporibus latent, aliàs quidem puris, aliàs verò impuris: ex illis verò ſubſtantiis vel acidis, vel acribus, vel aliâ qualitate affectis generatur aciditas, vel acrimonia, aut alia qualitas, à qua actiones læduntur. Quod non ſolùm iuxta ſua dogmata, ſed ex Hippocratis conſenſu aſſerunt. *Lib. de priſc. Medic.* Hæc enim homini inſunt, & ipſum affligunt. Homini enim ineſt amarum, & ſalſum, & dulce, & acidum, & acerbum, & inſipidum, & reliqua infinita omnigenas facultates habētia.

Acidas verò vel acres ſubſtantias actiones lædere probatur primò à Quercetano exemplo βουλιμίας appetentiæ ciborum inexplebilis; *Loco cit.* in qua intemperiem frigidam cogentem & exprimentem, vel caliditatem reſoluentem accuſare nō decet, vt Galen. Paulus, Aëtius, & Auicennas ſtatuunt: ſed potiùs huius cauſam referendam putat aciditati cuidam famelicæ, ſeu ſpiritibus vitriolatis inſaturabilibus, à quibus ſane omnia duriſſima conteruntur & deuorantur; eorumque vim non ſoli aciditati tribuit, quatenus frigida, aut alia eſt, ſed quatenus ſpiritibus famelicis, necnon ſalibus Armoniacis & vitriolatis naturâ veracibus ſtipantur. Hanc autem corporum naturalium diſſolutionem ab hiſce ſpiritibus fieri confirmat exemplo de aqua forti, quæ in ſeſe ſpiritus huiuſmodi nitroſos, acidos & vitriolatos contineat: quamdiu eos retinet, vim habet argentum aut quodlibet aliud metallum diſſoluendi: qui ſpiritus in eiuſmodi ebullitione quâ metallum ſoluitur, inſtar ignis rubentes euaneſcere conſpiciuntur.

Quod ſi quis obiiciat (inquit) eiuſmodi vitriolatos & nitroſos ſales, ex quibus aquæ fortes & regiæ extillantur, intra corpus non adeſſe: ſciat in lotio noſtro, nitroſos, armoniacos, & vitriolatos ſales reperiri, ex quibus diſſoluentia adeo fortia promanant, vt artificio extracta, non minore virtute ac aquæ fortes & regales dictæ, argentum & aurum diſſoluant. Vnde etiā Chymico-Medici in ſeroſis humorum partibus, tales agnoſcunt ſales, & ſpiritus corpus offendentes, & ex quorum materia quamplures in nobis morbi procreantur.

Eodem ſpectat Hermeticorum ſententia de Apoplexiæ cauſa, quæ non ſemper frigidæ craſſæque pituitæ, aut ſimili humori conceditur; ſed nebuloſis potiùs exhalationibus in cerebrum euectis, & in eo concluſis, inſtar nubium in aëre expanſarum; quæ quidem ſi aquâ & humore refertæ, non tantum frigido & humido ſimpliciter; ſed ſalinam, aut ſulphuream, vel Mercurialem qualitatem poſſidente, illicò conglacientur, aut coagulentur, vt ex ſpiritu vitriolato & glaciali illûc euerto poteſt contingere, quę coagulationem aciditas vitriolata conſtringendo ac coarctando parit.

Ex quibus conſtat quî à ſpiritu vitriolato diſſoluantur corpora, modo verò coagulentur. Quod puto contingere ex diuerſitate qualitatum acrium nempe quibus diſſoluit, & acidarum ac acerbarum, quibus aſtringit, & coagulat.

Verùm

Verum non solum morbi actiua principia consequuntur: sed alij dantur, vt refert Quercetanus, ex principiis passiuis malè constitutis, quos appellat relolaceos, ex qualitatibus elementaribus in corpore nostro diffluentibus ac excedentibus natos; quales etiam ab excrementitiis ac fæculentis humoribus vel retentis, vel superabundantibus proficisci, potiùs ex huiusmodi elementis, quam principiis asseuerat. Etenim ex flatuum simpliciter aëreorum & spirituosorum copia, ex aqueis serositatibus, necnon terrestribus fæcibus varias affectuum species procreari in dies videmus. Attamen eiusmodi morbi exiguas, & parum firmas radices agunt, tincturasque nomentaneas, ac parum fixas; vt quos facilè sit leuissimis ac elementaribus remediis exigere. Vt v. gr. aërei flatus in intestinis conclusi colicum dolorem facientes, clysteribus carminatiuis discutiuntur. Serositates aqueæ, & superfluæ humiditates, medicamentis exsiccantibus absumuntur. Inflammationes ex terrestri & simpliciter crassa materia nitrosulphure coruscante profecta, simplici refrigerante auxilio extinguuntur.

Respons. ad Herm. Med. veritatem cap. 18.

2. *Responsio ad argumenta aduersariorum.*

Ad hæc vt respondeamus, & sigillatim ista Hermeticorum placita examinemus, vtrum prisca Hippocratis & Galeni dogmata conuellant videamus.

Imprimis sciendum est veritatem doctrinæ, ex principiorum veritate pendere: atqui varia sunt principia vtriusque Medicinæ. Ergo diuersa est vtriusque veritas: sed vna est veritas. Ergo aut Dogmatici vera proponunt Medica principia, & Hermetici falsa, aut contra. Quercetanus tamen scribit Hermeticorum placita, à secta Dogmaticorum verbis potius, quam sententia discrepare, si omnia rectè perpendantur. Quod si verum sit, accusandi Hermetici, qui præter morem antiquorum Medicorum, verbis inusitatis nixi sunt ingeniis hominum tenebras offundere: si Galeno Dogmaticorum ante lignano adhæreat, memor sit eorum quæ de verbis profert. De nominibus quam primùm inter nos conueniat, ad res autem ipsas properemus, in iisque moremur. Plato scribit, homines verborum nimium curiosos, res bonas numquam vel assequi, vel afferre. At Hermeticorum schola tota referta est nominibus nouis, inusitatis, barbaris, verissimis, quæ suorum authorum sapiunt barbariem, & animorum confusionem.

Ex Arist. 1. de demonstr.

Lib. de sympt. diff. c. 1.

In protagora.

Primò impugnatur Hermeticorum opinio, quia falso inmititur fundamento, dum nobis proponit, ista principia non esse elementaria, sed solùm in elementis tanquam in matricibus repræsentari; cùm satis supra demonstratum sit, ea mista esse, & elementaria; & ideo primis qualitatib⁹ & secundis agere. Quare noua non sunt hæc principia quoad rem pertinet, sed solùm nouis vocibus explicantur. Certum quoque est hæc tria principia qualitatibus contrariis constare, vnde tandem discordia fit, & qualitatum immoderatio. Mercurius est frigidus humidus elemento aquæ respondens: sal calidus siccus terrenus: sulphur calidum siccum igneum; ignis autem actiuus est, Mercurius passiuus, sal cōstrictiuus,

& terminatiuus. Ista etiam aliàs sunt naturæ ancipitis :& sal aliquãdo frigidus terreus, vt in nitro, & halonitro; Mercurius etiam versatilis. Præterea Hermetici sulphuri tribuunt humiditatem, mollitiem & fluiditatem; Mercurio aciditatem, & substantiam volatilem; sali fixitatem: sed nunquid hæ qualitates, viscidum, humidum, dulce, acidum, salsum, permeabile, ferum, volatile, elementares sunt? & proinde si in sua temperie & proportione excedant, non alios morbos quam eos, qui à dogmaticis constituuntur, producent.

Quare ad primum Argumentum; eadem est causa perfectionis actionum per sanitatem, & læsionis earum per morbum: at causæ actionũ tempore sanitatis conceduntur sulphuri, mercurio, & sali. Negamus. Hanc propositionem; quod enim perficit actionem partium similarium, est ipsarum temperies, seu dispositio ex proportione primarum qualitatum proueniens, vt supra declarauimus. *Sec. 1. c. 11.* Et quamuis actio sit suppositorum, attamen à Medicis, qualitatibus vt causis tribuitur. Esto mercurius, sal, & sulphur sint partes mixtiles, non tamen ex se agunt nisi quatenus qualitatibus elementaribus constant, nec non aliis cœlo analogis.

Obiicies omnis vis operationis à spiritibus promanat, & ex illorum materia plures in nobis morbi procreantur. Ergo non à prædictis qualitatibus oriũtur. Resp. nos in partibus vitâ præditis considerare spiritus, vt organa actionum, & velut caloris vehiculum, vnde cum proprio humido partis similaris substantia conflatur, & ex horum varia temperie immutatur, atque disponitur ad suas actiones obeundas. Quòd si à contrariis causis spiritus à proprio statu deficiant, partem intemperie afficiunt: vt cùm sunt acres & fuliginosi, calefaciunt: vel positiuè refrigerantur à vaporibus noxiis; vel priuatiuè dissoluuntur; vel propriâ materiâ orbantur. Quod autem affertur de spiritibus mercurialibus, salinis, & sulphureis, & de ipsorum viribus, naturaque cœlesti supra explicuimus. *Sect. 1. cap. 6.*

Secundo impugnatur, quia morbos ponendo sulphureos, mercuriales, & salinos; non fit distinctio inter causam morbi, & morbum ipsum, qui in curatione principaliter & primò respiciendus proponitur: cùm tamen longè differat vtrumque, & in morbis à causa pendentibus, in solius expugnatione nostra debeat intendere operatio. *Quercetanus totius c. 9.* Quidam effugere scopulum putant, distinguendo causas potentiâ & actu: & sic causas morborum esse semina & radices in corpore latentes, impuritates scilicet nitro sulphureas febriles, vel Mercuriales, vitriolatas, epilepticas; quæ antequam exaltentur & accendantur, sunt potentiâ causæ antecedentes morborum, febrium & epilepsiarum. At dum in actum reducuntur, proferunt suos paroxysmos; ita vt vnum & idem sit causa morbi, & morbus. Ex istorum ergo sententia non differt causa morbi à morbo essentiali definitione, sed accidente duntaxat; quòd vnum sit actu, alterum potestate morbus. Quemadmodum sulphur accentum à non accenso non differt, maturus fructus à non maturo, ipso genere, & essentiali definitione sed quod vnum sit ipso actu inflammatum, & maturum, alterum nequaquam, attamen inflammari & maturari

maturari poteſt. Conuenientius dogmatici morbũ à cauſa diſtinguunt, ſumentes morbum pro illa conſtitutione pr. nat. vnde ex illius dogmatis veritate, febris non eſt ſulphur in corde accenſum, ſed diatheſis & diſpoſitio ex accenſo illo ſulphure proueniens, in qua ratio formalis morbi conſiſtit, vt mox eſt demonſtratum.

Vrgebis illud à quo proximè læduntur actiones, morbus appellari debet: atqui à ſpiritibus prauis proximè læduntur actiones. Ergo ſpiritus praui morbi appellari debent. Reſpondent aliqui in ſpiritibus duo conſideranda; ipſe ſcilicet ſpiritus ſimpliciter dictus, qui eſt cauſa ſanitatis vel morbi: vel ſpiritus bona vel mala conſtitutio, quæ dicitur ſanitas, vel morbus. Vnde ipſe ſpiritus materialiter ſiue impropriè, prauitas autem & mala conſtitutio ipſius propriè & formaliter morbus appellatur. Sed ſubiungere oportet, vt nobis hæc reſponſio ſatisfaciat: ſpirituum malam diſpoſitionem ad aliquod genus morbi referri, vel ad intemperiem, aut malam conformationem. Exempli gratiâ in vertigine dum à motu ſpirituum viſualium circulariter facto imaginatio oblæditur, ſpirituum mala conſtitutio eſt cauſa immediata illius actionis læſæ, & proinde morbi naturam aſſumit. Verùm ſciendum eſt hîc conſiderari duplicem cauſam, vnam per ſe, aliam ex accidenti. Illa eſt vere morbus ſcilicet intemperies, vel obſtructio meatuum cerebri, quæ procedens à repletione diuerſorum, impetum in tali loco facientium, in gyrum ſpiritus concluſos commouent, qui deinde ex accidenti imaginationem lædunt; cùm falsò omnia obuerſantia in orbem cieri videntur: vnde concludimus illam ſpirituum malam diſpoſitionem nõ eſſe morbum in vertigine, quia per ſe non lędit actionem, ſed per aliud, & ex accidenti, nempe ob prædictam cerebri intemperiem & obſtructionem, in quibus vera huiuſce morbi eſſentia continetur. Idem de aliis ſpiritibus dicendum, qui cùm vniantur alicui ſubſtantiæ, aut humori, temperiem partium vitiant, aut conformationem mutant.

Tertiò cùm ad ſeminales illas tincturas recurrunt, quæ in ſpiritualibus ſubſtantiis latent, & ex occurſu illarum vel acidarum, vel acrium, produci volunt aciditatem, vel acrimoniam actiones lędentem: & hoc confirmant dicto Hippocratis. Nos ita rem componimus; non ſolum iſtas ſubſtantias eſſe obſeruandas in cauſarum morbificarum ſerie, quatenus impetuoſæ & ſpirituoſæ ſunt: ſed præterea alia contenta, humores ſcilicet, & alia effluentia, ſeu exhalantia, vt ſunt halitus tum ſicci & ignei, tum humidi vaporoſi, & aquei: atque iſta omnia non ſolâ ſubſtantiâ agere, ſed per ſuas etiam qualitates, vt notat Hippocr. nam à ſolo calido abſolutè homines non febricitant, neque hoc vnica afflictionis cauſa habetur; verum idem eſt vnà amarum & calidum, aut calidum & acidum, & ſalſum & calidum, & alia innumera; eadémque ratione frigidum cum aliis facultatibus cõſociatum. Proinde cenſendum iuxta Hippocr. doctrinam, nõ ſolas qualitates ſimplices caliditatis, aut frigiditatis eſſe in morbis concipiendas vt falsò nobis imponunt Paracelſiſtæ, ſed præter calorem adeſſe ſuccos acres, aut alterius naturæ, qui cum actiones lædant, aliam diſpoſitionem inducunt,

Lib. de veter. medic.

ducunt, quæ à Medicis morbus essentialiter nuncupatur. Atque hæc doctrina ex verbis Hippocr. confirmatur : quibuscumque nostrûm cor ipsa nascitur, ac fluxus per nares præcipitatur, hic cùm longè actior sit quam prior ille, qui quotidie ex naribus dimanabat, non solùm in tumorem attollit nasum, verum eundem etiam æstu incandescentem ad manus tactum torret: quod si diutius perseueret, etiam exulceratur locus, quamuis minimè carnosus & durus existat. Ex quibus constat non solas qualitates esse causas morborum, sed simul cum his coniungi succos acres, amaros, salsos, vel alterius qualitatis, vnde varij prodeunt morbi. Quod etiam in βουλιμία contingit, in qua non spiritus illi vitriolati famem augēt, sed potius succi acidi, salsi, vel alterius qualitatis insunt, quibus caliditas aut frigiditas iuncta introducit dispositionem pr. nat. actiones lædentem, vnde morbus resultat.

Ex his concludimus actiones corporis non solùm lædi ab illis spirituosis substantiis sulphureis, salinis, vitriolatis, aut arsenicalibus; sed ab illis succis calidis, frigidis, humidis, siccis, acidis, acerbis, amaris, salsis, adstringentibus in corpore contentis. Vt verbi gr. corporum dissolutio, aut coctio & coagulatio non à salis vitriolatis spiritibus prodit, si qui sint, sed ab humoribus acribus & calidis, acidis, aut acerbis & frigidis. Hûc collineauit Auicenna dum de causa apoplexiæ loquitur : hæc quidem oppilatio, inquit, fit etiam quando peruenit qualitas ad cerebrum stypticum faciens. Sint ergo in corpore humano succi amari, adstringentes, acidi, acerbi, salsi : an proinde sales, Mercurij, vel sulphura vocabuntur? nisi quia nouis & inusitatis vocibus exprimuntur; quibus noua placent ab illis recipiantur, non curantes antiquæ Medicinæ splendorem obtenebrare, modo propriæ curiositati, ambitionique satisfaciant.

Quartò quorsùm in serosis humoribus sales, & spiritus adeò potentes reperiunt Hermetici; ac in vrina quæ artificio destillatur : an quia idem calor, simileque vas destillatorium intra corpus adsit, vt illi sales & spiritus indè emergant, vt deinceps plurimorum affectuum causæ existant. Hoc certè non concedimus, cùm non sit par ratio operum naturæ, & artis : hæc namque naturam interdum superat, vt fabrica in auro, quæ naturalis est materia, opera magnifica & eximia insculpit, superiora naturæ viribus; sic etiam beneficio artis, ex corpore quodam mixto multò plura possunt per destillationem educi, quàm solâ naturâ duce extraherentur; nimirum quod natura instinctu solo, ars verò rerum ducatur cognitione & intelligentiâ.

Quintò morbi, qui à qualitatibus elementaribus excitantur, quos relolaceos vocant, non solùm ex flatibus, serosis humoribus, aut terrestri materia producuntur, sed ex qualibet intemperie, siue calida, frigida, humida, sicca, simplici, aut composita, iuncta cum humore, vel sine humore. Cùm autē Chymico-Medici sulphur accensum febris proximam causam esse pronunciant, idem ferè Galenici intelligunt, dum ex humorum putredine, ἐκκαύσει, aut vt Galen. scribit, natiui caloris in igneum conuersione febrem generari docent. Et ad mentem Chymicorum loquutus est Fernelius dum scribit,

ſcribit, corpus omne inflammari poteſt, olei cuiuſdam eſſe particeps, huiuſque ſolius gratiâ conflagrare.

Nonne etiam apparent variæ intemperies tam in toto, quàm in partibus: vt cùm calida & ſicca intemperies totum corpus abſque vlla humorum putredine (quod immaterialiter vocant) infeſtat; præcipuè per hecticas illas primarias, quæ vi & impetu cauſarum externarum ſtatim in partem ſolidam, ad ſiccitatem & tabem præparatam imprimuntur. In partibus etiam καύματα iſta apparent, vt in capite per ſimplices cephalalgias ex vehementi æſtu; vnde ſyriaſis puerorum, ſeu inflammatio cerebri, ex ardore caniculæ nata. Frigida quoque intemperies in toto corpore accidit, iis, qui ſub vehementi aquilone iter agentes, aut in aquis gelidis natantes pergelidi, ſemimortui, & rigidi apparuerunt. In extremitatibus verò, vt pedibus & manibus iſtæ perfrigerationes ſæpiùs conſpiciuntur, vt aliquando ob νέκρωσιν & mortificationem quaſi gangrenâ affectæ decidant. Siccæ item intemperies ſine humore fiunt ab exhauſto per omnes corporis partes; vt in fame, copioſis hęmorrhagiis, maraſmo ſenili contingit: vel etiam in particulis propter obſtructiones aliaq; vitia, proprio alimento defraudatis, quæ velut ſale exſiccatæ contabeſcunt. Humida etiam intemperies in toto, aut partibus aduenit, ſed non ſine humoris affluxu. Galenus humidæ intemperiei affert exemplum vxoris Boëtij viri Romani & cõſularis, quæ præ mollitie & laxitate partium vix incedere poterat. Cui ſimilis eſt hiſtoria Scytharum apud Hippocr. Cur ergo ad ſemina radicalia, aut tincturas ſubſtantiales velut morborum cauſas confugiemus; cùm ex qualitatibus manifeſtis cauſa ſufficiens reddi poſſit.

Lib. de præcognit. ex pulſib. Lib. de aëre loc. & aquis.

Quæ cùm ita ſint, & principia Hermeticorum veritati conſentanea non reperiantur, altiùs deinceps repetenda eſt morborum diuiſio, iuxta Dogmaticorum mentem.

De primis morborum generibus ex ſententia Dogmaticorum.

CAPVT III.

Lib. de nat. humana initio.

HIPPOCRATES cenſet, multa in corpore ineſſe, quæ cùm mutuò inter ſe pr.nat. caleſcunt, & refrigerantur, ſiccantúrque, & humectantur, morbos pariunt. Ex quo multæ ſunt morborum formæ, & multiplex quoque eorum curatio exiſtit. Oſtendit hominem non eſſe quid vnum, ſed ex elementis conflari, & variis humoribus conſtare, vnde ex illorum mutatione præter naturalem ſtatum contingẽte multiplices morbi & dolores aduenian.

Morbi ergo differentiæ iuxta Dogmaticos duplices ſunt in vniuerſum: eſſentiales ſeu propriæ, & conſtitutiuæ generis, vel ſpeciei; quæ ab ipſa morbi eſſentia, id eſt, conſtitutione pr.nat. peculiari, & pro-

priâ vnicuique parti desumuntur, & ita vni speciei competunt, vt alteri communes sub eadem ratione esse non possint. Aliæ sunt accidentales, quæ communiter differre faciunt, & propterea pluribus communes sunt, quæ essentiam morbi insequuntur, & desumuntur ex cõmunibus morborum accidentibus, vel proprietatibus, causis, aliisque circunstantiis. Verùm hoc loco de essentialibus & primariis tantum morborum differentiis agimus.

Supponendum est imprimis nos perspicere debere, ad morborum prima genera inuenienda, quotuplex sit partis cuiuslibet naturalis constitutio. Nam cùm teste Galeno constans omnium vnanimi cõsensu principium sit, id quod naturale existit, esse moderatum σύμμετρον: quod verò pr. nat. est, immoderatum. Quapropter in quorum genere & moderatione sanitas fuerit, in eiusdem generis immoderatione erit ægritudo. Contraria enim iuxta Philosophos sub eodẽ genere continentur. Cùm ergo sanitas in temperie partium similarium, & organicarum naturali conformatione, & in vtrarumque continuitate consistat. Sic etiam morbus ex contraria dispositione triplici exoritur, intemperie scilicet, prauâ conformatione, & solutione vnitatis, quatenus est affectio partibus similaribus, & organicis communis.

Lib. de differ. morbo. cap. 2.

Supponendũ secundo cùm morbus ex accidẽtium genere sit, quod corporis nostri partibus inesse solet, constat primas illius & genericas differentias, ex primis subiectis, seu partium differentiis repetendas esse, quibus morbi accidere solent. Porrò cùm partes istæ corporis sub duplici contineantur differentia, similarium scilicet, siue simplicium, quæ ex consimili atque vniformi materia compositæ sunt: & dissimilarium, quæ ex duabus, vel pluribus simplicibus compositæ organum aliquod peculiare conficiunt; sintque actiones duarum istarum partium. Hinc fit vt morbus ille qui similarium partium, quatenus similares actiones peruertit, similaris: qui verò organicis partibus officit primariò, organicus sit censendus; quod si aliqua sit dispositio quæ vtrisque accidere possit, & earum actiones ex æquo euertere, communis morbus sit appellandus.

Quod autem partium similariũ perfectio, & quasi ἐντελέχεια in bona temperie reposita sit, satis constat; nam similares partes componuntur ex quatuor elementis, atque elementorum mixtionem proximè insequitur temperamentum: ad similarium partium sanitatem requiritur temperies, seu iusta primarum qualitatum moderatio, & συμμετρία. Non enim Medicus considerat partes earumque actiones, vt scilicet constant materiâ & formâ; sed tantum similarium substantiam, quarum integritas à temperie, tanquam à forma Medica dependet, à qua deinde actiones similares, vt à causa efficiente instrumentali profluunt. Vnde morbosa similarium dispositio, ex naturalis temperiei ἀμετρία emergit, & intemperies dicitur: cùm debita illa qualitatum primarum proportio, quæ ad actiones necessaria est, non obseruatur; sed vel vna reliquas tres, vel duæ reliquas vincunt. Vnde intemperies simplex est, cùm vna saltem qualitas excedit: quæ est quadruplex, calida scilicet, frigida, humida, sicca; composita in qua

qua duæ excedunt, quæ etiam secundũ quadruplicem συζυγίαν qualitatum primarum quadruplex est. calida humida, calida sicca, frigida humida, frigida sicca. Hisce additur alia intemperies maligna & occulta; vt enim duplex est temperies, vna mixti quæ sequitur mixtionẽ; altera viuentis, quæ à principiis vitæ dependet; sic & duplicem intẽperiem cõstituere possumus, vnam ratione qualitatum, dum scilicet in partibus immutantur per calidi, humidi, frigidi, & sicci alterationẽ; atque hæc intemperies vulgaris est, Altera dum tẽperies viuentis clanculum alteratur, vt in morbis qui calidum & humidum substantificum primò & per se alterant, atq; corrumpunt; quales sunt venenati, pestilentes, & contagiosi: atq; hæc intemperies maligna, & occulta dici potest.

Organicarum seu dissimilarium partium cõstitutio requisita ad suas operationes edendas consistit in debita illarum forma seu figura, magnitudine, numero, & situ. Quæ quidem organicarum partium cõpositio & dispositio in aliis alia est, pro varietate actionum edendarum. Alia enim pars hanc, alia illam figuram habet: alia maior, alia minor est: alia ex pluribus, alia ex paucioribus componi debet. Quæ omnia nisi pars quælibet obtineat, organi nomen & officium sustinere non potest. Quòd si aliquid à figura, magnitudine, numero, & situ organi deflectat, morbosa introducitur cõformatio naturali opposita. Hinc quatuor genera primęque differentiæ morborum organicarum partium proueniunt. Primum cùm forma seu figura corrumpitur, & quod rectum est fit curuum; quod rotundum rotunditatem amittit; cùm meatus qui patere debebant clauduntur, aut quos clausos esse decebat, patent: aut quum asperum læue fit, similique modo membrum à naturali conformatione recedit. Alterum genus morbi est in numero, cùm deest quidpiam, quod adesse conueniebat; aut adest quod abesse debebat. Tertium est in magnitudine, cùm membrum, vel maiorem, vel minorem magnitudinem, quàm naturalis constitutio requirit, obtinet. Quartum in situ est, cùm pars naturalem situm non habet, & in connexione, cùm pars vt decebat cum aliis non connectitur.

Cùm verò quoddam commune sit, quod & partibus similaribus & dissimilaribus ad sanitatem necessarium est, nimirum συνέχεια continuitas, & contiguitas propria, vt vnum quid sint: si hæc amittatur, tertium morbi genus oritur, quod solutæ vnitatis, seu vnionis, vel continuitatis nominant. Hæc rursus genera morborum suas habent subiectas species, & differentias, quas in Pathologicis descriptas reperies.

Notandum est quòd licet morbi organici aliquando lædant actiones similarium partium; & similares organicarum; hoc contingere ex accidenti tantum, non primò & per se: nihil enim attinet ad os, vel carnem, quomodocumque sint figuratæ, vel magnitudine præditæ, vt nutriantur, & actiones naturales exerceant. Sed si exempli gratiâ obstructi sint meatus ossis aut carnis, propter negationem alimẽti, quod debet ad illa affluere, non possunt deinceps nutriri, quia priuantur proprio obiecto, & ad nutritionem necessario. At verò per morbos so-

latæ vnitatis, quæ magis propriè similaribus competit, quàm organicis; vt asserebat Auerroës: tamen constitutio illa communis, seu continuitas violatur; tum vtratumque actiones primò & per se corrumpuntur, & proinde morbi tertia species vtrisque communis admittenda; quidquid aduersus hanc sententiam Argenterius nouus cauillator mussitauerit.

Hinc recedant Hermetici morbos compositionis falsò negantes; quòd saltem actionum quoddam impedimentum sint. Ac si omnes morbi actionum quoddam impedimentum non sint, vt in luxationibus, obstructionibusque apparet. *Lib. de morbo. gener. cap. 2.*

An dentur morbi totius substantiæ, & sub quo genere morborum contineantur.

CAPVT IV.

1. *Variæ sententiæ proponuntur.*

CVm de morbis viuētis temperiem occultam clanculùm afficientibus, supra mentionem fecerimus: insignis mouetur controuersia circa morbos totius substantiæ; & proinde Fernelius, Argenterius, & Paracelsus qui artem medicam illustrasse gloriantur, hoc nouum morbi genus, quod totius substantiæ nominatur, induxerunt. Paracelsistæ nihil aliud quàm morbos formales, substantiales, ideales, cum remediis suis formalibus & specificis iactitant, quorum vanitatem sequutus est Argenterius; formæ morbos, atque medicamina admittens. Fernelius verò non solùm formæ, sed etiam materiæ morbos adiunxit. Hinc Paracelsistæ cùm substantiæ morbos extare audiuissent, qui etiam veteribus incogniti fuerant; ac eosdem non aliis quàm occultis quibusdam remediis expugnari, sua remedia specifica extollunt, tincturas, quintas essentias, arcana, & magisteria prædicant; quibus solis cùm alij omnes, tum substantiæ morbi profligari valeāt. *Lib. 4. cap. 15.*

Scire primùm oportet quid sit tota substantia; horum morborum inuentores, hac in re non sibi consentiunt. Primò dicunt esse perfectionem & integritatem vniuscuiusque rei naturalis; atque hâc ratione pro forma substantiali vsurpatur, vnde hos morbos substantiæ, seu formæ, aut speciei nominant. Deinde cùm spiritus, & innati caloris dissolutionem à vigiliis, laboribus, inedia, strangulatu, extremo & penetrabili frigore suffocationem factam, totius substantiæ morbum nuncupant; spiritum & calorem insitū nomine totius substantiæ intelligere videntur: eo potissimum sensu, quia sibi persuaserunt, verbis Aristotelis malè conceptis, originem caloris & spirituum esse cœlestem: atque animam eiúsque facultatem in cuiuslibet partis innato spiritu & calore insitam, principales omniū actionum causas exercere. Cùm igitur spiritus, & ingenitus calor lædi, adeóque dissipari, *Lib. de alimēto facultat.*

sipari, vel extingui queat, temperamento vel nullo modo, vel leuiter offenso; atque eo modo actiones, ac vitam ipsam tolli censeant: horum extinctioné totius substantiæ morbum nominant. Rursùs cùm putredinem asserunt morbum esse totius substantiæ, aliud à forma videntur per totam substantiam intelligere. Etenim putredo est affectio mixti, non forma; tuncque putredo inducitur, quando temperamentum nõ leuiter, sed insigniter violatur, qualitatibus passiuis supra actiuas dominantibus. Quamobré nihil aliud hoc pacto accepta, tota substantia fuerit, quàm proprietas mixti.

Lib. 4. cap. 15.

In hac significatione vtitur passim Galen. nomine totius substantiæ, vt constat ex illo loco de simplicium medicamentorum facultatibus, vbi loquitur de saporibus, prout prodeunt ex qualitatibus elementaribus cum modo substantiæ iunctis, quatenus à lingua percipiuntur. Ex quo colligimus per totam substantiam non intelligere tantum temperiem ex mutua primarum qualitatum actione & perpessione ortam, & in abstracto considerata: sed vnà cum hac subiectam quoque materiam comprehédere; hoc est temperiem in tot & talibus materiæ partibus insidentem, siue ex tot ac talibus partium temperamentis conflatam sic nominare. Quemadmodum alimenta propter simplicem temperiem non sunt talia; quia teste Galeno, per totius substantiæ similitudinem nutriunt. Quare certum est Galenum per totam substantiam, vel essentiæ proprietatem nil aliud intellexisse quam certam, ex peculiari elementorum mixtione constitutionem: ex qua quoduis mixtorum tale est, quale euasit; & inter membra hoc os, illud caro. Quod totius substantiæ nomine Galenus expressit, hoc Auicennas complexionem secundam nominauit: Aristot. secundam compositionem (δευτέραν σύνθεσιν, ἢ σύστασιν) vocauit. Alij vel substantiæ, vel materiæ, ac temperamenti cuiusque rei proprietatem nuncupare soliti sunt.

Lib. de alimẽtor. facultat.

Lib. 2. canon.

initio l. 2. de part. animal.

Neque insurgas Galenum alibi subtiliùs philosophatum temperationem à tota substantia diuersam posuisse. Quod quidem aliquando distinguere fatemur; nam temperamenti nomine idem semper intelligere negamus. Sæpè qualitaté manifestã ex simplici qualitatũ primarũ confusione ortã significat: cui vires nullas alias adscribit, quàm calefaciendi, frigefaciendi, &c. pro vincentis in mistione qualitatis vnius, aut duarum potestate. Non raro qualitatem occultiorem ex diuersis diuersarum misti partium temperationibus ortam, sic vocat. Illa sine subiecto intelligitur: hæc absque propria & peculiari materia animo non concipitur, nec sensibus percipitur: isto modo vsus est nomine temperamenti, cùm virium dissimilitudinem, quam in rebus deprehendimus maximam, à temperationis earum dissimilitudine prouenire ait. Cùm ἰδιοσυγκρασίᾳ, hoc est temperamenti proprietate res distingui asserit: cùm propter eandem admirabiles in rebus vires inesse contendit: quibus hæc alimenta nobis sint, illa venena. Cùm etiam comm. in 6. epidem. asserit deleteria non agere eo modo quo eleméta ignis & aqua agunt; imò totius naturæ suæ contrarietate.

text. 8. 4. & 3. de temperament.

Sciendum secundo totam substantiam, ex quorumdam sensu, esse

formam propriam cum qualitatibus occultis ab ipsa promanantibus. Non enim actio à tota substantia ita accipienda est, quasi ipsa substantia proximè agat in externa, eaque afficiat, (formæ namque solùm mediantibus qualitatibus agunt.) Verùm cùm qualitates istæ occultæ sequantur immediatè & proximè formam, quæ totam rei substantiam complet, & perficit: à tota substantia agere dicuntur, ad differentiam earum actionum quæ fiunt à primis qualitatibus, & aliis ab iis ortis. Qualitates enim primæ pendent ab elementis: elementa verò in compositis naturalibus rei substantiam non complent, sed materiæ loco sunt, & nobiliori formæ subiacent. Qualitatum ergo occultarum proxima & vnica causa est forma rei specifica. Hâc verò formam singularium partium corporis esse propriam asserunt, præter animam rationalem; vnde differt per illam cerebrum à corde, hepar à cerebro: quam elemẽtarem esse negat Scaliger; Imò potiùs ait formam cuiuscumque mixti, etiamsi non est anima, naturam esse quintam, longè aliam à quatuor elementis; ab iisque occultas rerum sympathais & antipathias proficisci: atque has formas cum cœlestibus corporibus magnum habere consensum, & analogiam. De hac forma, & qualitatibus occultis postea agemus.

exercit. 307. n. 20

sect. 3. c. 2. & 3.

Exinde constat morbos totius substantiæ ad occultarum qualitatum dyscrasiam reduci posse: quòd scilicet eorum natura in maligna quadam, & occulta in corpore διαθέσει cõsistat. Partes siquidem similares non solùm manifestis dyscrasiis afficiuntur, sed ab agentibus totâ substantiâ, seu occultâ proprietate, maligna aliqua qualitas inducitur, quæ occultiori alicui corporis qualitati opponitur, ob quam partes ad agendum impotentes redduntur; & nonnisi occultâ proprietate agẽtibus in integrum restituuntur. Qualitates ergo quæ introducunt morbos totius substantiæ sunt formæ asseclæ, & proinde occultæ, & ad differentiam elementarium, in exigua mole magnam habent vim; cùm elementares qualitates vt multùm agant, multam etiam desiderẽt materiam. Neque formæ occultarum qualitatum ab elementis deduci possunt: cùm elementorum formæ simplices nullam omninò potentiam habeant ad vim purgandi, aliosque occultos & mirandos effectus edendos, qui supra omnem elementorum sortem existunt; quales in purgantibus, venenis, alexipharmacis, & aliis animaduertuntur.

Superest vt clariùs explicem⁹ quænã sit hæc forma occultarũ proprietatũ causa, quæ in animatis & viuẽtibus altiori & nobiliori formæ est subordinata: at in plantis siccis formâ vegetatiuâ carentibus, (cùm adhuc in substantiarum naturalium numero sint) & mineralibus, necnon seminibus rerum, ac similibus animâ priuatis; formam concedimus à crasi distinctam. Nam ex crasi suam essẽtiam habere quis dicet? ex accidenti enim solo, quale crasis est, & ex materia substantia seu res naturalis constitui non potest: sed quælibet res, quod est, per formam est, & forma rei essentiam tribuit. Quæ forma substantialis, & λόγος οὐσίας est quidem simplex, non compositum, neque ex elementorum concretione, aut qualitatum mixtione ortum: effectus etiam

etiam qui à talibus edūtur, ad principale aliquod agens reduci necesse est. Crases enim solùm sunt instrumenta, & nisi à forma dirigantur, & determinentur, per se agere & durare non possunt, sed præsupponunt substantiam à qua sunt, & in qua sunt, nempe formam. Hæ verò aliarum etiam ratione, intendi aut remitti non possunt, neque iis affectis, saluâ rei essentiâ, vlli morbi generantur. Sed sicut ab elementorum formis fluunt qualitates, quibus mediantibus elementa inter se agūt & patiuntur. Ita etiam à formis hisce fluunt qualitates, à quibus occultæ rerum sympathiæ & antipathiæ ortum habent, & quæ in morbis qui formæ dicuntur, solum afficiuntur, non verò ipsæ formæ.

Verùm quæritur an huiusce occultæ qualitatis introductæ beneficio, altera inducatur in partem similarem diathesis, quæ ad temperamentum reuocari non possit. Hoc concedunt totius substantiæ morborum inuentores: nam certum est ipsorum sententiâ, quod istæ qualitates occultæ à forma specifica prouenientes, absque elementarium qualitatum consortio possint agere in totam corporis substantiam, & proinde morbum sibi congenerem inducere, absque temperamenti læsione. Quod si agentia à tota substantia temperiem mutent; hoc non concedunt fieri quatenus totâ substantiâ agunt, sed quod ipsa manifestis qualitatibus prædita sint.

Ergo sequitur inde has qualitates occultas non consistere in temperamento vulgari, etiam cum modo substantiæ mixto; cum supra elementorum naturam existāt. Hoc dato & concesso cùm omnis qualitas vel sit corporea, vel spiritualis; hæc occulta qualitas non est spiritualis prout corporeæ opponitur: si ergo sit corporea vel est cœlestis, vel elementaris; si cœlestis vtpote à syderum influxu procedens, vel cœlesti cognata, vt est virtus magnetis, & priuata quædam proprietas aliorum corporum mixtorum; licet non oriatur à primis qualitatibus elementaribus, vt docet S. Thomas variis in locis; nec id negant morborum totius substantiæ assertores. Nos tamen dicimus illas qualitates cœlestibus esse analogas, & cum elementaribus maximum habere commercium; ita vt simul vniantur, & vnum specie sint, vt supra probatum est de calore cœlesti & elementari: & licet vires obtineant elementaribus nobiliores, id fit quatenus in substantiis quibusdam vitalibus inhærent, & à forma sua specifica determinantur, diriguntur que ad actus etiam supra elementarium sortem eliciendos. Verbi grat. in partibus similaribus attractio, nutritio, concoctio, fit quidem à temperamento tanquā causâ instrumentali, calore nempe innato, sed à particulari etiam partis idiosyncrasiâ, quæ formam & substantiā ipsius cōprehendit. In hoc autē mixta corpora perfecta purè elemētares qualitates non possident; licet plurimùm ab ipsis inter operandum iuuentur; exempli causâ in purgantibus medicamentis, etsi vis cathartica ex propria forma, & medicamenti substantia cum qualitatibus occultis iuncta procedat: attamen in sua operatione ab aliis vulgaribus adiuuatur, vt pote amaritudine abstergente, acrimoniâ mordente ac vellicante, vel qualitate fœdâ & virosâ corpus turbante, aliàs humiditate emolliente ac lubricante, vel calore

2. contra gentes c. 68 & opusc. 34. c. vnico & quæst. 2. de spiritual. creatur.

calore liquante fundente, & fermentante humores.

Sciendum est insuper temperamentum triplici modò considerari; illud imprimis quod sequitur simplicem primarum qualitatum victoriam & prædominiũ:aliud quod sequitur modum in mixtione, laxitate,raritate,duritie, mollitie, & similibus; quod non solum exoritur ex qualitatum ipsarum intensione vel remissione, sed etiam variâ primorum corporum miscellâ, & materiale vocatur:aliud denique quod viuentis appellamus,positum in duplici calore insito scilicet vnicuique parti,tum influente,qui calor non simplex nudeque qualitas Medicis habetur, sed aggregatum quoddam ex illo calore, spiritu & humido primigenio pingui, aëreo, & oleoso per omnes partes diffuso.Et hoc temperamentum viuentis est veluti formale quid, quia per illud partes viuunt,functionésque suas obeunt;in quo vitæ principia & radices firmiùs adhærent. Itaque si qui sunt morbi qui non tam temperiem vulgarem calidam, frigidam immutent, quàm temperamentum hoc viuens peculiariter oppugnẽt, seu humidum calidúmque substantificum afficiant,morbi quodãmodo substantiales dici possunt medicè loquendo, non quod morbus sit substantia, sed quia viuentem substantiam occultè inuadit. Si hoc voluit & cogitauit Fernelius,quamuis admodum obscurè & ambiguè nihil noui asseruit, neque aduersus Galeni sententiam, qui eiusmodi morbos passim in suis scriptis agnoscit.

2. *Controuersia deciditur, & argumenta pro morbis totius substantiæ examinantur.*

Concludimus primò morbos materiæ & formæ à Fernelio inuentos, sub intemperie contineri; neque enim materia partium similarium tenuior aut crassior,durior aut mollior, rarior aut densior, laxior aut adstrictior reddi potest, nisi fuerit intemperata; vel saltem organi dispositionem peruerteret; & sic ad morbos organicos pertinet. Dispositio verò partium similarium per quam suas exerunt operationes, cùm in qualitatum temperie,& vitæ principiorum symmetria consistat: non alios parere potest affectus, præter intemperies vulgares quidem, si temperies mixti vitietur: occultas autem seu malignas, si principia vitæ clanculum labefactentur per occultas & malignas qualitates.

Concludimus secũdò materiam vel formam non pati morbos primò & per se, in sua essentiali constitutione, sed partes quæ ex illis constant dici à Medicis vera morborum subiecta; in quibus nullas alias dispositiones actiones lædentes reperies,quàm in temperamento, conformatione, & vnitate illarum.

Argumenta eorum qui supra intemperiem morbos totius substantiæ partibus similaribus adscribũt, non ab omnibus sub eadem consideratione recipiuntur. Primum est: in quorum naturali constitutione sanitas consistit, in præternaturali etiam morbus: at tria sunt in quorum

rum bona constitutione sanitas consistit, nimirum temperamentum, materia, & forma. Ergo totidem erunt in quibus morbus reponitur:& proinde non solum datur morbus intemperiei, sed materiæ,& formæ. Minor probatur, nam ad materiam pertinet nimia durities, aut mollities, crassities, aut tenuitas, densitas, aut raritas, adstrictio, aut laxitas. Quod enim propter hæc temperamento non mutato, partium actiones lędantur, multa ostendunt: vt quod ventriculus aliquorum nec acetum, nec synapi fert, quòd odoribus certis aliqui mirificè vel iuuantur, vel offenduntur; quod morbi Iecoris, ventriculi adstringentia perpetuò postulant: quod vires Galen. asserit in spiritus, carnis, & solidarum partium iusta quantitate, & qualitate consistere: quòd immoderatè laxantia vires idem dissoluere, ait: quòd tenuitatem cerebri ingenij felicioris causam statuit. Et hæc pro materiæ morbis.

Quod ad formam spectat, similaris pars viuens & agens, præter materiæ & temperamenti similem substantiam, formam in se habet occultiorem, quâ est os, caro, neruus: quâque viuit. Patiuntur igitur duplices morbos, quoad sunt similares,& quod inter se differunt, ac viuunt. Nam ex Aristot. os vt sit pars similaris habet quidem à temperie; sed vt sit pars corporis viuentis habet à forma quæ à generante infunditur: multæ siquidem sunt partes eiusdem temperamenti quæ variam habent formam. Hos vel morbos totius substantiæ, vel formæ nomines licet: modo non ignores, singularum partium formam earumdem actionum (magis quàm temperiem) causam existere: & quemadmodum virtus & robur ei feruntur accepta, sic vitia quædam in iis statuenda esse.

Ad quod respõdemus valdè hallucinari Fernelium; non enim integritas aut perfectio actionum pendet seorsim ex forma, materia, aut temperie, sed de composito materiam & formam habente, in quo certa dispositio reperitur, causa bonæ actionis vel malæ. Morbus enim cùm sit eius rei vitium, quæ actionis propinquissima est causa; neque materiæ, neque formæ, sed cõposito (propter eius temperationẽ, conformationem, & vnitatem) per se & propriè accidit: vt propinquiori actionum causæ. In similari igitur parte nulli alij morbi insunt, quàm vnitatis & temperationis. Materiæ sine temperamento consideratæ qualitates ad instrumentalium morborum constitutionem concurrere dicimus; formam immutabilem esse omnes concedunt.

Quod ad materiales ergo morbos spectat, partium scilicet similarium raritatem, densitatem, mollitiem, duritiem: istæ qualitates secundæ, quas Fernel. affectiones materiæ appellat, manifestè à primis dependent; nam adstringentia, v.g. cogunt densantque corporis nostri partes, quatenus sunt frigida & sicca; laxa verò partes dilatant, quatenus caliditate moderatâ & humiditate prędita sunt. Durities & mollities plerumque sunt symptomata qualitatum tactilium, vt docet Gal. si tamen interdum ob mollitiem lædi actiones contingat, vt exemplo demonstrat Fernel. militis, cuius crura instar ceræ euasere flaxilia: mollitiem illam dicimus lædere partis actionem, nõ quatenus simi- *De symp. diff. c. 5.*

laris eſt, ſed vt organica: ſic etiam raritas pororum cutis, aut eorumdem denſitas, ventris craſſities, aut tenuitas ſunt diſpoſitiones meatuum, cauitatum, magnitudinis auctæ, vel imminutæ, & ſic de reliquis.

Alia accidentia quæ referuntur ad morbos materiæ, vt quod ventriculus acria tolerare non poſſit; potius ob ſenſus acrimoniam, & temperamenti proprietatem contingit, quam ob materiæ vitium. Sunt qui propter ἰδιοσυγκρασίαν certos odores aut ſapores ferre nequeunt. Ingenij & cogitationum celeritas organica magis quàm ſimilaris actio eſt: equidem ſpirituũ naturam, cerebrique tum temperationem, tum conformationem magis ac propiùs ſequitur, quàm materiæ conditiones. Quantum ad Galeni locum in quo aſſerit virium eſſentiam conſiſtere in ſpiritus, carnis, & ſolidarum partium iuſtâ moderatione; non eſt inde colligendum dari morbos totius ſubſtantię: nam hîc ſolùm ex viribus docet indicationem alimenti præbendi, quæ cum vitalis ſit; tenui, craſſo, vel moderato victu obtinetur, iuxta partis varietatem, ſpiritus nempe, aut carnis, aut ſolidæ partis reſtaurationem. Tantumdem eos iuuat quod ad Glauco. ſcribit: ea quæ immediatè laxant, itemque calefacientia, & frigefacientia, denique qualitates quaſdam extraneas virtutem diſſoluere. Dubium non eſt quin pluribus modis vires debilitari ac ſolui queant: an ob id Galen. tribus iis modis quos hîc enumerauit, tres morbos ſedibus diſcluſit. Quantum ad morbos formæ ſpectat, eos reiiciendos aſſerimus: cùm nullus morbus ad eſſentialem, ſed ad accidentalem conſtitutionem, quæ in qualitatibus conſiſtit, redigatur: integrâ enim manente formâ contingit morbus, qui accidens eſt, quod eodem ſubiecto manente per vires adeſſe poſſit. Et licet concedamus ſingulas corporis partes viuentes, & animâ informatas, occultis quibuſdam qualitatibus aliquando affici, quæ quia formam quæ totam ſubſtantiam complet, conſequuntur, inde morbi totius ſubſtantiæ & formæ dicentur; non ratione formæ mutationis, ſed illarum qualitatum à forma fluentium: ſed nos ſupra notauimus iſtam alterationem reduci ad intemperiem occultam & malignam, quatenus temperies viuentis alteratur, vt in morbis contagioſis & venenatis contingit, qui calidum & humidum ſubſtantificum primò & per ſe alterant.

11 *meth. c.* 1. *&* 3. *&* 12. *meth. c.* 5.

Lib. 2. *c.* 2.

Secundum argumentum vt probent totius ſubſtantiæ morbos dari: quòd veriſſimile prorſus eſt, ſic partes agere quomodo ſtruthij venter; hic autem ferrum coquit, non caloris elementalis, aut inſiti temperamenti ratione; ſed totius eſſentiæ naturâ. Deinde quòd Galen. ſubtiliùs philoſophatus temperiẽ à tota ſubſtantia diſtinguens νοσε[illegible] ἀπόκριτι affirmat, magis totius ſubſtantiæ proprietate, quàm notâ qualitate nocere. Denique quod medicamenta totis ſubſtantiis morbos ſimilarium partium pellentia inueniri aſſeuerat. Cùm itaque omnis actio ſit inter contraria, quæ ſub eodem genere comprehenduntur: ſeu omne agens, & omne contrarium agit in ſuum contrarium, & cupit naturaliter ſibi ſimile patiens reddere. Agentia verò à tota ſubſtantia dum morbos inducunt & in corpus

corpus agunt, illud sibi simile reddere conantur. Ergo in sibi contrarium agunt, & proinde qualitates primas non afficiunt; nec quatenus in totam substantiam agunt morbos intemperiei producunt, sed suæ naturæ congeneres ac correspondentes morbos excitant.

Ad hoc argumentum respondemus, id quod aliàs proposuimus, scilicet substantias non agere immediatè, sed per qualitates vel manifestas, vel occultas à forma pendentes. Ad id quod primo loco dicitur de coctione ferri in ventre struthiocameli; & de actione partium à tota substantia; solùm ostenditur talia prodire non ex solo calore, aut temperamento insito, sed ex quadam simul substantiæ proprietate: sic in morbis totius substantiæ, quia consistunt in dispositione accidentium, necessariò afficitur temperies, si non vulgaris; saltē quæ cum humido substantifico cōiuncta occultè immutatur.

Nec hoc quidem aliquid probat, quod quædā totis substātiis nobis magis aduersari aiūt, quàm qualitatibus: non enim rectè concluseris; totâ substantiâ nobis est inimicum: ergo morbum totius substantiæ in nobis generat. Nam & inquinamēta aëris pestifera, effluuia morbosa dicta, medicamenta septica, & similia dicuntur totâ substantiâ agere: quæ tamen si considerentur prout calefaciendo, putrefaciendo, erodēdo nos offendunt, sic operantur per qualitates manifestas; sed in hoc non consistit morbi idea; cùm per alias potentiores qualitates iam dictas morbosam totius substantiæ diathesim inducant.

Cùm verò asserunt actionem inter contraria esse, nec qualitatem substantiæ per se contrariam esse, cùm generibus differant. Ex hoc non sequitur medicamenta totis substantiis innimica, non agere suis qualitatibus, aut in corporis nostri qualitates. Verùm supra probatum est has qualitates occultas supra elementales existere, & propter ambarum consortium suas inuicem affectiones facilè communicare: eo tamen iure vt cùm occultæ qualitates afficiuntur, hinc intemperies occulta & maligna exoriatur, quæ morbum totius substantiæ producit. Medicamenta totâ substantiâ agentia, quæ præscribuntur in pestis, tum aliorum morborum malignorum curatione, non operantur qualitatibus primis & manifestis, sed aliis à propria forma pendentibus, quæ spiritui cohærent, quæ quia nobiliora sunt solo calore & frigore, ideo toti substantiæ tribuūtur, quæ cum non agat immediatè, sed per congeneres qualitates indicibiles, spiritum tamen & temperiem occultam consequentes, temperiem etiam occultam viuentis immutant. Atque sic firma manet conclusio morbos totius substantiæ reuocari ad intemperiem occultam.

Tertium argumentum pro morbis totius substantiæ stabiliendis, quia dantur actiones læsæ quæ ad nullum morbum vulgò notum, neque ad errorem externum referri possunt. Nam omnis actio læsa vel prouenit ab aliquo morbo partis, vel ab errore externo: sed dantur actiones læsæ in partibus similaribus, quæ neque ob errorem externum, neque à morbo aliquo intemperiei proueniunt. Ergo necessarium est, vt in partibus similaribus adhuc aliud morborum genus detur, à quo læsæ illæ actiones pro-

deant. Sæpe enim actiones lædi, quarum læsionum causa à morbis intemperiei peti non potest, vt in venenis notissimum est:nam quæ à qualitatibus primis fit alteratio & læsio, tantarum virium non est, vt hominem subitò enecare & interimere possit:quod in pluribus venenis fieri videmus. Imò in pestilentia certè actiones hominis subitò prosternuntur;atque homo citò iugulatur:neque tamen vlla aut certè exigua in qualitatibus primis apparet mutatio. Vnde concluditur aliquid aliud adhuc affici præter primas qualitates, quod totius læsionis causa sit; & proinde manifestè sequitur alios adhuc præter notos intemperiei,in partibus similaribus morbos dari, quos occultos vocat Fernelius, & totius substantiæ,eosque diuidit in contagiosos, pestilentes,& venenatos, quia omnes ex causis abditioribus nec ita vulgatis originem trahunt.

Respondemus hoc argumentum nostram sententiam confirmare:attamen ab hisce morbis intemperiem vulgarem sensibiliter nonnũquam induci,quatenus à causis cũ elementaribus qualitatibus consociatis suscitantur: aliàs verò illæsâ partis temperie morbos occultos & totius substantiæ introduci,quos tamen reiicit Erastus dum prorsus solam similarium ab hisce morbis temperiem manifestã offendi vult. Quæ subitò interimunt, inquit,vel spiritus vitales dissipant, ea vel extinguunt,vel putrefaciunt eosdem: totam ob id eorum substantiam primò(illæso temperamento)offensam fuisse quis opinetur intelligens? spiritus namque dum dissoluitur caloris insiti qualitas deperditur quæ ipsi inest, & frigiditas inducitur: at si consideres ipsius substantiam deperditam, certè nec quæ recessit, aut quæ remansit est morbus, sed vitium illud est referendum ad causam morbificam,vel ad dispositionem organicã in quãtitate partium imminuta, non autem morbum aliquem totius substantiæ aut formæ. Non aduertit Erastus illa venena, & similia quæ agunt totâ substantiâ esse primis qualitatibus instructa, & proinde partium temperiem alterare:sed secundum hoc morbos substantiæ non introducere; quin potius per illas qualitates iam dictas à forma prodeuntes.

Disput. 15. th. si 67.

Respondent secundò alij quos sequitur Varandæus, occultos tales morbos considerari posse, vel cum sua causa,vel seorsim. Etenim inquinamenta illa pestilentia quæ per aërem dispersa sunt; vapores illi putrilaginosi qui per effluuium ab hoc corpore in aliud inferuntur; venena denique assumpta,vel intus genita ex humorũ corruptela, causæ sunt morborum, non morbi; vt illud diuinum ab Hippocr. obseruatum:ac proinde quamuis ista totâ suâ substantiâ agere dicantur, & remediis totâ substantiâ contrariis oppugnari,non tamen idcirco, inquit,statim sequitur morbos totius substantiæ generare, sed vel magnas intemperies violentam mortem inferentes, ex vi & celeritate agendi qua prædita sunt, vel morbos organicos,obstructiones potissimùm,tumores pr.nat. vel solutiones continui, dolorificas exulcerationes,ruptiones, apertiones vasorum, quibus maximè nostrum corpus infestatur; vel etiam mors repentina in hisce casibus sequitur humoris venenosi iã antea in corpore

Part. 2. Pathol. vniuers. cap. 9.

pore

pore geniti, vtpote æruginosi metastasim in sinus cordis, vt apparuit in dissecto cadauere cuiusdam à peste subitò extincti Marticæ insulæ maritimæ, vulgò Martegues dictæ: vt mihi retulit Reuer. pater Arnulphus Prædicator Ordinis Capucinorum, qui præfuerat illic anno 1620.

Ista responsio non satisfacit, quia licet cum peste plures morbi vulgares coniungantur; attamen in his essentia pestis non stat, neque id est per quod tum æger iugulatur: est enim alia maligna diathesis à causa pestilenti inducta, quæ & mortis & aliorum symptomatum vera sit origo. Nulli ergo alij statuendi morbi totius substantiæ in partibus similaribus, quàm quorum læsio ad primas qualitates referri nequit, quos maligna & venenata causa excitat; & qui non qualitatibus primis, sed his quæ totâ substantiâ agere dicuntur, curantur. Nimirum vbi maligna & venenata qualitas corpori occurrit, & similem in eo affectionem parit, quæ non calidis aut frigidis, sed occulto modo agentibus solùm expugnetur. Nec proinde confugiendum ad illa remedia formalia, idealia & totius substantiæ Paracelsistarum, sed ad ea quæ ab antiquis celebratissima fuere, ad similes affectus malignos expugnandos, quæ alexiteria seu alexipharmaca vocantur: vt Theriaca Andromachi, Mithridatium, Electuarium de ouo, Antidotus Oruietani, Antidotus Moybani, puluis contra pestem, Opiata Salomonis, confectio alkermes, de Hiacintho, & similes cõfectiones quarum meminit Vueckerus in descriptione electuariorum contra venena; & Bertaldus tractat. de antidotis. *Lib. 2. Antidot. special. cap 21.*

Vtrum aliqui morbi sint Astrales.

CAPVT V.

1. *Astrale pro spirituosa substantia ab Hermeticis accipitur.*

ASTRALE varias habet significationes, nonnunquam sumitur ab Hermeticis pro spirituali & vaporosa substantia, impetum faciente, vel humectante, aut effluente in modum vaporis, vel fumi, quæ quidem substantiæ contentæ sunt in ipsis matricibus, seu partibus corporis humani continentibus, quarum solidiores ligamentosæ, & carnosæ seu molliores cum elementis collatæ, locorum & matricum officia exercent: vt quæ principia hypostatica, & alias substantias tam fixas, quàm volatiles, tam materiales, quam spiritales cõtineant. Impetuosa ergo contenta sunt spiritus, humectantia humores, effluentia verò seu exhalantia sunt halitus, & vapores: hæc omnia in corpore latitant, & tam boni quam mali radices generant; & in his consistũt seminales morborum astralium fomites, atque mineræ. Verùm cur Astrales ab his dicuntur; nisi eo iure & titulo nouas morborum differentias decoris no-

minibus ornatas indigitent; licet reipsa corporeæ sint causæ, & ex nostris principiis congenitæ. Et cum illi putant morborum causas non ici, quod tantum sint vapores simplices, halitus, fumi, & fuligines aëreæ & spirituosæ naturæ, aut calidæ frigidæ humidæ aut siccæ qualitatis, decipiuntur; quod namque spiritibus flatuosis, impetuosis, salsuginosis, ponticis, acribus, acidis, sulphureis, nitrosis, fœtidis, narcoticis, pestiferis, arsenicalibus, antimoniacis, & id genus aliis tribuunt: qui ex variis nostri corporis liquoribus, sulphuribus, salibus, fæcibus, tartaris exhalant & expirant; vnde tot morbi & symptomata excitantur & inualescunt: nihil aliud proferunt, quàm sub diuersis vocibus res à nobis explicatas; vt potè succis variis saporibus constantibus, & spiritibus noxiis sæpiùs inculcatis varia nomina imponentes, vt à nostris præceptis discrepare videantur; cum tamen aliqua ex parte consentiant.

Cap. 8. tetrados. Quercetan⁹ vult morborũ astraliũ siue spiritualium loca difficillimè elucescere: eiusmodi enim morbi vnà cum vitalibus tincturis, toti in dissolutionem diffluunt: non secus ac in meteoris, & superioris Globi generationibus videre est. Huiusmodi quoque in superiore microcosmi globo meteora generari certum est; apoplexiam videlicet, & epilepsiam. Illorũ enim morborum loca sunt occulta, quorum semina sunt astralia & spiritualia, quæ fulminis instar, vno momento vitalia vniuersi corporis elementa procellunt, & syderant. Deinceps asserit istas exhalationes spirituosas morbos astrales producentes, quas mercuriales vitriolatas vocant, nos verò acidas, ex humore seu tartaro, aut mucilagine æruginosa expirare; quam nos etiam porraceam nominamus, Hermetici vitriolatam, cùm vitrioli tincturas & impressiones circumferat, quæ exhalationes in cerebrum euectas illicò conglaciant, & congelant, ex glacie nempe illa & congelatione quam aciditas vitriolata constringendo ac coarctando parit, vnde obstructio & ventriculorum cerebri coarctatio in prædictis affectibus; hinc syderationes, conuulsiones, & facultatum principum consternationes.

Astrales ergo morbi dicuntur ab Hermeticis, non quod ex cœlo prodeant, sed quia causas spirituosas & vaporosas potiùs agnoscant, quàm materiales & crassas, malignis tamen & virulentis quibusdam qualitatibus copulari aiunt: quod Fernelius & erastus in epilepsia euenire volunt. Dum aura maligna & venenata, sursum in ventriculos cerebri eleuata, ipsos vellicat, vnde motus concussiuus excitatur cum mẽtis & sensuum læsione. Verùm spiritus isti mordaces proprias habent causas, veluti eorum seminaria, quas Medici cum Hermeticis concedunt esse vel impurum sanguinem, vel lac corruptum, & inquinatum semen, vel quemuis alium humorem atrabilarium, porraceum, & æruginosum, qui ab illis vitriolatus vocatur. Mineræ autem morbi delitescunt, vel in ventriculo, sanguinis massa, intestinis, splene, vel mesenterio, matrice, aliisque corporis partibus: vnde spiritus hinc prodeuntes penes nos geniti elementarem naturam redolent; quasi verò isti spiritus corporei & corruptibiles non agerent per qualitates sensibiles, sed tantum per potentias illas substan

substantiales, quas fingunt Hermetici in scholis philosophicis malè instructi. Etenim cùm proferunt ista seminaria morborum astralium, quæ vocant tincturas seu radices in mineris & matricibus consistentes, tanquam in locis occultis, in quibus potentiâ insunt; excitata tamen ab aliqua causa actu emergere, & suos fructus producere: & prodire ex liquoribus Mercurialibus, salinis, aut sulphureis, ex quibus tanquam hypostaticis principiis partes corporis continentes actu & formaliter constant. Nonne easdem partes in sanguine & semine consideramus, quæ sunt proxima corporis principia, quæque portionem aëream, viscosam, igneam, tenuem, aqueam, humidam, & terrestrem comprehendunt: & cum à propria symmetria discedunt per qualitatum alterationem, dispositionem pr. nat. pariunt, quæ quidem actu antea non erat in subiecto, sed de potentia ipsius per nouam causarum mutationem emergit. Sunt ergo spiritus illi materiales, & cum qualitatibus sensibilibus coniuncti, & proinde cum corpore elementari participant: licet totius substantię qualitates occultas obtineant.

2. *Astrale est quid diuinum Hippocratis, vel à Deo missum, vel à cælo, vel ab aëris dispositione ortum.*

Alij fuerunt Medici qui astrale cum diuino confundere voluerunt: nomine τὸ θεῖον corporum cœlestiũ vim & influxum morbos causantem intellexerunt, ex Hippocr. prognost. vbi scribit Medicum morbos præcognoscere optantem, debere respicere quid in morbis diuinum habetur, & illius ediscere prouidentiam. Istius verò loci variæ sunt interpretationes; nam diuini causam alibi altiùs Hippocr. repetit, loqués de natura & morbis mulierum; potissimum quidem in rebus humanis causam esse diuinum numen, deinde mulierum naturas; & proinde à diuino numine inchoandum esse putat, postea naturas mulierum dignoscendas. Certumque est Deũ esse aliquando primariam morborum causam, & hoc est quod vult Homerus dum ad Deorum iram morbos referebat, & dum Apollinem pestilentiam sagittis in homines mittere canebat. Diuinus etiam Iob, dum ait, sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio spiritum meum ebibit. Et paulo infra, collegit furorem suum in me, & satiatus est hostis pœnis meis.

Lib. 1. text. 4.

Initio lib. de natur. muliebri.

Cap. 6. v. 4. cap. 16. v. 10.

Obiicies quorsum Hippocr. diuinos morbos à Deo immissos agnouerit? cum lib. de morbo sacro asserat, neque tamen hominis corpus à Deo inquinari existimo, impurissimum à purissimo, &c. Respond. Hippocratem impuritatem à Dei substantia influere non existimasse, cum purissima sit; sed tamen morbos diuinos esse ratione originis. Ideoque censendum non secundum malitiam aut culpam, Deũ morbos emittere, sed secundum iustitiam & pœnam ad castiganda hominum scelera. Excusandus Hippocr. qui verâ Dei cognitione priuatus, de Deo tamen mirabiliter scripserit, dum dicit, maxima ergo & sceleratissima peccata Deus expiat, & purificat, tutelaque nostra existit.

Notare oportet Hippocratem prudenter eos reprehendere, qui morbum

L. eodem de morbo. sacro.

morbum ſacrum & diuinum appellabant, atque incantationibus,luſtrationibus & expiationibus ſeu magicis artibus curare contendebant. Quod in memoriam reuocat Paracelſi conſilium à Crollio prolatum. Si ſupernaturaliter per incantationem, vel magicam aſcendentium impreſſionem morbus vel dolor illatus, ibi arcanorum naturalium ſanandi conatus irritus, ſed ſecundum Paracelſum magicè & ſupernaturaliter procedendum, ac malum eo quo illatum modo viciſſim repellendum. Quod tamen impium eſſe quis non videt?& à legibus diuinis & humanis prohibitum,non eſſe ſocietatem habendam cum dæmonibus, aut dæmonum conſultoribus. Etenim incantatores, magi, malefici de multorum morborum curatione ſe iactant, quod tamen malis artibus præſtant; nempe incantamentis, adiurationibus, characteribus, nodulis, vinculiſque magicis,aliiſque damnandis præſtigiis; quibus vitæ hominum diſpendio primam ſacratiſſimamque artium Medicinam polluunt,peruertunt,& infamant. Qui quidem vel patriæ legibus in exilium relegandi veniunt: cùm præſertim Moſaïcâ lege cautum ſit:nec inueniatur in te qui ari los ſciſcitetur,& obſeruet ſomnia atque auguria, nec ſit maleficus,nec incantator, neque qui pythones conſulat, nec diuinos, omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter iſtiuſmodi ſcelera delebit eos introitu ſuo. Adde rationes Hippocratis ſuperſtitioſos magos arguentis, qui hoc modo iſtorum morborum curationem aggrediuntur, hos neque ſacros neque diuinos reputare mihi videntur. Si enim eiuſmodi expiationibus talique curatione tolluntur, quid prohibet quò minùs ex ſimilibus artibus ab hominibus remoueantur, aut in eoſdem incidant?adeo vt non amplius diuinum ſed humanum quiddam in cauſa mihi eſſe videatur. Quiſquis enim luſtrationibus & magicis artibus huiuſmodi affectionem abigere voluerit, is etiam aliis artibus abiget,iſtaq; ratione diuinitatis opinio prorſus deperditur. Cõcedimus morbos ex maleficio quorum curatio pertinet potius ad ſacerdotes & exorciſtas, quam ad remedia ordinaria,vt videre eſt apud Iacob. Fontan. parentem col. in tract. de dæmoniacis ad Medicum pertinentibus.

In baſilica Chymic.

Deuter. 18.

Loco cit.

Circa finē Pathelog. lib. de peſte c.8.

Diuinum quod in morbis comperitur, Mercurialis ex Stephano Athenienſi,& Thadeo Florent. appellari cenſet ab Hippoc. quod in aëre quidem eſt, ſed à cœlo cauſatur:& proinde ad cauſam cœleſtem reducit, vt alibi meminit Hippocr. nam quemadmodum cœlũ ex ſententia medicorum imprimit in hæc corpora terrena qualitates reconditas, etiam aëri communicat eiuſmodi qualitatem ſecretam maleficam,aut benignam, vt docuit Auicennas. Appellauit itaque diuinum in morbis Hippocr.non ſimpliciter quamlibet conſtitutionem aëris, ſed qualitatem ſecretam:vnde idem vocat calorem noſtrum immortalem,omnia intelligentem, à virtute cœleſti promanantem. Nec aliud puto ipſum ſignificaſſe in Epidem. quum ſcripſit, morbum & tempus ſibiipſis correſpondere, niſi quid in ſuperiori natura innouetur. Sic etiam diuinus Plato, in generatione omni aliquid diuinum eſſe fatetur, quod ſimiliter inſinuauit Ariſtot. dum

Lib. 4. de morb.

Tract. de peſtil. 1. 4. fen. 3. 1. doctr. 5. cap. 1.

Lib. de princip.

2. Epid. ſec. 1.

dum ait, omnem animæ vim aliud corpus participare; idque magis diuinum quàm elementa. Et Galenus, non quæcunque causas habent abditas & obscuras, diuina vocamus: sed vbi admirabilia videntur duntaxat. Vbi diuinum interpretatur, ambientis nos aëris conditionem.

2. De generat. animal. cap. 3. *Comm in 1. Prognost.*

Quam aëris constitutionem non qualemcunque intelligi vult Fernelius; non eam sanè quæ in primis est qualitatibus, sed multò prçstantiorem occultiorémque, quam νοσερὴν ἀπόκρισιν morbidam excretionem, quâ totus aër conspersus est, Hippocrates appellauit: & Galen. expirationem interpretatur, proprietate totius substantiæ infensam: certò pronunciare audemus in aëre inesse morborum seminarium, seu morbidam expirationem, quæ non ex solis primis qualitatibus constat, vtpote notioribus & vulgaribus, neque ex illis proficiscitur; sed sublimiorem cœlestémque originem nanciscitur. Nam vt dierum decretoriorum atque crisium, ita & plurimorũ euentuum causas. Hippocr. atque Galen. cœlo syderibusque tribuunt. Iubet alibi maximas anni mutationes obseruare, & plurimùm cauere; nullam in iis medicam potionem offerens, priusquam decem aut plures dies transierint. Prçterea ortus astrorum, præ ertim caniculæ, arcturi & vergiliarum occasus aduertere: quarenus scilicet sydera illa, morbidam excretionem occultorum morborum causam disseminare, & quasi semina quædam in aëra spargere valeant. Non tamen proinde primarum qualitatum vulgarium impressionem cum superioribus coniunctam reiiciendam puto.

Lib. 2. de abd. rerũ caus. cap. 10.

Comm. 2. lib. de nat. hum.

Lib de aëre loc. & aq.

Apposité Galen. cum per τὸ θεῖον nihil aliud Hippocratem intelligere censet, quam ambientis nos aëris dispositionem: de qua Hippocr. ita scripsit: si hyèms squalida & Aquilonia fuerit, ver verò pluuium & Australe, febres acutas fieri æstate necesse est, & lipitudines, & dissenterias, maximéque mulieribus & viris naturâ humidioribus. Vbi prçdictionem adfert futurorum morborum ex præcedenti aëris constitutione in tempestatibus adueniẽte, quæ pendet ex ventis, & introductione qualitatum elementariũ. Quare Medico satis fuerit, vt artifici sensuali, quas in aëre dispositiones sensu ipso percipit obseruare, relictis causis cœlestibus à sua cognitione remotis, & penitus incertis. Perabsurdum itaque est & ab omni Philosophia alienum, quorum proprias causas efficientes videas, manifestas & sufficiẽtes apud nos in viribus corporum inferiorum, eorum originem quærere in syderibus. Meliùs ergo Medici, Nautæ, Agricolæ ex particularibus rerum naturaliũ signis futuros euentus præsentiunt, nec tam infausto successu ac Astrologi, qui cœlestem dispositionẽ considerant; quæ causa tantum vniuersalis non efficit varietatem inferiorum, nisi pro materiæ conditione, causarumque efficientium sublunarium potestate. Attamen nec cœlestis illa dispositio domiciliorum quam respiciunt vera est, sed ab iis efficta per regulas commentitias, non naturâ sed arbitrio constans Astrologorum, vt asserit Picus Mirandulanus. Propterea que nihil mirum si nullam rem certam per suam artem præcognoscere queant: & proinde Hippocr. ex obseruatione syderum suas

Comm. 1. Prognost. text. 4. 3. Aphor. 11.

Lib. 3. aduers. Astrologos. c. 19.

prognoſes non inſtituit; vt qui ſciret hæc magis ex lotio quæri quam ex Aſtro, & de pulſu arteriarum, quam de motu ſphærarum certiùs præcognoſci. Periti gubernatores nauium, non ex Ioue, Saturno, Venere, Marte, Mercurio præuident tẽpeſtates; ſed de nube, de ventis, de omni aëris conditione: atq; eorum hæc ſolers diſciplina experimentis vbique confirmata, de ſpiraculo tenuiſſimi flatus, de nubecula vix conſpicua tempeſtatem præuident imminentem, cuius nullum indicium adhuc patebat oculis aliorũ. Nec ſolum venturam intelligunt, ſed quâ parte futurum vt excitetur, quò declinari, quò ſuperari poſſit: ad quæ ſapientia omnis Aſtrologorum prorſus caligabit. In hac ergo incertitudine Aſtrologiæ quam Iacob. Fontanus parens colend. deſcribit: ſydera non quærit Medicus, ſed ſolam aëris diſpoſitionem in anni tempeſtatibus, ſecũdum qualitates elementares, & ventorum tum Auſtri, tum Aquilonis ſtatum. Quotidianas itaque diſpoſitiones animaduertet, atque ex his per doctrinam vniuerſalem ab Hippocr. deſcriptam præuidebit quales ſint futuri morbi in tempeſtatibus ſubſequentibus, vt illis cognitis, ad remedia comparanda ſe accingat.

Lib. de reb. non natur. cap. 9.

3. Aphor.

Ex hiſce concludimus morbos Aſtrales variè accipi poſſe: vel quatenus originem ducunt ex ſpirituoſis ſubſtantiis in corpore latentibus, qualitatibus occultis ſtipatis: quæ quia non ſunt purè elementares, ſed cœleſtibus qualitatibus Analogæ, non abs re Aſtrales nominantur.

Secundo diuinum id in morbis, quod à cœleſtibus influentiis cauſatur, non prorſus reiicimus, vt cõtingit in quodam peſtis, & malignorum affectuum conflictu, quorum ſeminaria ex cœlorum influxu per aërem diſperguntur: dicimus tamen, quia hæc aëris conſtitutio iunctum habet ventorum concurſum, & qualitatum vulgarium alterationem, potiùs huic notiori aëris diſpoſitioni eſſe incumbendum, quàm cauſam occultam, & à ſenſibus noſtris remotam inueſtigando operam perdere.

De cauſis morborum, & vtrum humores ſint cauſæ morborum ex Chymicorum & Dogmaticorum ſententia.

CAPVT VI.

1. *Quæ ſint cauſæ morborum iuxta Dogmaticos.*

HActenvs primas & generales morborũ differentias expoſuimus; ſequitur vt eorumdem cauſas explicemus. Omnia autem fiunt ex materia per formam, ab efficiente ob aliquem finem: itaque quatuor cauſarum genera Phyſici conſtituerunt; ſubiectum in quo morbus exiſtit habet locum materiæ, nam materia quæ committit morbum, vt humor morbificus, habet rationem efficientis: definitio morbi eſt illius forma, finis nullus; non

non enim morbus causam finalem habet, vt cœtera quæ in imperfectione posita sunt, vel certè per accidens tantum sequitur actionum læsio, vel quid aliud pr.nat.superest igitur efficiens morborum causa, quæ non solùm dicitur principium per se à quo primò est, aut fit mutatio, vt apud Philosophos, sed latiori significato quæ quocumque modo aliquid ad generationẽ morbi confert, siue suapte naturâ, primò principaliter & per se, siue per accidens, secundariò, mediatè, & coadiuuando illud tantum præstet. Quærit enim Medicus causas efficientes cuiuscumque generis, quæ gignunt, augent, conseruant, aut alio modo concurrunt.

Causa morbi agere tunc dicitur, quum accedente debitâ patientis præparatione, illius robore, vtriusque applicatione, & temporis mora conueniente mutationem quandam in corpus inducit: quæ si insitâ vi, solaque id faciat, principalis causa dicitur; causa verò adiutrix concausa, & συναιτία appellatur: alia est causa sine qua non, quæ nihil perfectionis addit rei quæ fit, ab illis tamen quæ conferunt seiungi non potest. Exempli gratia Aquilonia cœli constitutio destillationem, vt causa principalis efficit; humoris tenuitas adiuuat ad agendum; viarum laxitas, & partium imbecillitas est causa sine qua destillatio in partem imbecillam nõ conflueret. Cœterum ex Physica oportet Medicum hùc appellare sex modos causarum: per se, per accidens, actu potentia, priùs posterius, vniuersale singulare, solum coniunctum, proximum & remotum.

Notandum est insuper causam efficiẽtem morbificam habere perpetuam relationem cum effectu quẽ præstat: cúmque sit accidentarij effectus causa, illius etiam actio pendet ab aliquo accidenti, cuius vi talis effectus producitur, nẽpe qualitas: neque enim humor verbi gratia febrem facit quatenus est quædam substantia, sed accedente qualitate, vt putredine, vstione, &c. Neque etiam quantitas, situs, aut similia immediatè morbum parere possunt, sed propter cõnatam aliquam qualitatem, vt pressionem, distentionem, obstructionem & similia; ad quam omnes causæ morbificæ saltem coniunctę & proximæ reduci debent.

Sciendum etiam est, quod inter omnes causas quæ corpus afficiunt, & immutant: vel intra corpus collocantur, vel forinsecùs adueniunt. Ideo fit vt communis & magis vsitata causarum diuisio apud medicos habeatur in externas & internas; illa euidens est & præincipiens, seu primitiua nominatur, Græcis προκαταρκτική & προφάσεις. Externarum autem ordine continentur, siue quod à rebus foris prouenientibus oriantur, vt aëre, cibo, potu, motu, quiete, & vulnerantibus: siue ab anima quæ diuersa est à corpore, vt irâ, mœrore, reliquisque animi passionibus: siue quòd sint euidentes verbi grat. somnus, vigiliæ, exerecta, & retenta; & quasi exterius positæ sensu ipso absque vllo discursu percipiantur: cùm reliquæ interiores abditæ sint, & magis obscuræ. Galen. causas procatarcticas recentes & simul euidentes ad quatuor genera reducit; ad ea quæ assumuntur, geruntur, educuntur retinentur ve; & foris adhibentur. Eorum quę assumuntur nomine comprehendimus cibum & potum, & medica- *1. de tuẽd. sanit. in fine.*

menta exhibita. Eorum verò quæ geruntur numero adſcribimus, tum animi, tum corporis motum, & quieté, ſomnum,& vigiliam,animi pathemata. Quæ educuntur, excrementa, humores reiectos, complectuntur. Eorumdem omnium cum retinentur oppoſita eſt ratio, ſub vno tamen genere compreheſa. Poſtremò ea enumerantur quæ extrinſecùs adhibentur, aut incidunt; continetque contundentia, vulnerantia; item quæ nos ambiunt aërem, balnea; aut quæ adhibentur Cataplaſmata,amuleta. Hæc omnia ſub cenſu cauſarum procatarcticarum reponuntur,quæ etiam ſine interuentu cauſæ internæ morbum producunt.

Altera cauſa morbifica Græcis προηγουμένη latinis præcedens, antecedens & interna,quod in animalis corpore conſiſtat, occulta & abdita à Celſo appellatur : atque huiuſce generis alia eſt quæ proximè morbum excitat, & coniuncta continenſque nominatur. : alia verò remotè, & interueniente alia alteratione influit; cauſa antecedens & præcedens dicta.

Lib. de natura human. Hippocr. omnem cauſam morbi internam ad quatuor humores in nobis contentos referre videtur: corpus,inquit, hominis continet in ſe ſanguinem, pituitam & bilem vtramque, propter iſta ægrotat, & ſanum eſt. Ægrotat quidem cum horum aliquid in quantitate,qualitate aut motu deceſſerit. Recentiores verò, ſpiritus, excrementorum vapores & flatus,pus,calculum,arenulas, lumbricos, aut quæcumque contentorum nomine ſignificat Hippocr. interiores cauſas appellant. Quod ſi alibi duos tantum humores morborum cauſas conſti- *Lib. de morbis.* tuerit, bilem ſcilicet & pituitam, quando in corpore nimium exſiccantur, aut humectantur, incaleſcunt aut refrigerantur; non omnes ſed præcipuas morborum cauſas recenſet : & ſub bile tum atram, tum flauam complectitur. Sanguis verò aut nunquam pr. nat. eſt, aut cum corrumpitur in alios ſuccos commutatur;ideo hîc illum omiſiſſe cenſemus. Quantum ad locum Hippocr. vbi ait, flatus quos ſpiritus nominare ſubintelligit, morborum omnimodas cauſas exiſtere : *Lib. de flatib.* cœtera verò omnia quæ cauſæ videri poſſunt, vel hos adiuuare, vel poſt hos conſequenter in corporibus morbos generare. Conſtat ſatis generalem tantum cauſam,& quaſi primariam illîc inquirere, quæ omnibus reliquis quaſi particularibus motum præſtet ; vt enim ſpiritus nomine flatus ab Hippoc. deſignatus,eſt organum omnium actionum naturalium : ita etiam cum malè habet,læſionis earumdem eſt cauſa. Sed hoc decretum non derogat vim cauſæ efficientis, humoribus quatuor,quorum impetus beneficio ſpirituum variè gubernatur.

Humores ergo prædicti morborum ſunt cauſæ,cum quantitate vel qualitate peccant. Quantitatis vitia ſunt exuperantia & penuria : ad penuriam ſeu munitionem pertinent omnes immodicæ euacuationes, tam vtilium vt ſanguinis, & ſeminis, ac ſpirituum, quam inutilium excrementorum: vtilia vacuãtur vehementi motu diſſipatis ſpiritibus, ſanguinis aut ſeminis immoderato profluuio, inediâ longiore;illa enim ſanguini materiam ſubtrahunt. Inutilia verò, diarrhœâ longâ, & pure confertim educto. Ad repletionem pertinent quæcunque

que primâ, secunda aut tertia regione corporis contra naturæ leges continentur. In prima regione subest cruditas à crapula helluonibus familiaris, qui vitum, clystere aut ecoprotico depleti, ab eminente morbi periculo liberantur; ita à saburra, quâ mesenterium, quin abdomen totum sæpissimè oppletur, infiniti morbi emergunt, iique longi & difficiles, quorum causa à medicis hæc imputatur: venæ mesenterij cùm sint exiguæ, quas crudus Chylus liberè permeare non potest, inde obstructio innumerabilium morborum parens.

Secunda regio venoso genere circunscribitur; humores autem quatuor qui continentur in venis, vel peccant quantitate, vel qualitate: si omnes peræquè exuperent, seruatâ tamen eâ proportione vt plurimum sit sanguinis, deinde pituitæ, minimum bilis, plethora nuncupatur, omnium humorum æqualis redundantia: si vnicus vt pituita, vel alterutra bilis exuperet, aut tota massa, manente iustâ quantitate, solius qualitatis vitium contraxerit, incaluerit, si placet, hoc vitium cacochymia nuncupatur: vitiosi alicuius humoris redundantia in venoso genere; qui permistus sanguini efficit, vt non amplius simpliciter sanguis appelletur; sed cum adiuncto pituitosus, biliosus, aut melancholicus.

Plethora est duplex, vna ad vasa, altera ad vires; illa dicitur, quando sanguinis copiâ vsque adeo tumét, & distenduntur venæ, vt immineat periculum rupturæ. Ad vires autem quando maior est copia sanguinis, quàm vires ferre possunt, vnde grauatur velut pondere vis sensitiua & motrix; ita vt partes ad motum non sint promptæ. Dicitur ergo hæc plenitudo ad vires, factâ comparatione cum facultate sensibili & motrice. Differentias reliquas, tum causas & signa plenitudinis alibi reperies.

Cacochymia pro dominatu humoris distingui potest in biliosam, pituitosam, & melancholicam: biliosa dicitur cùm bilis redundat, pituitosa cùm pituita, melancholica cùm melancholia prædominatur. In morborum quoque causis interioribus habentur ea quæ tertiâ regione corporis, nempe toto habitu pr. nat. continentur, vt obstructiones, calculi, humores qui de venis in partem aliquam internam, vel externam, aut in capacitatem quandam effusi morbos efficiant: vt tumores contra naturam; hoc vitium cacochymiam particularem vocare possis, vt eam quæ est in venis generalem: hanc antecedentem, illam coniunctam causam morbi. Fac phlegmone aut erysipelate tentari partem aliquam interiorem, vt pulmonem, ventriculum: aut exteriorem vt brachium, femur: humor impactus parti est coniuncta causa morbi; qui continetur venis, primúmque efficit & fouet morbum, antecedens. Omnes istæ causæ vno repletionis nomine comprehenduntur; proinde morborum causæ quædam sunt replentes, vt plethora, cacochymia, quædam inanientes vt inedia & immodica effluuia, quędam corrumpentes, vt venenatorum animalium morsus, quædam simpliciter alterantes, vt calor, & frigus externum. Inanientes & replentes causæ ad materiales & humorales morbos pertinent; alterantes & corrumpentes ad immateriales, spiritales, & ad nudam intéperié.

2. *Ostenditur contra Hermeticos humores esse morborum causas.*

Quæstio nunc est proponenda, an humores sint causæ morborum, an verò aliunde causæ illorum desumantur. Nam Paracelsus morborum omnium causas ab astris prouenire putat: aliàs morbos oriri ex quatuor principiis asserit. Primum est sulphuris inflammatio: secundum est Mercurij resolutio: tertium est salis alteratio: postremum verò tartari generatio. Petrus Seuerinus fatuitatem se mirari eorum scripsit, qui phantasticos illos humores, sanguinem, bilem, pituitam, melancholiam, communem morborum causam statuunt. Suntque quamplures alij, qui contra vulgarem doctrinam, potiùs ex mineralibus, sulphure, Mercurio, & sale, quam ex quatuor humoribus morbos oriri docent, quorum decreta supra examinauimus, & refutauimus. Hoc in loco nonnulla pro ampliori quæstionis decisione relaturi.

2.1. & 3. paramiron.

in idea Med c. 12

Cap. 2. huiusce sectio.

Chymici ergo, & Paracelsistæ, qui potiùs Hermetici, ob nominis à Trimegisto Mercurio deducti nobilitatem, vocari volunt, reiectis humorum nominibus, mineralium nomine ineptè vtuntur. Non enim licet verba, & voces innouare contra vsum veteris doctrinæ. Hoc enim confusionem parit, terucinos ad Alchymiam, & metallurgiam pertinentes, velle ad Medicinam transferre.

Quod autem humores sint causa morborum constat: cùm id, quo tangente afficimur, & quo separato statim cessat affectus, causam esse apud omnes in confesso sit. Seu cùm id, quo præsente fiunt, quo absente tolluntur morbi, causa eorum merito statuatur: videamus autem humoribus vitiosis presẽtibus morbos causari, atque iisdem euacuatis illos euanescere: nihil obstat quominùs humores pro veris morborum causis agnoscere debeamus: potiùs quàm causis illorum, nomina à mineralibus remotiùs petita imponere, & id quod in febribus vomitu reiicitur, nitro-sulphur, non bilem, vel pituitam appellare.

Galen. 1. de loc. affect.

Si igitur negatio sit causa negationis, erit quoque affirmatio affirmationis: atqui absentia humoris morbifici proueniens ex arte, vel à natura illum expellente, morbum tollit. Eiusdem ergo præsentia ad morbum faciendum influxit. Supponamus aliquo morbo à pituita ægrum detineri, quâ coctâ die critico cum ægri leuamine à natura excludatur; quis dubitet habitum ex priuatione concludere, qui absens tollit, præsens efficit. Sic sæpè contingit dato phlegmagogo, sublatâ causâ morbum depulsum fuisse, poteſtne dubitari, an morbus fuerit pituitosus?

Imprimis aduersarij nos inculpant, quod humoris nomine intelligatur quid aqueum, omni facultate destitutum. Quod non admittimus, neque solùm primis qualitatibus corpus nostrum afficere censemus: verùm iuxta varios sapores cùm excedunt, & ab aliorum mistione secernuntur, corporibus obsunt teste Hippocrate. Nec humores tantum nocent qualitate primâ, sed aciditate, amaritudine, aut salsedine, & similibus: ad quos sapores exprimendos, non est vtendum nominibus mineralium. sed potiùs humorum, vt fecit Hippocrates, sub

Lib. de prisc. medic.

nomine

nomine acidi comprehendens melancholicos, amari biliofos, dulcis fanguineos, infipidi pituitofos. Nõ quemadmodum Paracelfiftæ volũt, amaros fuccos effe nitrofos & fulphureos, fubacidos aluminofos, vel vitriolatos.

Quod fi probant videlicet fuccos minerales fieri morborum caufas, quę ab alimentis potiffimum emanant, alimenta verò ex plantis & animalibus defumuntur, plantæ fuũ nutrimentum ex terra proliciunt; ex qua deinceps fuccos minerales in ea contentos exfugunt. Vt enim vegetatiuum ab animali affumptum, variâ concoctione in fenfitiuum cõmutatur, vt videre eft in pane & vino, quæ in fanguinem conuertuntur, fanguis verò in femen ex quo generatur homo: haud fecùs mineralis liquor, radicibus plantarum & vegetabilium exceptus, & abforptus vegetabilis redditur, qui tandem in hominem tranfit. Ita vt pro ratione liquoris, fulphuris, & falis mineralis, vel morbi mercuriales, fulphurei, vel falini efflorefcant. Atque fic in homine videre licet fales faccharinos nutrientes, fales nitrofos, amaros, acutos, purgantes ac mundificantes; alios marinos inftar balfami conferuantes; alios gemmeos, alios denique vitriolatos, acidos, efurinos appetitum & concoctionẽ excitãtes.

In eodem corpore variæ liquorũ fpecies comperiri dicuntur ab aduerfariis: quorum alij dulces funt: alij amari, falfi, adftringentes, põtici, acidi, & id genus alij: reperiuntur porrò tot bituminum, naphtarum, pinguedinum, refinarum, gummi, atque id genus aliorum fulphurum, aut falium: ex quibus alia odorifera, fragrantia, & recreãtia funt fulphura: alia fœtida & inficientia: alia papauerina, ac foporifera, alia anodina, ac lenientia; alia feptica & arfenicalia, ac peftifera, alia vitalia, & falutaria. Quæ tamen non ita recipienda cenfemus, vt fusè in præcedentibus demonftrauimus; *Sect. 1. c. 6. §. 3. obiec. 2.* plantas nimirùm è mineralibus non fufcipere alimoniã, & proinde fpiritus illos minerales, fuas vires humoribus alimentariis nõ cõferre, vt *Sect. 2. c. 5 §. 1.* inde aliquid recipiant, quod illorũ naturam repræfentet: & ideo malè humores nomine mineralium appellari. Nonne Hippocr. hoc innuit dicens: Quæcunque hominem malè *Lib. de prifca Medic.* afficiunt, ea omnia ex fuccorum potentiis proficifcuntur. Vbi meminit biliofi humoris acuti, acris, & æruginofi magno impetu fæuiẽtis: qui fucci cum à reliquorum mixtione fecernuntur, in extremos & excedentes degenerant. Vocat autem Hippocr. facultates & vires humorum extremas, τὰς ἀκρότητας καὶ ἰσχῦς; quod fi humores, & potiffimum fecreti corpus alterent, vt probatur ab affumptis alimentis, quæ ita funt inepta, intemperata, & fortia, vt maxima ex parte priftinam naturam retineant, quæ multiplex eft vel calida & acerba, vel calida & infipida, vel frigida fimul & acerba; & corpori nocet propter dictas qualitates & fapores in corpore cõgenitos. Ex quibu conftat nõ produci fales, aut liquores iam dictos ex fententia Hermeticorum; fed varios fuccos, & humores fuis faporibus donatos, corpora multifariam afficientes & alterantes: & proinde ad mineralium nomina non erat confugiendum. Quod fi aliquando Galen. atque alij Medici nominent humores falfos, nitrofos, æruginofos, denominatione à mineralibus fumptâ: illud potius dicitur ἀναλογικῶς,

κῶς, ob ſimilitudinem quam habent cum illis:quàm vt reuera in illis humoribus mineralia reperiantur, vt ſupra probatum eſt.

Sect.1. c.9.§.9.

3. *An tartarum ſit cauſa morborum.*

Verumtamen ſi res ipſas attentiùs conſideremus, conqueruntur Chymici & Paracelſiſtæ, quòd ignorauerimus hucvſq; cauſas morborum. Hinc Crollius aſſerit, cum olim morbi ad quatuor humores referrentur, ij non potuerunt curari, quorum cauſa fuit tartarus alicui membro inhærens, qui ad nullum ex illis quatuor poteſt referri. Hîc duo falſa proponunt Paracelſi ſectatores; primum tartarum eſſe cauſam omnium morborum:ſecũdum,ad nullum ex quatuor humoribus reduci. Sed vt ſupra demonſtrauimus,cùm Chymici negẽt humores,in eos etiam impingunt,nomina tantum immutando. Neque nos negamus tartarum mucilaginoſum,& viſcidum ſuccum ex fæculentis humoribus,pituita,& melancholia progenitum; neque humorem ſeroſum ſalſum, qui vrinæ materia exiſtit,in venis, & corpore reperiri inficiamur. Quinimò in humoribus,vt & in corporis partibus tres ſubſtantias obſeruamus, duas ſcilicet humiditates, vnam aqueam,alteram oleagineam, tertiã ſolidam & terreſtrem, quam Chymici ſalinam vocant; quæ diuerſi ſunt generis,& varios obtinent ſapores,odores,& colores.Nam vnde prodeunt ſapores tam varij ad fauces eleuati, etiamſi cibos non hauſerimus, qui tales exprimere & repræſentare ſenſui queant; niſi ex ſpiritibus & vaporibus, qui ex iſtis ſecretis ſubſtantiis emergunt. Verum Hermetici & Chymici in hoc falluntur,quod vt exprimant ſapores humorum, vtuntur nominibus rerum externarum, vtpote mineralium,& ſimilium:cùm tamen Hippocr. nomine generali vſus fuerit; ſub nomine acidi melancholicos, amari bilioſos, dulcis ſanguineos, inſipidi pituitoſos comprehenderit.

In præfat. baſil. Chymi.

Quare concludimus contra Paracelſum,& Crollium, non eſſe tribuendas ſoli tartaro morborũ cauſas: ſed potius quatuor humoribus diſtinctis, ad quos, & ad craſſos, viſcidóſque potiſſimum tartarum reuocatur. Nónne cum Hermeticis conuenimus, tartarum eſſe excrementum cibi & potus,quod vi propriâ expulſiuâ immiſcetur excrementis,& ſimul egeritur. Quòd ſi alioquin non immiſceatur, ſed in corpore ſubſiſtat, hinc varia prodeunt mala, pro multiplici tartari differentia;vnde calculus,ſeu lapillus veſicæ,bolus,& viſcus,ſeu quid ſtomachi lutoſum, denique varij morbi veteribus incogniti, ex aëre infecto, à vaporibus terræ & aquæ, vt in pleuritide, peſte, prunella, aliiſque pernicioſis acutiſque morbis contingit.

Verùm modus coagulationis illius tartari alio modo non tamen abſ[illegible]no ab illis explicatur; ſcilicet vt per ſpiritum ſalis coaguletur. Certè Galeniſtæ ad calorem immodicum partes tenuiores reſoluentem, illam coagulationem calculi, & tophorum in articulis vulgò reuocant; ſed hoc certè non ſufficit, niſi iungatur illa materiæ tartareæ diſpoſitio, quam ſuccum lapideſcentem Fallopius,& Mathiolus appellant,ſeu materiam coagulationi naturâ ſuâ aptam. Fernelius vocat arenoſam.

Lib.6. Path. cap.12. Prax. tract. 2. de dolor. cap.12.

arenosam, calculosamque renum constitutionem. Platerus serosam salsam humiditatem, quæ facit vt materia illa tartarea, à sanguine secreta in sero delitescens, & propterea ad concretionem in renibus & vesica aptior, principium concretionis nanciscatur. Ita videmus si vrinæ ex salso & nitr so humore constantes, limosam ac lutosam materiam circumuehentes, in matulis asseruentur, obseruamus sabulosam materiam illis adhærescere, ac si diutius ibi morentur, in lapideam quandam materiam concrescere, non dissimilem illi, quæ in reiectis calculis animaduertitur. Cur ergo nō eodem modo in corporibus animalium calculos generari credamus, quo extra corpus nostrū frequentissimè produci cernimus, & in thermarum canalibus tophos accrescere; tum in mōtium concauitatibus, in quibus aquæ præterfluunt, columnas lapideas prægrandes concrescere; corallum lapidescere, non ex aëris frigiditate, sed ex interna concretionis, & duritiei ipsius causa. Vanhelmont demonstrat petras generari à semine suo proprio, alióque etiam petrificatiuo constare. Hinc vult petras non conflari ex tartaro coagulabili, contra Paracelsum, sed ex proprio semine surgere, quod natum est, etiam ex materia non disposita ad petram, petrificare quidlibet. Dicit tamen quotquot res petrificantur, odore loci transmutari: non autem quod petra de se instar generantis semen edat. Etenim à fundi fracedine, oborto semine petrifico, conchylia, crustâ lapideâ loricantur: quorum semen non tam sexuali coniugio, quàm per ipsam fundi fracedinem, propagatur, & conchis ideò foris adnascitur posterius. Verum quidem est vim petrificam, seu spiritum lapidescentem, non semper ex proprio semine, sed ex causa extrinseca, vim talem continente prodire. Sed hoc non obstat, quominus spiritus lapidificus in materia disposita, seu succo lapidescente, suæ speciei lapidem producat; quia in hac materiali causa, v.gr. quibusdam cibis & aquis, insuper concurrit spiritus lapidificus illis insitus, qui seminis instar, lapidis formam inducit.

4. *Neque sales in morborum causis annumerari, aduersus Paracelsum, & Dariotum.*

Paracelsus, cuius sectam Dariotus amplexus est, existimat sales minerales corpori inesse; quia illa quæ in eo reperiuntur, salium illorum proprietates retinent. Et sicut Medici nomina morbis imposuerunt, quæ desumuntur ex similitudine quàm habent cum pelle animalium, aut ab aliquo affectu ipsis familiari: sic meritò licebit tribuere substantiis quæ morbos producunt, nomina eorum quæ pares vires cum illis obtinent; quum tale nomen morbi proprietatem meliùs insinuet. Nam quemadmodum salia metallica varias habent dotes: ita salia animalis, illis quoad vires similia, corpus variè afficiunt: veluti vitriolum minerale sulphur habet narcoticum, ideóque rodit absque dolore: sic corporis vitriolum indolenter exulcerat, quia stupefacit. Arsenicum habet sal corrosiuū, & proinde vlcera dolorifica parit.

In discursu gallico de Arthritide.

Alumen ſoluit continuum cũ pruritu, vt faciunt quæ ſeruant naturam vrticæ, titimalorum: exinde variæ differentię vlcerum, & dolorum prodeunt. Quare Dariotus infert non eſſe hæc nomina reiicienda, cum non obſint, aut impediant curationem, imò remedium clariùs commonſtrent. Quando enim fit mentio vlceris Arſenicalis, illud ſubindicat, extrahendam eſſe calcinationis beneficio partem Arſenici dulcem, ad abigendam eroſionem, & ſedandum dolorem productum à ſale Arſenicali corporis, aut ab illa ſubſtantia quæ hanc proprietatem obtinet, ea ſcilicet quæ producit cancrum, & noli me tangere. Si ęger vomitu reiecerit humores acidos vt vitriolum, aut acidos & acerbos vt alumen, aut amaros & acerbos veluti cuprum: hoc nobis ſignificat quærendas eſſe partes dulciores vitrioli, aluminis, & cupri; atque ita ſalia requiruntur ad curanda ſalia, quod eſt ſimile ſimili curare. Nec proinde lex Hippocratis infringitur, quia applicamus dulce contra amarum & auſterum, lenitiuum aduerſus corroſiuum, & ſic de cœteris. Quam doctrinam ex Paracelſi fontibus exhauſit.

Tract. de magna Chyr Sect 1. cap. 9 de humor. § 9.

Ad hãc Darioti ratiocinationem reſpondemus iuxta dogmata à nobis ante expoſita: quum docent Hermetici ſalis ſubſtantiam actu humoribus ineſſe, à veritate penitus aberrare: humores ſiquidem varias ſubeũt in corpore mutationes, cum per ampliorem aduſtionem à calore pr. nat. factam alterantur, & in ſuccos acriores degenerant. Humor namque bilioſus & amarus, ſi alicubi in corpore conſiſtens exſiccetur à calore pr. nat. aucto, tum proculdubiò, partibus humidioribus, quibus antea diluebatur, eiuſque acrimonia nonnihil temperabatur, abſumptis, ipſe longe acrior, & corpori nocentior euadit; vnde fit porracea, vel æruginoſa bilis: taleſque humoris mutationes in pluribus morbis contingunt, vt in vlceribus erodentibus, & cancroſis. Sic etiam in reliquis humoribus excrementitiis, nemo ſales actu cõtineri iudicabit, niſi aliquandò de potentia in actum, vi caloris excedentis fuerint educti: vnde ſalſi ſapores generantur in pituita ſalſa, acidi & acres in melancholia; non quòd reuera ſal in illis præextitiſſet, ſed quia aquea horum humorum portio, cum non exquiſitè ſimplex ſit, partes quaſdam terrenas permiſtas obtinens, à calore vrente ſalſum ſaporem acquirit, aliquando cum acido & acri coniunctum, pro natura & conditione humoris talem mutationem ſubeuntis. Procul hinc ergo nomina aluminis, vitrioli, arſenici in corpore exiſtentis, quibus vtuntur noſtri aduerſarij; ad euertenda noſtræ artis principia; quæ non proinde meliùs naturam, aut curationem morbi repræſentant. Quis enim vlcus indolens ſalem vitrioli ſtupefactiuum vocauerit; cùm ipſa ſtupefactio ab aliis longè differentibus cauſis proueniat, quàm à ſulphure narcotico, quod iſti imaginantur. Relinquamus ergo illas ineptias potius ad artis confuſionem, quàm claritatem à Paracelſiſtis excogitatas, vt medicinæ Hippocraticæ ſplendorem obtenebrarent. Quantum ad indicationem illam curatoriam ſimilis remedij, ſequenti ſectione examinabitur.

5. *De humorum differentiis.*

Notandum est circa humórum morbos causantium differentias, apud Galeni,& Auicennæ in erpretes,non paucas difficultates occurrere, cum res diuersæ planè cōfundantur, humoréſque toto genere differentes ad idem genus referantur. Qua in re aliquid prorſus in vulgari doctrina deſiderari videtur: vnum enim nomen pluribus humoribus, quorum eſſentia eſt diuerſa conceditur. Deſcribitur vulgò phlegma, quod ſit humor frigidus,colore albus,humidus;cùm tamen humor ſalſus calidus & ſiccus, phlegma appelletur. Ita bilis nomen diuerſis humoribus inditur,nempè bili æruginoſæ, quæ diuerſæ eſt naturæ à bile flaua:aliique obſeruantur humores, flauæ bilis colorem referentes, qui nullū amarorem habent. Viditque Sennertus flauos & planè croceos humores vomitu reiectos, non amaros, ſed potius lactis,imò glycyrrhizæ dulcedinem æmulantes, vt ægri affirmarunt. Quem humorem,ſeu potius excrementum crudum,ad ventriculi cruditatem potiùs referendum putamus, quam ſtatuatur humoris ſpecies: & ideo dulcedinem præ ſe fert, quia fit ex Chylo crudo;éſtque flaui coloris, quia in vētriculo ex cibis tali colore præditis producitur. Ita ſub melancholiæ nomine comprehēditur primò humor frigidus & ſiccus: deinde atra bilis humor calidus & ſiccus erodendi vi præditus,atque is nō vnius generis:humor equidem qui cancri cauſa eſt, à ſanguinis fæce quæ propriè melancholia nominatur, non minùs differt, quam bilis in veſicula fellis, ab eodem,vel à pituita. Atque ita multa ſub genere bilis,aut melancholiæ, vel pituitæ vulgò referuntur,quæ nec bilis,nec melancholiæ naturam redolent:& ſic diuerſa genera ſub eadem ſpecie collocantur.

Lib. 2. inſtit. part. 2. cap. 8.

Ideoque vt hanc confuſionem vitemus,proponenda eſt humorum excrementitiorum diſtinctio,in naturales & præternaturales: illi ſunt in corpore naturaliter ſe habente geniti, qualis eſt bilis flaua, fæx ſanguinis ad lienem reiecta, quæ melancholia appellatur,& vrina ad renes, pituita ad inteſtina & iuncturas:naturales ergo hi humores, ſunt corpora miſta,homini propria, quæ meritò etiam ſuis nominibus ſimpliciter nuncupanda;ſicut & sāguis ſuo nomine appellatus. Humores verò præternaturales nominibus à principiis Chymicis petitis nominari non poſſe videntur:licet enim humores illi excrementitij corruptione in varias qualitates degenerent; vt in vno humores amari, quos nitro-ſulphureos vocant:in alio acidi, vitriolati à Chymicis nuncupati augeantur, quem exceſſum Hippocr. τῶν χυμῶν ἀκρότητας ſuccorum extremitates, & exceſſus appellat. Qua in re inueſtigare decet,quodnam primum amari,quod acidi, quod aliorum ſaporum ſubiectum ſit: & reuocatis ad ſua certa & definita principia ſingulis cauſis;illis deinceps commodiùs obuiam iri poſſit. Et cùm ſapores prodeant ex ſeminario materiæ modum varium conſiſtentiæ habentis, à qualitatibus primis diuersè affectum, & non ex ſalibus emanent, vt ſuo loco probauimus. Commodiſſimè hic facerent Medici,ſi Hippocratem imitati, diuer- *Sect. 5. c. 3. § 6. Lib. de priſca Medic.*

ſos humores, iuxta varios ſapores diuerſis nominibus deſignarent: atque alios inſipidos, alios ſalſos, alios amaros, alios acidos, alios acerbos, alios dulces, diſtinctè nominarent, potius quàm & tot diuerſis rebus, & totâ eſſentiâ differentibus idem nomen tribuerent. Quare humores pr. nat. vario modo in corpore geniti cum reliquis non confundantur, ſed generationis modus, locus, cauſa, & qualitatum illarum δυνάμεων Hippocraticarum exceſſus attendatur, & quantum fieri poteſt cuiuſque natura determinetur, & ab aliis diſtinguatur, & ad ſui generis claſſem referatur, vt determinatum remedium ei opponi poſſit. Alia eſt enim curādi ratio, ſi chylus in ventriculo in humorem flauum vel viridem degeneret; quod ſæpè in infantibus ex lacte corrupto accidit: alia ſi talis in hepate generetur: & longè alia curatio requiritur, ſi quis ab animali venenato morſus, toto corpore auriginoſus fiat: alia ſi à bile flaua. Eadem ratio eſt in humoribus ſalſis, acidis, amaris, æruginoſis, porraceis; quorum ſuccorum natura, tum ex ſaporibus, tum ex coloribus, tum ex aliis generationis cauſis in pathologicis indagatur.

Hinc non dico abrogandum eſſe quaternarium humorum naturaliū numerum: ſed dum diuidendi erūt excrementitij ſucci non naturales, ſic agendum vt iuxta varios reſpectus, in ſuas differentias diſpertiantur. verbi grat. pituita ratione ſaporis alia eſt inſipida, alia dulcis, alia ſalſa, alia acida; reſpectu conſiſtentiæ, alia eſt tenuis & ſeroſa, alia craſſa, alia vitrea, alia gypſea, alia grandinoſa.

Bilis alia flaua, alia vitellina, alia porracea, æruginoſa, cœrulea, ſeu glaſtea, alia rubra. Ratione ſaporis nunquam dulcis eſt; quod ſi recrementum dulce, & flauum appareat, ſanè ad alium humorem quàm ad bilem reducitur, ſed potius ad ventriculi crudum excrementum tali colore tinctum, vt dictum eſt. Bilis atra ratione conſiſtentiæ, alia eſt fæculenta & craſſa, alia aquea, ſed ichore melancholico perfuſa. Ratione ſaporis, alia, acida, acerba, acris: quæ vt diſtinguatur à pituita acida, adiungenda ſunt ſigna humorum diſtinctiua. Ratione coloris, alia eſt nigra, alia coloris caſtanei, vel ferruginei. Ratione materiæ, alia eſt ſanguis, qui multum habet fæcis: alia eſt bilis flaua, quæ per feruefactionem multam reſidentiam ſubſidere facit; vnde bilioſi euadunt melancholici: alia eſt, naturalis melancholia quæ per vlteriorem putredinem, acrimoniam & malignitatem acquirit: alia eſt pituita ſalſa, ex ſententia Arabum, in confinio atræ bilis poſita.

De

De signis morborum, tam ex Hermeticorum, quam Dogmaticorum doctrina.

CAPVT VI.

1. Anatomiam ossatam morbos nõ demonstrare, contra Paracelsistas.

HERMETICI Paracelsi doctrinam insequẽtes, & Chaldæorum Astrologiam, ac Zoroastris magiam ad Medicinam transferentes, asserunt cognitâ parte affectâ ex anatomia ossentificata, statim cognosci morbum, & remedium. In homine considerant septem membra principalia iuxta planetarum numerum, & cœlestia terrenis commiscentes, magnum mundum in paruo statuunt, pro ordine syderum errantium: censentque cor, hepar, cerebrum, pulmonem, splenem, fel, renes, in cœlo planetis respondere: Soli scilicet, Ioui, Lunæ, Mercurio, Saturno, Marti, Veneri; ita vt hęc reciprocent, nominaque sibi mutuo largiantur. Vt sit cor vegetabile, cor minerale, cor cœleste: ibi vinum, hic aurum, in cœlo sol; & postea sol vegetabilis vini essentia, sol mineralis metallicus, auri natura quinta, & sic in cœteris. Microcosmi namque membra, macrocosmi membris correspondere dicunt: ex qua analogia & concatenatione rerum inferiorum cum superioribus, quemlibet morbum facilè deprehendunt, ipsiusque Medicinam. Hinc humanam anatomiam considerant, tum physiognomiam, & chyromantiam obseruant: quæ signa docent & notas congruentiarum. Exinde Crollius ait, cognito externo mundo cognoscit Philosophus Medicus hominis corpus physicum à terra nutrimentum capiens, & sydereum à firmamento victitans; nempe corpus physicum nil aliud esse, quàm sulphur, sal, & Mercurium: & videt crescentia non ex quatuor corporibus visibilibus, nec humoribus quatuor, sed ex semine oriri inuisibili, sicuti herba aut arbor è semine crescit. Non anatomia localis microcosmi & cadauerum, sed anatomia ossata & elementata mundi & microcosmi ostendit morbos & recepta: membra magni mundi sunt remedia membrorum microcosmi, concordando externam, & internam anatomiam, non gradus contra gradus. Externum ducit ad internum: sicuti est in magno mundo, sic etiam in paruo. Morbis magni mũdi cognitis, non sunt morbi microcosmi incogniti: quot species mineralium in mundo, tot etiam in homine. Tot enim genera morborum, quot species, corpora, & semina crescentium, numerus morborum nõ scitur, nisi quis sciat numerum omnium crescentium. Atque hæc doctrina Crollij & Paracelsistarum, supra fuit funditùs euersa.

Præfat. basilica Chym. sec. 1.

sect. 1. c. 4. §. 5. & c. 11 §. 2.

Sunt enim multò plures morbi in corporis partibus, per diuersa signa artificiosè distincti: vnde plura in dicantur remedia ex naturæ re-

conditis thesauris. Nam vt de corde loquamur; statimne morbus, vnáque remedium dat se in conspectum? præterea licet cor comparetur soli,& auro solis nomen inditum sit,qui maximè igneus ac lucidissimus planeta est,nec non omnibus rebus vitam,calore ac spiritibus suis impertiens: annon proinde illo anatomia assata mundi, & microcosmi ostendit morbos & remedia? affecto verbi grat. corde statimne aurum, quod est cor minerale exhibendum indicatur. Obtinens vim balsami naturalis custodientis, & corroborantis innatum balsamum. Hæc offertur vniuersalis Medicina à Seuerino iuxta mentem Raymundi Sullij, & Paracelsi: sed aduertant quæso, vt sæpè monuimus,hanc anatomiam nō ita accipi, vt realis & vniuoca astri natura in cor animale deuoluatur, aut mineralis essentia in cordis animalis natura reipsa contineatur. Aliud enim est communicare qualitatibus: aliud verò essentiam participare. Sol in cor hominis,& cor mineralium influit qualitate potiùs, quàm substantiâ. Cor minerale,seu aurum iuuat & recreat cor hominis,non transmutatione substantię, sed proprietate specifica. Quorsum ergo corporis membra planetarum, & metallorum nomine insigniuntur? cùm neque planetæ, nec metalla in homine reperiantur,nisi per mentalem analogiam, & qualitatum certam participationem :quod non satis est ad stabiliendam illam assatam anatomiam, quæ speciem morbi, eiusque remedium confestim insinuet.

In idea paracelsi.

Quantum spectat ad indicationem illam curatoriam vniuersalem, quæ respicit balsami naturalis in vnoquoque membro conseruationem: à Dogmaticis & Hippocr. conceditur, vt scilicet similia similibus conseruentur: sed quonam remedio?sanè spiritu auri, & tincturâ aliqua ætherea. Hoc opus hic labor est,& pauci quos æquus amauit Iupiter, aut ardens euexit ad æthera virtus, peruenere locum. Vt enim fatetur Crollius, labor Chymicorum in separanda essentia auri est ineptus, & humanæ naturæ inconducibilis. Insuper illa vniuersalis indicatio non potest semper radices ipsas morborum, vel seminales tincturas, vt ipsi sentiunt, tollere. Quare requiritur particularis curatio, quæ symptonata, paroxismos, dolores mitigat, causas summouet, & ad exaltationes,vt vocant,peruenire non permittit,excrementa euacuat, & debili naturæ robur addit. Quæ curatio perficitur purgantibus,concoquentibus,mitigantibus, anodinis, roborantibus, &c. Quod si ita sit, quorsum ab Hermeticorum scholis, dogma Hippocr. curationis affectuum per contraria expungitur; imò expressè recipitur, cùm prædicta opera non possint exerceri, absque ablatione causæ,& morbi per suum contrarium remedium. Cùm enim particularis curatio versetur in causarum quantitate peccantium dispositione, inanitione veluti contrario remedio perficitur,verbi grat. vomitione,catharsi,diaphoresi,&c. dolor mitigatione conquiescit.

His positis quorsum vnica erit morbi indicatio, cùm multi in vna parte obseruentur. Et vt exemplum de corde malè affecto persequamur: si vnica esset radix morbi, seu impuritas morbida in corde,vel ab ortu, hæreditatione parentum semine,

semine, vel postea alimentorum, vsu, & culpâ, siue externarum impressionum iniuriâ in humanam anatomiam insitarum: proculdubio corde quouis modo affecto, vnica esset indicatio curationis, ratione vnius spiritus vitæ, ab illa causa morbifica impediti & affecti. Cùm ergo plures sint causæ illum spiritum vitæ malè afficientes, plura debent enumerari signa, tam essentialia, quàm distinctiua, & consequenter multa indicantur præsidia. Malè ergo ab Hermeticis concluditur: vna est communis omnium hominum mumia, & spiritus vitæ. Ergo & vna potest esse Medicina; quia morbus in homine nihil aliud est ex illorum placitis, quàm affectio quâ mumiæ, seu vitæ spiritus functio impeditur. Contra verò cùm plures sint causæ quæ spiritum vitæ offendunt, & proinde quæ differentem curationem indicant, videlicet repletio, inanitio, putredo, obstructio, & similia. Ergo anatomia illa assentificata non potest ostendere morbum per sua signa, nisi differentia causarum describatur per regulas Dogmaticorum, vt deinceps diuersa remedia inuestigentur.

2. *De morborum signis.*

Lib. 1. de sign. med. cap. 5. Argenterius propriam cuiusque essentiam, ait, ostendere quæ qualisque res ipsa sit, sed si rei natura seipsam manifestaret, vt volunt etiam Hermetici, nullo opus esset signo. Meliùs Dogmatici signa considerant, quæ ad rei significatæ cognitionem nos manuducunt, & cum illa connexionem quandam habere debent, per quam cognoscimus hoc ab illo dimanare, vel necessariò, vnde *Lib 1. prognost.* τεκμήρια ex Hippocratis sententia, quæ ab aliis patognomonica dicuntur, propria & inseparabilia, affectum semper comitantia: alia vt plurimum, & frequenter affectus consequuntur; vnde signa tam συνεδρεύοντα, quàm ἐπιγενόμενα: illa vt plurimum concurrunt, & morbo assident: hæc autem accedunt per morbi decursum, ostenduntque morbi magnitudinem, morem, coctionem, cruditatem, salutem vel mortem, aut criseos differentiam.

Signum verò vel est causa illius rei quam significat, vel est effectus, vel aliquid quod fit ab eadem simul causa. Fieri enim potest vt causa alicuius rei pateat, cuius effectus nondum sint valde manifesti: vel contra latente causâ, effectus sunt manifestissimi: & sæpè etiam fieri potest, vt nec causæ, nec effectus sint iam manifesti, quàm aliquid tertium, quod dicebamus ab eadem causa cum iis proficisci. Vt vomitus significat dolorem renum in nephritide, quia & vomitus, & dolor habent eandem causam, nimirum calculum in renibus. Quod igitur illo modo non significat, pro vero signo medico non habetur, ad diagnosim partium affectarum, causarum morbificarum, vel affectuum præter nat.

Effectus est signum suæ causæ, ex sensibilibus enim intellectilia cognoscuntur: atqui symptoma est primus effectus morbi; cùm ipsum velut vmbra corpus consequatur: itaque discurrendum iuxta mentem Galeni & Dogmaticorum, per symptomatum genera, actionem læsam, excretorum retentorumque ametriam, & affectus simplices, seu qualitates mutatas; quorum ope deuenimus in speciei morbi cognitionem. Imprimis ab actione læsa: exempli

exempli gr. intemperies cerebri frigida & humida à veterno ostenditur; sopor enim actiones sensus lædit, potissimumque in pituitosis cerebri affectibus contingit, qui dictam intemperiem iunctam habent. Chymici hoc negant, qui agnoscunt huius causam sulphur narcoticum; quo quum abundet opium, ideò calidum esse coniiciũt potius quàm frigidum, ob partem illius oleosam ac sulphuream flammam concipientem. Sed quia effectus frigidissimos exerit, ideò causam illam affectum frigidum introduxisse credunt dogmatici.

Calida verò & sicca cerebri dispositio, aut acris euaporatio à vigilia significatur. Actiones verò læsæ sunt signa morborum, quatenus actiones quædam à temperie partis pendentes, potissimum illius vitium demonstrant: vt coctio læsa intemperiem ventriculi: aliæ verò dependent à conformatione, & vnitate, vt motrix læsa morbos conformationis denotat. Modus læsionis actionis, morbi speciem designat, vt corruptela ciborum ad nidorem, calidam intemperiem arguit: ad acorem frigidam ipsius ventriculi.

Dolor detegit causam simul, & speciem morbi, vt pruriens & mordax significat vlcus ab acri humore exortum. Dolor profundus, & qui circa vesperam exacerbatur, intemperiem denotat frigidam, præsertim pituitosam: inflammans calidam.

Ab excretis, si tussiendo excretus sit multus sanguis phtisis coniicitur, modo puris exscreatio subsequuta fuerit. Si loturæ carnium similis sanguis per sedem redditur, hepatis imbecillitas arguitur.

A corporis qualitatibus mutatis, genæ rubræ peripneumoniam indicant: color cutis citrinus vesiculæ felleæ obstructionem, & hepatis affectum demonstrat. Quid multa loci etiam affecti situs & natura morbum demonstrat, vt soli oculi suffusione tentantur. Reliqua fusè Galenus demonstrat. Hûc spectat consideratio iuuantium & lædentium, necnon similitudo cum aliis morbis vel Endemicis, vel Epidemicis. *Lib. 1. de loc. affec. cap. 5.*

3. *De signatura Physiognomonica.*

Alia pars simiotices Hermeticæ est signatura Physiognomica, & Chyromantica, quæ à natura corpori humano est impressa; vt quæ sint ab homine expetenda, fugiendáque, per eas signaturas euidenter admoneat. Plicas illas quæ fiunt manuum compressione, aut quæ in frontis constrictione, aut dilatatione suboriuntur; ad eum finem naturæ impressas dicunt, vt ex illis humanæ vitæ casus dignoscamus, prosperos sequamur, tristes declinemus. Hanc Auicenna vtilissimam Medicis prædicat, vt ex vultu, & oculis, de ægritudinibus possint iudicare. Vt valent oculi sic & totũ corpus: vnde Medici ex Hippocr. multa signa prognostica ducunt ex figura, colore, caractere, & mole totius, ac præsertim faciei.

Antiqui Philosophi & Medici ex corporis temperatione mores innotescere posse tradiderunt; vnde sequitur vt Medici veri sint Physiognomi, qui corporis temperiem, & proinde animi mores hanc consequentes noscere student: animi mores corporis temperaturam sequi,

qui, hisce argumentis comprobarunt. Quod anima corporis passionibus torqueatur, ex puerorũ operibus patet: hi enim nullâ arte aut disciplinâ instructi, ad timiditatem, vel ad iracundiam, vel ad cupiditatem, vel ad impudentiam propelluntur; vnde confiteri oportet, aut animam illas passiones priùs sortiri: aut ex corporis dispositione ad illas passiones violẽter deduci. Anima verò nullo vitio fœdata corpori aduenit: sed potius mutatis corporis temperamentis, animæ affectus immutantur. Melãcholici atris humoribus obsessi, mœsti, tristésque sunt; purgatis humoribus, prudentes & hilares fiunt. In ætatibus eadem experimur: infantia humida est & calida, ob id voluptates, cibos, potus, & conuiuia exoptat. Iuuentus calida, prælia, rixas, iurgia, & amores prosequitur. Virilitas sicca, honorum, magistratuum ambitiosa est. Senectus frigida, segnis, timida, parca, & opum cupida.

Empedocles Agrigentinus dixit mores, elementarias constitutiones sequi, ex eo argumento, quod in omnem affectuũ definitionem ingrediantur complexiones. Vt ira est accensio sanguinis circa cor: mansuetudo eiusdem tepescentia: audacia sanguinis ad extima diffusio: timor eiusdem ad interna reuocatio.

In Timæo. Plato ex vniuerso corporis habitu lædi animam putat: acres pituitas, felleosque humores per corpus oberrantes, quoquò singuli appulerint, vaporem suum animæ penetralibus influere, vnde animo languores inducant pro loci natura. Sic audacia, timiditas, obliuio, & hebetudo oboritur: & ex corporis contagione insipientia, & animi ruditas nascitur; tantóque homines prudentiores esse, quantò corpora minùs humiditate participantia fuerint.

Aristoteles ex corporis temperie animi facultates affici tradidit: est roboris efficacior causa sanguis, qui crassior calidiórque sit; sed qui tenuior frigidiórque, vim sentiendi intelligendique obtinet pleniorem: & in iis quoque videtur quæ sanguini proportione respõdent. Quãobrem apes & eiusmodi animalia ingeniosiora multis sanguine carentibus sunt: necnon inter ea quæ sanguinem habẽt, ingeniosiora suis contrariis sunt, quæ sanguinem frigidiorem tenuiorémque habent. Sed optimè constat, quæ calidum tenuem & sincerum habent: quippe quæ vnà & viribus corporis, & animæ ingenio plurimum valeant. Ex sanguinis natura, mores in animalibus differre asserit Philosophus: taurum & aprum fortes esse, quod eorum sanguis sit feruentissimus. *2. De part. animal. c. 2.*

Galenus cùm videret tantam esse animi cum corpore copulam, animam non solum sui corporis temperiem sequi, sed animum ipsum nihil aliud esse putauit, quàm æquabilem humorum omnium in corpore temperationẽ, scilicet humiditatis, ariditatis, caliditatis, & frigiditatis; vt bonum temperamẽtum boni animi mores sequantur, malum verò mali. Hîc tamen Galenus medicè loquendo vult esse attendendum potius organũ, quàm formam: quum intenderet restitutioni temperamenti, cuius excessui remedia inuestigantur. Licet autem humorum temperies ad animæ actiones obeundas concurrat, vnde ex corporis nostri humoribus, mo- *Lib quod mores animi sequantur corporis temperiem.*

res coniici posse, docent Medici, sicut ex moribus humores prædominantes diiudicari: anima tamen immortalis à supremo Deo creata cōceditur, quæ causa sit præcipua omnium actionum, à corporis organo pendentium Et sic turpissimè Galenus errauit, cùm de animæ substantia dubitauit.

Lib. de aëre loc. & aquis. Hippocrates omnium primus, ad regionis habitum, victum, qualitatemque, hominum mores immutari demonstrauit: vbi inquit, nullæ aut paruæ mutationes temporum sunt sub septentrione, ibi sol perpetuo solstitio accedens, exiguo tempore calefaciens, ibi perpetua hyems; vnde cogitationes, voluntates, & opiniones hominum nunquam mutantur, ob id sunt persistentes in proposito, peruicaces, & stabiles, & quia ibi perpetuus cœli tenor, ibi desidia & segnities adsunt: à segnitie & otio nascitur timiditas eorum. Et quia neque magnæ, neque vehementes sunt anni temporum mutationes, sed similes & parum differentes, vnde & formas inter se similes habent, eodem etiam victu semper & amictu vtuntur hyeme & æstate, aëremque aquosum & crassum attrahunt, & aquas ex niuibus & glacie bibunt, nullâque corporis exercitatione vtuntur, cùm vel corpus vel animus exerceri nequeat. Has ob causas eos habitu esse crasso & carnoso necesse est, articulis verò humidis & eneruatis; vnde neque arcum tēdere, neque tela torquere possunt. Mulierum corpora ad miraculum vsque pinguia, & fluxa, & coloris fului, ob ingens frigus: à frigore namque albedo exuritur, & fit fulua & ob nimiam humiditatem ad coitum sunt impetentes. At vbi frequentes temporum mutationes sunt, vt in Europæis, plures corruptiones circa seminis cōcretionem contingunt; vnde morum diuersitas contingit: vt loco illo Hippocr. rectè describit.

Hermes nostrorum aduersariorum antesignanus & dux, qui & inter physiognomones voluit annumerari, nonnulla esse signa morum dixit, quæ non ex elementorum qualitatibus proueniunt, sed ex occulta proprietate manant: videmus enim cholericos, qui mœroribus æstuare deberēt, sæpissime facetoso animo, & ridibundos esse. Sanguineos qui ex caloris abundantia liberales esse deberent, tamen parcos, & auaros extitisse, idque non ex temperamenti, sed ex proprietatum signis euenire. Præterea ambulantes qui caput ad dextram inclinatum ferūt Cinędi sunt, non ex caliditate, frigiditateq;, sed ex signi proprietate cognosci tradidit.

Attamen ista signorum proprietas certam rationem non reddit propensionum, & affectionum humanarum, nisi velint Hermetici confugere ad harmoniam illam, & analogiam quæ est cum astris, & corporis nostri membris: adeo vt quælibet pars suum astrum possideat. Sed tunc ad Astrologorum sententiam concurrunt, eorumque scientiam vanam, imaginariam, & superstitiosam assequuntur; nam ea quæ ex qualitatibus elementorum puris, & naturalibus prodeunt, isti syderibus & cœlo adscribunt, vt imponant ignaris: sed multifariam falluntur, cum existimant animam mores sortiri, iuxta constellationis dominium, quando ex materno aluo fœtus foras egreditur: sed res

aliter se habet. Possunt equidem sydera alterare elementa in ortu natorum, sed in ipso animæ illapsu. Informatur substantiâ, & mores induit anima ex embryonis qualitatibus. Anima igitur in corpus descendens illud animat, & secundum corporis temperamẽtum operatur, cùm sit animæ operationum instrumentum, vnde alij feroces, magnanimi, & alij inertes, & timidi euadunt. Hinc etiam fit vt cùm corporis dispositio per aliquod vitium corrupta, remediis adhibitis restituitur, anima etiam à prauis affectionibus liberetur, vt de insania refert Aristot. consentaneum etiam rationi videtur, vt talis affectio, tale corpus assequatur, & vnumquodque animal gerat formam suæ speciei, & determinatas in corpore facultates retineat ad talem formam. Vt canis formam habet speciei, & eiusdem mores, nimirum aptitudinem ad venandum, lepus ad velociter currendum: omnibus aptum corpus animæ moribus, & facultatibus datum est. Equo dedit iubam, & fortes vngulas: nam velox, superbum, & generosum est animal. Leoni generoso & feroci dentes, & vngues validos: tauro, & apro, illi cornua, huic exertos dentes: ceruo, & lepori, timida animalia, velox corpus, & inerme. Sic etiam homines qui in singulis animalibus eligendis sunt periti, ex forma potissimum, & corporis lineamentis propensionum indicia facilè possunt contemplari.

Hûc placet adiungere Adamantij dictum: cuiuscumque animalis mores omnes manifesti sunt ex effigie; quæ moribus illis conuenit; vt leonis mos irascibilis & fortis, & effigies talis. Pardi facies delicata, sed iracundus, insidiosus, dolosus, timidus simul & audax, quæ figura etiã his omnibus congruit. Vrsa crudelis, dolosa, ferox, & sæua. Apro est iracundia inconsiderata, boui seueritas, & simplicitas. Equo instantia, & honoris cupiditas; vulpi doli, & insidiæ. Simiæ scurrilitas, & dissimulatio. Oui stoliditas. Hirco ignauia. Sui immundities, atque gulositas; similiter cœterorum volatilium, & reptilium effigies moribus conueniunt. Si igitur homo partem, aut membrum aliquod feræ, vel aui simile habeat, ab his necesse est morum similitudinem aliquam coniicere. Si namque oculos charopos, id est dilutam viriditatem habentes, igneo quodam splendore intermicantes, & mediocriter concauos videas, leonis te admonebũt: si valde concauos maligni moris sunt, & simiam referunt. Si plani fuerint, bouinos oculos tales dicit; si eminentes stupidi, & iniurij, sicut asini. Ergo ex signis in corpore animalium existẽtibus, & sensu perceptis possumus dignoscere propensiones animalium: & proinde hominum, qui similes habent mores, & signaturas, vt declarat Porta de humana physiognomia. *Lib. 1. cap. 10.*

Nec confugiendum ad illa quæ prodeunt ex analogia astri interni cum externo, vel aliqua proprietate occulta: sed potius per præcepta ab authoribus priscis descripta, obseruanda sunt illa signa sensibilia, quę sequuntur corporis dispositionem, à qua etiam anima in suis affectionibus, tanquam instrumento, quo in operando vtitur, facilè pendet.

Signa ex quibus physiognomones diiudicant, sumuntur ex motibus, figuris, coloribus, moribus, apparentibus in facie, voce, carne, par-

tibus, & figura totius corporis, & ſimilibus: ex quibus ſignis fit progreſſus ad temperiem hominis, à temperie autem ad inclinationem inſitam, vt demonſtrauit parens colendiſſimus Iacobus Fontanus in comment. ſuis in phyſiognomiam Ariſtotelis. Atque ſic phyſiognomiâ in Medicina vtimur, illaſque ſignaturas Hermeticas tanquã inutiles reprobamus, atque reiicimus.

Quoad herbarum vires dignoſcendas, reſpiciunt quoque quidam ex recentioribus Hermeticis, ad earum ſignaturas, & ſimilitudines. v. grat. trifolium hæmorrhoidale, quia gerit grana mariſcis ſimilia, ad hæmorrhoidas cõferre volunt. Anacardi ad cor, quia cor repræſentat. Multa obſeruauit Porta in phythognomonica plantarum, quæ curioſa ſanè ſunt, ſed non omninò vera, & ratio horum non valde certa. Sed de ea analogia viderint illi.



SECTIO



SECTIO III.

THERAPEVTICA.

DE VERITATE HIPPOCRATICÆ MEDICINÆ.

NVM SECVNDVM HIPPOCRATIS oraculum, contraria contrariorum, an verò ſecundum Paracelſum, ſimilia ſimilium ſint remedia.

CAPVT I.

1. *Sententia Hippocratis & Galeni proponitur.*



CVRATIONIS fundamentũ huic propoſitioni veluti axiomati methodi innititur, nempe affectum præt. nat. ſubmouendum eſſe: ſublatio namque rei pr. nat. eſt totius curationis incitamentum & calcar, cuius causâ ad agendum impellimur. Sublatio verò cum non poſſit abſque mutatione fieri, ſiue illa à natura prodeat; vnde Hippocr. ait, naturam eſſe morborum medicatricem: ſiue à remediis iiſque extrinſecùs agentibus, ſemper à contrariis cauſam, vel affectum pr. nat. expugnantibus fieri contingit. Nam cum curatio ſit motus quidam à morbo ad ſanitatem, vt innuit Galen. & motus fiat ratione contrarietatis, etiam curatio per cõtraria fiet. Vnde dixit Hippocr. lib. de flatib. Medicinam eſſe adiectionem, & ſubſtractionem; adiectionem ſcilicet deficientium per ſimilia, quam vocant Hermetici, virium & balſami refectionem: & eorum quæ abundant ſubſtractionem per contraria. Et proinde Hermetici nolunt Paracelſum aduerſari Hippocrati aſſeueranti famen cibo, ſitim potu, repletionem euacuatione, inanitionem refectione, laborem quiete, quietem labore curari: & in vniuerſum contraria contrariorum eſſe remedia. Sed Galeno manifeſtè contradicere, aſſerente Crollio, qui contrarietatem Hippocraticam ad nudas illas qualitates ab Hippocrate damnatas præcipuè accommodat; primas enim & præcipuas curationum ideas ad refrigerationes, calefactiones, humectationes, exſiccationes, harumque complices errori infelici refert.

Lib. de conſtit. art. Med. cap. 12. Ariſtotel. 5. phyſic.

In præfat. baſil. chymic. ſec. 4.

Sed in hoc Crollius animo con-

tradicendi potiùs ductus, falsò Galeni doctrinam condemnat, & cum istas curationes per contrarias qualitates factas reiicit, cum sensibus ipsis pugnare videtur: quibus edocemur, etiam per manifestas qualitates, non solùm morbos plurimos induci, sed & curari. Nec solas qualitates primas considerat Galen. in hac contrariorum indicatione, sed etiam modum substantiæ, tenuitatem, crassitiem, viscidita em, lentorem, materiæ quantitatem, motum; vnde plures alias indicationũ ideas exhaurit: tum etiam in morbis magnitudinis, vt potè carne supercrescente, exedentia præsidia indicari, ait; in carne verò imminuta, sarcotica & carnem augentia suadet, & sic de cœteris.

Nec solum Galenus primarum qualitatum cõtrarietatis meminit, sed priùs Hippocr. dolor, ait, etiam oritur ob frigus, & ob calorem, & propter nimiam copiam, & propter paucitatem. Et in natura perfrigeratis ad cutem corporis partibus, ob nimium calorem dolor suboritur, & in calidis natura ob frigus. Et in siccis quidem natura, dum humectantur, & in humidis natura dum resficantur. Cùm enim natura cuiusque immutatur & corrumpitur, dolores fiunt, & sanantur contrariis, idque proprium est cuique morbo; velut in natura calidis, ob ipsam frigiditatem malè habentibus, calefiunt dolores & curantur, reliquaque eadem ra ione se habét. (*Lib. de locis in homine, sect. 4.*) Hermetici cum solas virtutes & δυνάμεις in natura & remediis respicere velint, illas primas qualitates effugere non possunt; cùm sint omnium alterationum instrumenta, & proinde Peripateticorum fundamenta non possunt vllâ ratione subuertere, vt docet Aristot. qualitates elementares esse omnium primas, ex quarum actione & passione omnia generantur. (*2. De gener. & corrup. cap. 2.*)

2. *Paracelsi sententia declaratur.*

Hi ergo nouatores vt veritatem dogmaticæ & Hippocraticæ medicinæ obnubilent, asserunt morborum radices neque calidas esse, neque frigidas: sed cum nihil esse possit sine calore, ita etiam morbus calidus aut frigidus esse dicitur: licet illa accidentia & excrementa velint, sta uere morbi signa, non morbos ipsos. Morbi enim ex Hermeticorum sententia, non è materia corporis, seu quatuor humoribus oriuntur, sed à natura seminis, seu à trium principiorum Astris, & Mechanicis spiritibus inuisibilibus. Vnde non mirum si positis falsis principiis falsas conclusiones eliciant. Et certè Paracelsistæ hoc dogma de contrariorum applicatione denegare non possunt: nam licet curatio morborum fieret per renouationem, & restaurationem, quam vocat Paracelsus proprij caloris accensionem in spiritu vitæ, & humore radicali, non potest contrariorum actionem subterfugere. Nam in eo loco inquit: metalla renouari & restaurari possunt, cum in sua tria prima reduci possint. Sed in homine hæc renouatio fieri nequit, cum nequeamus reduci in tria prima, siue nostrum sperma, ex quo possimus iterum renouari, & reostaurari, cùm simus huiusmodi primâ materiâ orbati, ac in irrecuperabilem transmutari, progredi nos oportet vt incœpimus. Est ergo nostra renouatio, quum picturam veterem nouis coloribus renouamus; (*Lic. 2. Archidoxor.*)

mus, humor ergo radicalis, quem ſpiritus vitæ exercet, non retrotrahitur aut diminuitur,ſed potius viribus augetur. Reſtauratio & renouatio eſt tranſmutatio materiæ ſiue membrorum exiſtentis in corpore ex ſuperfluitate : ita vt omne quod ex corpore, necnon ex humore radicali prouenit, hoc decidat, & aliud eius loco renaſcatur, vt de arbore intelligimus, de qua folia, frondes,fungi decidunt,& naſcuntur iterùm.Verùm quatuor humores, per reſtaurationem & renouationem prædictam conſumi & expelli, quoniam hominis vita ſine illis cõſiſtere poteſt, cum ſint prorſus ſuperfluitates & fæces in vino. Quatuor complexiones nullũ habent locum nec originem in corporibus,ſed exiſtunt in ſpiritu vitę, & humore radicali,non poſſunt renouari aut reſtaurari : verum vbi corpus clarificatum fuerit,tũ etiam earum natura clarificatur. Sciẽdum etiam eſt in ſanguine eſſe corruptionem & ſuperfluitatem quod eſt accidens,itidem & in carne:hoc accidens purgatur in renouatione, non quod renouetur ſanguis, ſed quod id quod prauum eſt ab eo amoueatur, & quod bonum eſt prędominatur.Sic & de carne.Quâ igitur viâ corpus renouetur ac reſtauretur;hoc fit ſui occiſione quã habet in ſpiritu vitæ, & humore radicali. Naturæ noſtræ renouatio non aliter intelligenda eſt, quàm in halcine ſine hiſpida, quæ auis propriâ ſui naturâ renouatur. Hæc Paracelſus.

Non poteſt effugere cenſuram Medicorũ & Philoſophorum, quia concedit hîc renouationẽ eſſe trãſmutationem materiæ, ſiue membrorum exiſtentis in corpore ex ſuperfluitate:& conſequenter à contrario immutari, & alterari corpus concedat oportet, vel per contrarias qualitates; vt ipſe de carne & ſanguine non negat.Non enim poteſt prauum à corpore ſemoueri, quin renouetur corpus: at amouetur,cùm alteratur;atqui alteratio eſt motus contrariarum qualitatum.

Verùm non tantum in refectione corporis intercedit alteratio per contrarias qualitates, ſed etiam in curatione morborum, vt alibi Paracelſus ſimilia vult eſſe morborum remedia, quia ex eadem naturæ Anatomia deducuntur, quia ſignaturas,proprietates,& radices ſimiles continent:contraria verò, quia defectus & deſideria reſarciunt, quia amicâ ſaturitate ſpiritus,& impuritates conſentaneas deliniunt, reſolutiones,conſumptiones, & tacitas ablationes moliuntur.Morbos ergo quos vocat ſulphureos, Mercuriales,& ſalinos curari vult ſimilibus, id eſt,ſulphureis, mercurialibus,& ſalinis remediis,ſed contrariam facultatem habentibus.Nam verb.gr. morbos ſulphureos, à ſulphure accenſo ortos,vt ſunt omnes inflammationes & febres, vult ſulphure macrocoſmi harmonicè conueniẽti eſſe curandos, vt ſulphure vitrioli, nitri,ſalis vulgaris,& ſimilium,quæ extinguunt qualitate ſuâ contrariâ ſulphur in corpore accenſum, febrim putà,ſi ignis ſit vniuerſalis,& ſcaturiginis initium in corde habeat. Similiter docet vlcera per ſales excitata, debere curari per ſales: ſed ſi ſcopus ipſius animaduertatur, tales ſales ſunt contrarij illi, qui malum excitauit: ſunt enim incarnatiui & conſolidatiui, vt thus,maſtiche,myrrha,aloës.Quare concluditur medicamenta, vt vt morbo

Tract. 1. lib. 2. Chyrurg. magn. cap. 18.

morbo ſint contraria, oportere tamen neceſſariò illa naturæ planè eſſe amica. Quapropter fit curatio iuxta ſenſum Hermeticorum &Paracelſiſtarum per qualitates contrarias.

3. *Argumenta quæ probant ſimilia ſimilibus curanda.*

Permulti vt probent ſimilia ſimilium eſſe remedia, producunt Hippocratis authoritatem aſſerentis;per ſimilia morbus oritur,& per ſimilia oblata ex morbis ſanantur. Veluti ſtranguriam cùm non adeſt, idem facit,& ſi adſit ſedat. Tuſſiſque eodem modo, vt vrinæ ſtillicidium, ab iiſdem fit & ſedatur, interdum verò à contrariis. *Lib. de loc. in homi.*

Item Hippocr. vult tetanum affectionem frigidam aquæ frigidioris affuſione curari, dolorem dolore tolli, laborem labore ſubſequente minui,vomitum vomitu, alui fluxum eiuſdem profluuio ſiſti. Prohibet refrigeratis calefacientia adhiberi. Et aliàs oxymelitis vſum tuſſim excitare, & ſedare ſcripſit; quæ omnia videntur ſimilia non contraria. *Aphor. 21 ſect.5.* *Aphor. 20.ſec.5. Lib. de affectio.*

Præterea ſi ratione & experientiâ certandum,nónne contrariorum inuicem pugnantium actio, naturæ noſtræ aduerſa & infenſiſſima exiſtit, cùm contrarium contrarij aduentu intendatur, & accreſcat. Sic vbi quis manum egelidam igni admouet, magis cruciatur. Si ambuſtum digitum in frigidam côiiciat, acriùs vexatur, quàm ſi igni exponat, aut aquæ vitæ immergat. Annon aquæ potio febricitantibus ſępè noxia ? ſcammonium calidum tertianam; lapis lazuli quartanam curat. Omniaque purgantia quæ præcipua ſunt humorum peccantium præſidia, in eoſdem agunt ſimilitudine ſubſtantiæ,potiùs quàm contrarietate ex Galeno. Sicut Antidota venenatis morbis occultâ & ſpecificâ facultate medentur.Ipſaque natura quæ per calidum natiuum & humidum radicale ſua perficit opera,morbos non tantum frigidos,ſed acutiſſimas febres deuincit, cum quibus nulla contrarietas intercedit.Multi etiam, temperatorum alimentorum vſu reſtaurantur. Denique cùm remedia actu agere debeant quomodo morbis magnitudinis,figuræ, numeri,continuitatis, remedia ad agendum & curandum ex eodem genere opponentur ? cùm hæ qualitates figuræ & numeri, principium agendi per ſe non habeant, nec in eis fundatæ qualitates ſeſe propagare valeant.

Adde quod contraria ſe mutuò non recipiunt, nec in ſe mutuò agunt, nec à ſe mutuò patiuntur: vbi igitur actio & paſſio vera non eſt;ibi etiam effectus naturalis verus non ſequitur.Ergò medicamenta non poſſunt eſſe contraria loco affecto, ſed oportet, vt illi ſint cognatiſſima, & eandem habeant(ob harmoniam macro & microcoſmi) naturam externam, quam locus iſte affectus habet internam; vt natura interna iſtius deficiens confortetur, & iuuetur ſuperabundantiâ illius naturæ externæ, vt loquitur Crollius. *In baſil. Chymica.*

4 *Prædicta argumenta diſſoluuntur.*

Verùm vt ad prædicta reſpondeamus: ſciendum eſt primò,contrariorum nomẽ latiùs patere apud Galen. & Medicos, quàm apud Philoſo

Philoſophos; atque ſic intelligitur per id, omne quod effectiuè tale eſt, ſeu quod effectum morbo contrarium producere poteſt, cuiuſque etiam ſit generis; quod magis propriè oppoſitum diceretur. Medicis namque phlebotomia eſt contraria plethoræ ſanguineæ: rhabarbarum billioſæ cacochymiæ, quia illam euacuat, & expurgat. Præterea contrarietatem iſtam ſiue oppoſitionem in remediis, non tam ſpectari ſecundum formam & denominationem, quàm ſecundum effectum, ex Valleſio. Ignis enim aut ferrum, etſi qualitate contraria, aut certâ appellatione non opponatur ver. g. excreſcenti carni, aut ſexto digito, quia tamen ignis comburendo carnem ſuperfluam; ferrum exſcindendo ſextum digitum extirpat, & contrariam diſpoſitionem priori inducit: ideo illis effectiuè contraria eſſe cenſentur. Tertiò contrarietatem remediorum ſubaudiendam potiùs de cauſis, ſiue corporibus externis in nos agentibus, quàm de internis. Quartò hæc contraria talia aliquãdo eſſe actu, vt ignis; aliàs poteſtate, vt purgans: nec tam ſpectandum ſenſum, quam ipſam operationem. Etſi enim bilis flaua verbi grat. aut aqua vitæ ſenſu humida percipiantur, tamen non ideo ſiccis opponuntur morbis, cum ſiccandi vim habeant. Quintò quædam eſſe contraria per ſe, quædam per accidens: quædam cauſam, alia morbum reſpicere. Hiſce ſuppoſitis.

Lib. 8. cõtrouerſ. cap. 4.

In beſt. Chymica

Reſpondemus ad prædictas authoritates, & argumenta: cùm Hippocrates pronunciaſſet, contrariorum contraria eſſe remedia; hæc autem opponenda cauſæ & morbo; illorumque conſiderandam quantitatem, modum, tempus, &c. docet deinde ſæpe fieri, vt quæ ſalutaria eſſe deberent noxia euadant: propterea dicit, per ſimilia morbus oritur, & per ſimilia oblata ex morbis ſanantur. Diuretica ſtranguriã quæ non adeſt, pariunt: quæ verò adeſt à Diureticis ſedatur. Quare ſi tale medicamentum ſuo tempore & conuenienter adhibeatur, id ſanat, quod alio modo oblædit: ſed ſanat ſemper per ablationem cauſæ, & ſic per contrarium. Pari ratione oxymel tuſſim excitat, dum attenuat, & incidit humorem pituitoſum: eandem verò ſedat, quia illius cauſam ad expectorationem promouet. Ergo per ſimilia, ſiue eadem præpoſterè adhibita morbus fit, & per eadem artificiosè præſcripta profligatur apud Hippocr. illa ergo ſimilitudo non eſt ratione eiuſdem ſcopi, nec actionem in ſimilitudine fundatam habet.

Quod autem tetanus morbus naturâ frigidus, à frigidæ perfuſione curetur: id euenire affirmamus, per reuocationem caloris, qui vi frigoris cogitur, ac effloreſcit iterum in ſuperficie, materiamque neruis conceptam, tetani authorem depellit: ſicque frigus curat ex accidenti frigidum morbum, intercedente cauſa per ſe, nempe caloris natiui augmento; vnde tanquam à contrario morbus depellitur. Dolor etiã dolore tollitur; labor labore imminuitur, vt notat à Veiga dum ſcilicet nouus dolor prioris materiam, veluti cucurbitula reuellit, aut animum aliò reuocat & dum ſecundus labor prioris colliquationem, & reliquias diſſipat.

Cap. 88. art. par.

Pari modo vomitus vomitum, diarrhœam alui fluxus ſedat, vacuatâ ſcilicet causâ quæ illum committebat. Refrigeratis calefaciẽtia pro-

hibet, vbi metus est hæmorrhagiæ, vt doceret nos vrgentioris aliquando rationem habendam, neglectâ primarij affectus consideratione. Ergo fit curatio similibus, sed κατὰ συμβεβηκὸς per media illa quæ primò contraria sunt.

Quod ad rationes; contrariorum quidem conflictus naturæ infensissimus, si repentibus sit & vehemés: quia omne nimium & violentum naturæ inimicum; si verò moderatus & conueniens ad expellendũ cõtrarium, maximè amicum est naturæ. Sic potu sitim, calore frigus demulcemus. Manus verò gelida igni exposita torquetur, quia subita fit & vehemens contrariorum pugna: at in tepidam coniecta, & linteolis calidis recta restituitur. Et digitus ambustus igni admotus, aut aquâ vitæ perfusus subleuatur, ratione causæ, quia eiusmodi calidis euocantur scintillæ parti affixæ, quas frigida in profundum depellebat. Aquæ potus febricitantibus nocet, quia vel causa frigida est, vel calor natiuus imbecillior, vel obstructiones adsunt, aut coctionis signa absunt: quæ tamen ratione incendij febris conuenientissimum est remedium.

Pariter scammonium, lapis lazuli, & reliqua purgantia, & antidota quæ proprietate occultâ humores purgant, vel venenatis morbis obsistunt, si non denominatione, & manifestâ ratione illis sunt contraria; tamen in effectu dum causas morbificas educunt, vel alio quouis modo causam expugnant, talia sunt.

Verùm negandum non est, naturam esse morborum curatricem: & proinde ea quæ naturam roborant, magnam vim habere ad morbos debellandos: huiusce tamen principij veritas non obtunditur, cum talia non immediatè & primò, sed mediatè, & per aliud ad morbi curationem faciant. Omnis namque morbus à contrario depellitur: mediatè tamen etiam per similia, eaque in suo gradu non valdè excedentia, curari posse non negamus; ab iis scilicet quæ naturam confirmant, vel spiritus refocillando, vel caloris natiui qualitates augendo, vel humidi radicalis oleosam substantiam confouendo, partisque, aut totius temperiem conseruando, imò & occultis qualitatibus naturæ robori subueniendo. Attamen natura roborata tum demùm contra morbum pugnat, & omnem excessum ad mediocritatem reuocat, atque ita contraria etiam morbo operatur, eiusque excessus demolitur, contrario semper modo illis alterationibus, quæ sunt pr. nat. sese opponens: & dum causam morbificam, vel coquit, vel expellit, vel medicamenta in actum deducit.

Quod verò adducitur de remediis morborum magnitudinis, numeri; non tam consideranda est denominatio, quàm ipsorum remediorum operatio. Itaque magnitudo, figura, soluta vnitas &c. pr. nat. contrariis expugnantur, cùm ferro, causticis, ligaturis, &c. contraria dispositio inducitur.

Denique nil vrget ratio postrema, quia vt docet Plato in Alcibiade: ea contrariorum ratio est, vt vnà habitare nequeant, ac sese mutuo enecent, ac depellant. Quare & contrariis rebus morbi depellentur. Vnde negamus quod licet se mutuò expellant, non agere in se inuicem, vt in reactione & repassione experientiâ comperimus. Sed in

contra

cõtrariorum adhibitione non semper æqualia gradu præscribuntur, habitâ circunstantiarum ratione, ne scilicet vires frangantur: aut ratione contraiudicantium, ne cruda materia vehementioribus frustra agitetur. Cum tamen ipso morbus, æqualia semper respectu sui, & ad perfectam curationem exposcat.

Quod affert Crollius de roboranda parte affecta, concedimus medicamenta non debere esse contraria loco affecto, sed quàm maximè cognatissima, vt monstrat similium per similia in conseruatione sanitatis indicatio. Vitalis ergo indicatio est à natura, quæ similibus seruari debet; at similia se non alterant. Idcirco humidis corporibus, magis humida sunt admouenda remedia. Nec si illa humiditas vitiosa fuerit, ea castigabitur per morbos: etenim vitiosa temperies, quæ tamen natiua est, similibus gaudet, & fouetur, sed facile in consimilem intemperiem abripitur. Tunc contrariorum moderato vsu oblectatur, quæ blandè ac sensim in genuinam temperiem reuocant. *Galen. lib. 10. meth. med. c. 3.*

Ex his omnibus concluditur, curationem quæ est mutatio à priori statu morboso ad sanum, inter contraria, & à cõtrariis operatione potissimùm talibus perfici.

De facultatibus medicamentorum in genere, tum primis, & secundis.

CAPVT II.

1. *Quid sit medicamentum, & Quotuplex.*

Lib. 6. simplic. de agno casto. SCRIBIT Galen. contemplationem de medicamentorum facultatibus, & methodum Therapeuticam mutuo nexu esse consociata: neutra enim sine altera intelligi potest.

Medicamentum est quod potestate naturalem corporis constitutionem immutat: agentium autem causarum quæ nos immutant, alia actu, alia potestate id efficiunt. Actu quidem, quæ congeneros effectus, & qualitates quas actu possident, patienti imprimunt, vt ignis calorem. Potentiâ verò, quorum vis & facultas non facilè depromitur, vt primo contactu appareat: sic piper potestate calidum est, & mandragora facultate frigida. Medicamenta suas vires obtinent potestate, easque ex varia elementorum mixtione profectas: hæ autem facultates ab iis excitari debent, quæ actu vigent, nec potest vllum medicamentum insitâ facultate nos immutare, citra nostri caloris adiumentum. Non quod calor noster vim vllam medicamento impertiat, cum illas sibi congenitas habeat, sed quod intùs conditas, & quasi sopitas excitet, & in actum proferat: à quibus deinceps corpus nostrum alteratur & afficitur. Calor enim noster medicamentum adoriens, eius naturam, temperiem, & alias quaslibet vires exprimit: hoc verò quasi proritatum communi re-

rum omnium conditione, reluctatur, atque viciſſim in corpus agens, omnes ſuas vires in illud expromit. Sic piper & pyrethrum etiam ſi actu frigidum aſſumitur, protinùs vt abiecto frigore à nobis incaluerit, ſuo ipſius calore nos acriter vrit. Quare medicamētum non ab actu, ſed à poteſtate propriè definitur. Quod ſi gentilis exiſtimet medicamenta agere in corpus actu primo, quem in ſe formaliter continent, licet ſint in potentia ad actum ſecundum: quæ opinio examinatur à Thoma de Garbo. Hoc non impedit quominùs aſſeramus me icamenta egere calore noſtro, vt in actum reducantur, remotis ſcilicet iis quæ impediunt actiuitatem illorum. Proinde Galen. nullum eorum, inquit, quæ nos excalefacere apparent, perinde vt ignem poſſe calefacere. Vnde poteſtate dicitur eſſe talis qualitas in medicamentis, quæ attenuatione & attritione à calore noſtro facta adiuuatur. Vnde ait Galen. quædam vbi leuem mutationem fuerint extrinſecùs adepta, ſecundum naturam, deinde ſuam ad plurimam mutationem procedere. Medicamentum verò non ab actu, ſed à poteſtate propriè definitur; piper enim & lactuca propriè medicamentum dicitur, ſed nec ignem, neque niuem quæ actu agūt, niſi fusâ nominis appellatione medicamentum dixeris.

quæſt. 46. de actuat. medicin.

tract. de reductio. medicina. ad actum.

lib. 1. ſimp. med. cap. 11.

Quò autem tota definitio exponatur, tradendum quot quibuſque modis immutetur corporis noſtri naturalis conſtitutio: quæ vt triplex eſt, tripliciter etiam alteratur. Hæc quidem in tribus poſita eſt, ex hiſque conflatur, ex bona corporis & humorum temperie, ex materiæ commoderatione, & ex formæ ſeu ſubſtantiæ integritate: nam ex hiſce tribus continetur humanum corpus, temperamento, materia, atque forma. Malumus enim cum optimis authoribus ita philoſophari, quàm cum Galeno formam cum temperamento confundere, ipſe nāque falsò ſumit inſtrumentum pro cauſa principali, & accidēs pro ſubſtantia, meritóque refellitur à S. Thoma, vt refert parens colendiſſ. humanum corpus trifariam immutari poteſt: atque triplex eſt medicamentorum nos afficientium genus; vnum naturalem tum corporis, tum humorum temperiem alterat, vt quod impendio calidum, frigidum, humidum, ſiccumve eſt. Alterum materiæ commoderationem, vt quod nimium denſat, aut rarefacit, adſtringit, aut laxat, incraſſat, aut attenuat. Tertium corporis humorumque formam & ſubſtantiam totam immutat, (non tamen prorſus demolitur & corrumpit, niſi velis cum Fernelio medicamentum cum veneno confundere) vt alexipharmacum, & ſpecificum medicamentum ſiue alterans, ſiue expurgans.

Iacob. Fontan. lib. 1. phyſiol. c. 4.

In prædicta definitione per alterationem medicamenti, intelligimus reductionem ex ſtatu pr. nat. ad naturalem, quæ contingit beneficio medicamenti corpus vario modo immutantis. Quâ ratione ab alimento & veneno differt: omnia quidem hæc tria dicuntur ratione noſtri corporis; ſed hæc differentia intercedit, quod alimentum in ſubſtantiam noſtram faceſſit, quam alit & auget, illique aſſimilatur: at medicamentum corpus noſtrum alterat, & nouam qualitatem in illud introducit. Quod ſi nutrimentum alendo corpus, id alienâ qualitate

insigniter afficiat, alimentum medicamentosum nuncupatur: venena verò ab vtroque differunt; neque enim à calore nostro vinci, & corpori assimilari queunt, neque etiam solùm alterant, sed corrumpendi vim habent. At si in substantia nobis prorsus dispari qualitates nimium exuperantes obtinet, siue à temperamento vt hyoschiamus, pyrethrum: siue à materia, vt rhus, galla, alumen, siue à forma profectas, vt scammonium, rhabarbarum, margaritę, hyacinthus; id prorsùs medicamentum esse dicitur.

Iacob. Fontan. lib. 1. phy. fol. c. 4.

Medicamentum aliud simplex, aliud compositum, simplex appellamus quod à sola natura nobis suppeditatur, nihílque ex arte permixtum habet, vt rosa, absynthium. Compositum quod arte & industriâ ex multorum permistione cõstat, talis est theriaca. Simplicia licet propriâ naturâ sint ἀνομοιομερῆ καὶ σύνθετα dissimilaria & composita: tamen respectu compositorum ab arte, talia esse dicuntur. Est verò magna simplicium medicamentorum copia ex plantis, animalibus, & mineralibus eruta: plantæ sumuntur vel integræ, vel earum partes, radices, ligna, medullæ, cortices, folia, & surculi, semina, flores, fructus, succi, gummi, resinæ, olea, liquores, &c. Animalia quoque vel integra adhibentur, vel eorum partes, vt cornu cerui, medullæ, caro: vel quæ in eis generantur, vt lac, oua: vel eorum opera sunt, vt mel, cera: vel excrementa, vt fel, vrina.

Sub mineralibus comprehendũtur non solùm mineralia propriè dicta, vitriolum, Antimonium, sulphur, & metalla, ac eorum recrementa: verùm etiam varia terrarum genera, vt terra lemnia, sigillata, bolus armena: sed & lapides & gemmæ: item salium varia genera, & succi in terra concreti, cuiusmodi est naphta, item aquæ thermales.

2. *De forma naturalium corporum.*

Notandum est nos hic intelligere nomine formæ, eã quæ in mixtis corporibus inest, um etiam variis corporis partibus, vt formam carnis, ossis, hepatis, quæ à Scotistis appositè admittitur: nec absurdum est partes totius corporis heterogenei præter formam totius, sibi vendicare proprias & peculiares formas, sicque duas substantiales formas in eodem subiecto repetiri, modo sint subalternæ; & vna earum sit totalis, altera partialis. Neque sequitur. Propterea rem eandem habere duplex esse, sed vnum & idem quod habet à forma partiali tanquam inferiori; ab anima verò seu forma totali, tanquam à superiori principio: animâ verò abeunte totum suum habet esse ab illo suo peculiari principio. Nec proinde datâ formâ partiali præter totalem sequitur, compositum esse ens per accidens, cùm ex pluribus actibus seu formis constet: nam licet illæ partes sint actu ratione suarum formarum peculiarium, nõ tamen constituunt totum ens aliquod actu, sed potius aliquod ens in potentia, in ordine ad esse totale, ad quod ex instituto naturæ ordinantur, quodque illis ab anima communicatur.

Obseruatur in corporibus mixtis vegetatiuis quædam forma peculiaris distincta ab anima vegetatiua, calido & humido naturali inhærens, quæ etiam emortuo corpo-

re vires ſuas naturales retinet; ſicut vinum ab vua expreſſum, quamuis animatum non ſit, nihilominus λόγον οὐσίαν, & formam illam quam in vite accepit, vt corpus naturale per multos annos retinet, & ob eam naturales ſuos effectus edit. In vegetantibus, ſiue vegetent tantum, vt plantæ; ſiue præterea ſentiant, vt animalia, vtraque forma ineſt, vna quæ mixti, altera quę viuentis forma nominatur. Verùm illa vtpote inferior ſuperiori animæ mancipatur; ignobilior obſcuratur à nobiliori, vt ſtellæ tam fixæ, quàm erraticæ à ſolis lumine Animâ abeunte vita eripitur, quia eſt primus actus animæ; remanet altera forma (principium enim ſubſtantiæ nonniſi in ſubſtantia quærendum) cuius poteſtas tum ſeſe exerit, veluti in libertatem aſſerta. Os milui piſcis, quod Simplicius annotauit, aurum attrahere, & Scaliger approbauit; dum miluus viueret nō trahebat aurum, quia vis illa latebat mancipata formæ nobiliori: mortuo miluo, incipit aurum attrahere, quia ſublatâ animâ ſeu forma incipit natura corporis ſeu temperies occulta in proprio ſpiritu inſito perdurante implantata, ſub dominio formæ mixti, de nouo operari, & imperare. Hanc formam vocant naturalem craſeos, aut συμφύσεως mixtionis elementorum, ſeminum, & trium principiorum cauſam: nā non tantum ſpiritualis forma, aut ſpirituale corpus rebus inſculpitur, ſed corporalis etiā ex craſſiori materia compingitur, quæ ritè componi non poteſt, quin certo rerum mixtarum temperamento cōſtituatur: at præcipua illa eſt forma, quæ ipſam rei craſim ſuſtinet, & quæ indiuiduum perducit ad quod deſtinatum eſt. Vnde non poteſt illa forma agere abſque temperamento, ſed quia occulto planè modo læditur & immutatur temperies; idcirco reducitur ad facultatem illius formæ quæ in tota ſubſtantia conſiſtit. Ex hoc ſequuta eſt Fernelij & Argenterij opinio de totius ſubſtātiæ morbis, quorum tamen mentem aliter quàm illi propoſuerint, luculenter explicuimus; dari ſcilicet morbos formæ & totius ſubſtantiæ, non ratione formæ mutationis, quia non intenduntur aut remittuntur: ſed ratione alterationis illarum qualitatum occultarum à forma fluentium, quæ in humido & calido primigenio, tanquam in proprio ſubiecto inhærent, vnde corporis omnes proprietates excellentiores, & latentes prodeunt: iſta alteratio concipit intemperiem occultam & malignam, quæ viuentis temperiem occultâ quadam ratione afficit & immutat: atque ſub hoc ſenſu Fernelij opinionem, ab illa Galeni non prorſus diſſitam amplectimur. Ipſe enim paſſim actionem ex proprietate ſubſtantiæ concedit, dicitque medicamenta alterare, aut qualitatibus primis, aut totâ ſubſtantiâ: & talia eſſe complura lethalium medicamentorum, nec pauca alexiteriorum, ſeu amuletorum, tum purgantia omnia: & alibi, ait, auxilia & noxæ non ſolùm per ſimplices nos attingentiū qualitates, ſed etiam per totam ſubſtantiam corporibus noſtris adueniunt. Et libro de ſimpl. medicam. facultat. librum ſe aliquando de iis, quæ proprietate totius ſubſtantiæ agunt, ſcripturum pollicetur. Sed quonam modo hæc tota ſubſtantia intelligi debeat, ſatis ſuperque cōſtat ex dictis: an ſcilicet ſola temperies

Sect. 2. Patho. cap. 4.

5. De ſimpl medicam. facult cap. 18. Comm. 6. in 6. Epidem. text. 5. 11. Lib. in voce cancri.

periei cum materia subaudienda; an verò forma cum qualitate occulta, quæ in spiritu & humido radicali viget. Qua alteratâ & immutatâ totâ substantiâ, & formâ, medicè non philosophicè loquendo morbus oritur, qui medicamento vim illas qualitates & substantias immutandi habente expugnatur & depellitur. Igitur corpus humanum tertio quodam genere medicamentorum immutatur, & afficitur secundum formam & totam substantiam; quod sub genere Pharmacorum purgantium, alexipharmacorum, & specificorum continetur, de quorum omnium natura postmodum discurremus.

3. *Quot sint medicamentorum facultates & gradus.*

Vt igitur ex triplici corporis nostri constitutione, tria nos alterantium medicamentorum genera statuimus: ita & omnium simplicium medicamentorum vires atque facultates, in tres ordines & differentias distribuimus. Aliæ enim sunt quę primę facultates aut qualitates appellantur, aliæ quę secundæ, aliæ quæ tertiæ. Quæ licet à Chymicis & Hermeticis, spiritibus & tribus principiis potius, quàm qualitatibus elementorum tribuũtur: vt supra demonstrauimus, eorũ tamen rationes, vel aliter explicatas, vel refutatas supra reiecimus.

Sect. 1. Physio. c. 6. 7. 8. Prima qualitas seu facultas, iuxta veram Dogmaticorum doctrinã, ex primorum elemẽtorum permixtione, & qualitatum simplicium tẽperamento exoritur, eiusque qualitatis vim & naturam imitatur, quæ cæteris in temperamento prædominatur: ea enim licet contrariorum vi sit repressa, quia tamen superior est, vim agendi præcipuam obtinet, & medicamento suum nomen tribuit. Aliàs autem vnica dominatur & vincit, aliàs verò duæ. Ab vna & simplici quatuor emergunt medicamentorum facultates, à quibus aliud calidum existit, vt piper; aliud frigidum, vt mandragora; aliud humidum, vt oleum; aliud siccum, vt aqua marina. Ex duabus qualitatibus quatuor quoque prodeunt complexæ facultates, à quibus medicamentum aut calidum siccumq; est, aut calidum & humidum, aut frigidum & siccum, aut frigidum & humidum. Hæc prima tum simplex, tum coniugata qualitas & facultas, medicamento potestate inhæret: non tamen est occulta, vt censuit quidam Hermeticus asserens calida calefacere, & frigida refrigerare occultâ vi propter substantialem formam: piper enim, inquit, potentiâ calidum non calefacit, nisi illius vis à calore nostro deducatur ad actum; quod est proprium abditarum virium; seu occultarum facultatum. Nescire videtur quid sit manifestâ, quid occultâ vi agere. Vis est manifesta, cuius causa est manifesta: occulta verò cuius causa ignoratur. At cur piper calefaciat, lactuca refrigeret, lippis & tonsoribus est notum; nempe quod piper naturâ suâ, seu temperamento sit calidum, non quidem actu, vt ignis, sed potestate. Verùm quod potestate calidum est, malè confundit cum eo quod occultum, & sic causas omnibus patentes obscurare conatur: & cum ad formas nobis incognitas recurrit, officium Medici prætermittit, qui facultates sensibiles & energiticas conquirit.

Eorum

Eorum quæ calida verbi gr. appellantur, non vna est omnium vis & æqualis facultas; quatuor eorum gradus & ordines vsus distinxit. In primam eã classem referuntur, quæ obscurè nec dum manifestè agunt; in secundam quæ iam manifestè, in tertiam quæ vehemẽter, in quartam quæ summè atque extremè, vt quæ in calidorum genere deurunt, excharamque moliuntur. Deinde vniuscuiusque gradus tres statuuntur partes iuxta ipsius latitudinem: initium scilicet, medium, & finis; vt eorum quæ ordine tertio calida dicuntur, alia in huius ordinis initio, alia in medio, alia in fine consistunt.

Medicamentum porrò temperatum in quo nulla qualitas excedens comperitur, humanæ temperaturæ comparatum est, quod extra proprium statum naturalem corpus nullatenùs afficit, nec sensibilem qualitatis excessum imprimit.

Medicamentum verò ex prædominio calidum præter quam quod potentiâ calefacit, etiam varia præstat iuxta caloris gradus diuersos. Nam calidum in primo gradu ex sententia Galeni, vim habet augendi calorem innatum leuiter calefaciendo; vnde promouentur concoctiones, maturationes, & reliquæ naturalium facultatum actiones. At quæ ad secundum gradum accedunt, caloris ignei sunt participes, vimque habent attenuandi, rarefaciendi, & aperiendi meatus. Calidum tertij gradus exsiccat, incidit viscida, attrahit, inflammat, fundit humores, corpusque colliquat, & tabefacit. A quarto gradu calida ruborem inducunt, vesicas excitant, vrunt, crustas pariunt, calorem dissipant, mortificant, & extinguunt.

Frigida medicamenta non solùm refrigerant, sed in primo gradu calorem natiuum obtundunt, & partes corporis densant, coctiones, & maturationes impediunt: sed quæ ad secundum accedunt, præter iam dicta nocumenta, ita refrigerant, incrassant, densant, repellũt, astringuntque, & calorem natiuum minuunt, vt crudorum humorum prouentum ingenerent. Quæ verò tertio gradu sunt frigida, interiores corporis meatus astringunt, obstructiones pariunt, succumque naturalem exprimunt, anadosim & distributionem succorum prohibent, sensum obtundunt, & plumbeum colorem inducunt. Frigida quarto gradu congelant, calorem natiuum extinguunt, & tanquam venena interficiunt.

Medicamenta humida humectãt, sed quæ primo gradu id præstant, leniunt & lubricant: quæ in secundo relaxant, humores acres obtundunt, crassioresque reddunt, naturalium membrorum tonum eneruant. Humida in tertio gradu, non solùm prædictas partes relaxant, sed adeo infirmant, vt ad vtilis alimenti prõptissimam excretionem pronas reddant; vt in ventriculo vomitum, diarrhœam, & lienteriam pariant, corpus torpore afficiant, & actiones motus manifestè obtundant. Quæ autem ad quartum gradum humiditatis peruenerint, planè suffocant calorem innatum, tanquam venena, & ipsius euentilationem suâ copiâ impediunt.

Sicca in primo gradu leuiter siccant, corpora validiora reddunt, sensusque vegetiores. Quæ secundo gradu sicca manifestè adstringunt, qualia sunt acerba. Sicca in tertio corrugando meatus obturant, hu-

motum vias præcludunt, omnes naturæ expulsiones impediunt, succum è corpore exprimunt, & tabem inferunt. In quarto multa esse sicca videntur ex sententia Parentis colend. quia calida in quarto, licet producant exsiccationem humoris radicalis, id tamen non fit exsiccatione combibendo humorem, sed calore vehementi resoluendo, & dissipando: atque hæc de primis facultatibus.

D. Iacob. Fontanus lib. 1. pharmac. gener. c. 15.

4. *De medicamentorum secunda facultate.*

Secunda medicamentorum facultas ex eorum materia, temperamenti siue qualitatis primæ vi perfusa suscitatur: hæc facultas materiæ commoderationem & consistentiam mutat; vt quod nimis indurat, vel emollit, quod rarefacit, vel densat, quod astringit, vel laxat, quod incrassat, vel attenuat. Appellantur secundæ, vt Fernelius notat, non quod aliis posteriorem ortum acceperint, sed quod minùs validæ sint, minúsque effectrices. Non enim, vt ait Galen. totam substantiam per totam transmutant. Distinguuntur primæ à secundis, quia hæ omnibus entibus non sint ita familiares, & communes, vt illæ: deinde quod primæ qualitates ex sententia Galen. partes similares alterant; secundæ verò dissimilares. Qualitates secundæ primas seu elementares, ac simplices comitantur, earumque adiutu vt sint, & vires suas patefaciant, opus habent. Nam aperiendi facultas, rarefaciendi, attrahendi, tenuãdi calefactionem sequitur: crassandi, densandi, claudendi, repellendi refrigerationem: molliendi humectationem: indurandi siccationem: siccitas enim indurat, vt ex luto aquilonio, vel æstiuo statu indurato, & ex lateribus igne siccatis videre est.

Lib. 2. de abditis rer. caus. c. 17.

lib. 1. de elem. c. 2.

3. simplic. medicã.

Aliqui constituunt tres ordines secundarum facultatum medicamẽtorum: primus est illarum quę tum à primis qualitatibus, tum à vario materiæ modo pendent, vt leuitas & raritas à calore: grauitas & densitas à frigore, & terrestrium portionum participatione: mollities & lenitas ab humiditate: durities & crassities à siccitate. Hæ omnes differentiæ se tenent ex parte materiæ, seu modi substantiæ, ex varia commistione humidi & sicci, per actionem calidi in materia mixtorum consistentis: verbi gr. leue est quod substantiam elementorum leuium participat: graue è contra, licet nonnulla sint leuia & terrestria, propter raritatem substantiæ, & aëris poros implentis copiam, vt pumex, quæ si conteratur in minutiores partes, grauior efficitur. Eadem est ratio de raro, & denso.

Durum autem dicitur quod vel terrestre est, vel congelatum, vel plenum: molle è contra causas habet ei oppositas.

Lenitatis causa est aquea & aërea substantia: nam humor siccum æqualiter deducens optimè commiscet, & æqualiter; vnde fit superficies plana & læuis.

Asperitas contra à siccitate manat; hæc enim causa est inæqualis mixtionis, vnde partes quædam eminent, aliæ verò depressæ manent, hinc asperitas subsequitur.

Viscida sunt in quibus aër & aqua in mixtione dominantur: propterea aqua vbi putrescit, vel ei admiscetur oleum, plurimas excitat

ampullas,nec facilè disrumpitur,ob viſciditatem quam acquiſiuit, quæ partes ipſius tenaciùs inuicem cohærentes reddit. Et in iis quæ putreſcunt, & ſitum contrahunt viſciditas producitur, quoniam à calore extraneo attenuatur humidum, & in ſpiritum aëreum vertitur, vnde viſciditas generatur.

Friabile verò eſt,quod minimum aëris in ſe continet,vt patet in corporibus ſiccis,& terreis: non enim bene continuantur, & miſcentur partes terreæ & aqueæ, niſi aëris ſpiritus ſubintret.

Vacuum appellatur quod proprio contento priuatur; plenum verò quod proprio liquore turgidum eſt. Craſſum quod non facilè poros & meatus corporis penetrat, quod ſit terreſtris ſubſtantiæ. Tenue autem,quod facilè penetrat, vt quod ſubſtantiam in mixtione aëream, vel igneam obtinuit.

Secundus ordo facultatum ſecundarum eſt, eorum quæ magis heterogeneas partes in mixtione poſſident, & ob id diuerſas habent agendi vires. Verbi grat. vis anodina cum ſubſtantia tenui, & calore moderato ſibi iungit virtutem rarefaciendi,digerendi,coquendi,ac vacuandi. Pariter vis detergendi, repercutiendi, ſuppurandi, &c.

Huc quoque referuntur,quæ reſpectum habent ad aliquod membrum, & definitam materiam, vt facultas lac, aut ſemen generandi, vrinas ciendi, menſes prouocandi, &c.

Tertius ordo eſt qualitatum patibilium, quæ noſtros ſenſus afficiunt,vt ſunt colores, odores,ſapores: ſiquidem ſecundæ qualitates in auſteris, acerbis, acidis,dulcibus, & amaris conſurgunt.

De facultatum indiciis ex ſaporibus deductis.

CAPVT III.

1. *De ſaporis idea ex mente Chymicorum & Dogmaticorum.*

CHYMICI tres ſubſtantias tanquam ſaporum ſcaturigines agnoſcunt: amarum è ſale fixo mixtorum prodiens, dulcem ex ſulphureo,acidum ex mercuriali: hæc tria ſaporum genera in omnibus mixtis ita reperiri contendunt;vt in quibuſdam amaris ſal nitroſum reperiatur, in acerbis aluminoſum,in auſteris vitriolatum, in acidis & acribus armoniacum, in dulcibus ſaccharinum & roſcidum: quę omnes differentiæ naturam viuentis principij aſſequuntur, ita vt non ſit opus ad qualitates actiuas, vel paſſiuas confugere.

Verum iſtas voces reiicimus, cùm Hippocrates ſubſtantias acidas, amaras, & dulces non appellet nomine vitrioli,aluminis, aut ſalis, ſed nomina vulgò ſaporibus dicata tribuit. Non enim rectè ſequitur, hoc eſt amarũ,ergo nitroſum,multa enim dulcia, vt olera quæ ſunt nitroſa. Nec iſtud eſt acerbũ,ergo aluminoſum,quia hæ dictiones potius analogicæ & æquiuocæ videntur vt à nobis ſupra demonſtratum eſt.

Sect. 1. cap. 9. de huma. §. 9.

Hermetici qualitates actiuas & passiuas non adeo reiicere debent, quia sal, sulphur, & Mercurius qualitatibus contrariis donantur. Mercurius est frigidus humidus respõdens elemento aquæ, sal calidus siccus terreus; aliquando frigidus, vt nitrum halonitrum: sulphur calidum siccum, igneum & actiuum: Mercurius passiuus; sal cõstrictiuus & terminatiuus, & consequenter ad qualitates actiuas & passiuas in saporum perquisitione attẽdere oportet. Hinc meritò Theophrastus saporem definit, partis siccæ terrenæque cum humore permixtionem. Aristoteles dicit esse affectionem in humido aqueo factam, à sicco terrestri, & calore decoquente, gustatum qui in potentia est ad actum per alterationem deducentem.

6. de caus. plant. c. 1.

Lib. de sensu & sensili. c. 4.

Sapor est qualitas gustu perceptibilis, cuius nouem differentiæ constituuntur: quarum tres à vincente caliditate in substantia crassa, vel tenui ortum habent: acer nempe sapor, amarus, salsus. Tres ab exuperante frigore, acidus seu acetósus, austerus, acerbus, & tres à moderato calore, dulcis, pinguis, insipidus; horum postremus ad frigiditatem, dulcis & pinguis ad calorem magis inclinant.

2. De acri & amaro.

Acer sapor omnium calidissimus, qui à calore nostro excitatus, à quo in actum de potentia reducitur, mordicat, rodit, igneæ qualitatis sensum exprimit, & propemodùm exurit, vt pyrethrum, flammula.

Gale. lib. 4. simpl. c. 18.

Sunt autem acrium multa genera: alia moderatè talia sunt, vt hysopus, thymus, anisum, coriandrum, raphanus, origanum, & facultatem habent intrò sumpta penetrandi, meatus aperiendi, crassosque humores attenuandi. Extrinsecùs verò adhibita, cutem rarefaciunt, humores eliciunt, ac resoluunt. Alia intra tertiùm ordinem continentur, vt galanga, piper, sabina, thlaspi, arum, helenium: quæ prædictas qualitates excellentiori gradu obtinent. Alia acriora sunt, tertiumque calidorum ordinem excedunt, & gustando præter acrimoniam, tenui vapore caput feriunt, exurunt, papulasque excitant, vt synapi, pyrethrum, euphorbium: aut vesicas inferunt, vt lepidium, cantharis, ranunculus: aut colliquant, & putrefaciunt, quartum caloris gradum superantia, vt venena, sublimatum, calx, arsenicum. Alia cum igneo calore multam habent humiditatem admixtam, à qua dulcia quodammodo sunt, & esui apta, vt allium cepa, porrum, nasturtium hortense, & similia. Sunt & acria absolutè & simpliciter talia, & quædam aliis saporibus permista, vt quæ acria sunt simul & amara.

Amarus sapor prodit ex materia crassa atque terrena, quam exuperans calor præassauit & exsiccauit: omneque amarum calidum siccumque est; hinc sanè præcipua vis detergendi, & meatus expurgandi illi inest, idque cum calore, non tamen extremo. Quum enim calor penetrando crassiusculam materiam secum ducit, quicquid obuium est, rapit, & abradendo expurgat, & sic corpus à putredine vindicat, & quo amarius medicamentum, eò valentiùs id efficit. Absinthium cum moderatione: at aloë, aristolochia, centaurium minus, & colochyntis non expurgant modo, & abstergent, sed partes ipsas immodico vsu exa-

ſperant, atque corradunt,& exulcerant,aperiunt ora venarum,hæmorrhoides vltrò concitant, vt aloë;interiores diſrumpunt abſceſſus; vt Ariſtolochia; tum demum exulcerant,partiumque ramenta deturbāt, vt centaurium, & colocynthis.

Obiicies opium eſſe amarum, nec tamen calidum à medicis exiſtimari, ſed potius frigidum, cum ſenſus conſopiat,& torporem inducat: contra verò Chymici & Hermetici cenſent opium eſſe calidum, nam eius facultas narcotica prodit ex eius parte oleoſa, & ſulphurea, facilè inflammabili, & fœtidi odoris. Scenkius putat nonnulla propter amaritudinem calida eſſe, ſed abſtrusâ & occultâ vi refrigerare, vt opium, & cichorium. Alij vero aſſerunt opium partim calidum, partim frigidum eſſe,in quo cum multa frigida ſubſtantia, ſubdulcis aut inſipida contineatur, paucæ calidæ & amaræ permixta: totum tamen ita amarore inficitur, vt ſolus amaror guſtu deprehendatur: hæc autem heterogeneitas ſubſtantiæ à Dioſcoride confirmatur, aſſerente papaueris ſucco epoto veternum conſequi,cum perfrictione, & pruritu; quorum ſymptomatum veternus quidem eſt effectus craſſi vaporis frigidi in cerebrum effuſi: pruritus autem calidæ,acris & mordentis portionis energiam conſequitur. Inualeſcente veneno tanta erumpit prurigo,vt hominem exciter. Et corpus id medicamentum olet.

Lib.6.de mater. med.c.17.

3. *De ſalſo ſapore.*

Salſus ſapor mediocriter linguam mordet, ac linguæ profundum penetrans, leuiter quidem contrahit, & adſtringit, efficaciter autem detergit. Hic imprimis elucet in ſale marino, atque in nitro,deinde moderatiùs in Crithmo herba. Producitur hic ſapor, cùm aquea materia, quæ partes quaſdam terrenas permiſtas habet, à calore externo tandem præaſſatur, aduritur, atque ſiccatur. Quocirca ſalſum moderatè penetrat & incidit, corradendo ſtimulat, & expurgat, validè ſiccando tenues ichores abſorbet, corpora conſeruat,& à putredine tuetur. Eſt autem ſalſus ſapor duplex,vnus naturalis,artificialis alter: naturalis vt in ſale,aqua maris,& in ſalibus foſſilibus; inter hæc, quæ copioſioris terreæ ſubſtantiæ permixtionem ſequuntur, ea magis aſtringunt & mordent, quàm detergunt, vt ſal foſſile:quæ verò minus habent terreæ ſubſtantiæ, aut eandem tenuiorem nanciſcuntur, abſtergunt magis,minus autem adſtringunt,quale marinum eſt. Quod demum à vehementiore calore excoquitur, efficacius mordet, vt armoniacum: artificialis,vt in lixiuio,calce,capitello, & ſalibus chymicis.

Chymici & Hermetici cenſent ſal reperiri in omnibus mixtis, velut principium generationis eorū; non quod illis per vſtionem, & cinefactionem communicetur, ita vt arripiat igneas exhalationes: nam abſq; vlla vſtione eliciunt ex plantarum ſuccis ſales eſſentiales. Vinum ſine vllo extraneo calore, ſal tartari ex ſuo ſinu producit: quædam terræ ſpecies,& fimus columbinus aquâ irrorata generant nitrum, aut ſal petræ. Sales fixi ſunt intra cineres, qui beneficio lixiuij, à parte terrena ſeparantur,& poſtea igne lento coagulantur, de quo loquitur Ariſtotel. Sed iſti ſales vel actu,

Lib 2. meteoror. c. 3 Galen. l. 8 de ſimpli. facult. §. tephra.

actu, vel potestate in variis mixtorum speciebus reperiuntur; qui dũ separandi sunt, certa præparatio requiritur, prout sunt in superficie, vel magis reconditi: quod verò salem potentia in se habet, vel virtute absconditum, id si minerale sit in calcem reducitur: si vegetabile & animale in cinerem vritur, ex vtrisque fit lixiuium, quod per filtrum traiiciendum, & coagulandum est. Attamen non omnis facultas à sale pendet, est enim in sale pinguedo, quæ præcipuas obtinet vires, vt supra ex Plutarcho citauimus.

Sect. 1. c. 2. §. 5.

4. *De acido, austero, & acerbo*

Acidus sapor gustum penetrat, & tenuitate ferit, sed citra vllum sensum caloris: talis maximè in aceto deprehenditur, in succo mali citrij, in quibusdam malis punicis, & coroneis. Emanat hic sapor ex tenui siccaque materia, cuius vel calor insitus putredine expirauit, vt in aceto, vel frigidior intemperies ab origine comes est, vt in dictis fructibus. Quocirca acidum penetrando, & incidendo, nihilò est acri infirmius. Acetum non absolutè acidum est, cum sit acrimoniæ particeps, vt docet Galenus. Propter caliditatem acquisitam, & à putredine vini impressam: vincit tamen in eo aciditas acrimoniam; vt acrimonia aciditatem, in oleis sulphuris, & vitrioli arte spargyricâ eductis, quæ propterea linguam vellicant, & rodunt, & sola exhibita insigniter calefaciunt. Hinc acidi saporis alia statuitur diuisio; in eum videlicet qui exactè talis est, & non exactè acidum, sed cum alio sapore dulci, vel amaro, aut acri coniunctum. Hinc acido-dulces fructus, vt mala punica, mora, pruna, cerasa: multi quoque fructus cum aciditate amarorem habent iunctum, vt mala Persica, & cerasa quædam.

Acetum verò Hermetici acidum esse aiunt, non propter qualitates frigidas, sed ob occultos illos spiritus salis acidos, qui vinculo sulphureæ substantiæ in officio continebantur in vino: quo soluto luxuriare effrenes solent, & occultam suam naturam, vtpote liberam & solutam, manifestam reddere. Sed num Dogmatici profitentur separato vini spiritu, ex eo ipsum acescere, vnde effectus quosdam refrigerantes exerit. Saporem verò acrẽ, acidum, ac attenuantem aceti, dissoluentémq; facultatem nasci censent Hermetici, ex eo, quod res acidæ, siue aquæ, siue succi sint, sale armoniaco perfusæ, ac asperfæ sint: atque idcircò acetum non tantum acre, sed tenuissimâ ac spirituosissimâ illâ salis substantiâ & essentiâ, penitissimas corporum etiam durissimorum partes penetrare dicitur: acetum namque stillatitium metalla dissoluit; quemadmodum citrei mali succus margaritas.

In hoc ergo differunt Hermetici à Dogmaticis, quia quod hi partiũ tenuitati, cum caliditate à putredine ortæ tribuunt; illi sali armoniaco spirituali ac volatili, cum humore aqueo permixto concedunt, qui à fixo promanat. Adhæc dicimus, plurimas ex variis mixtis substantias separari per destillationẽ, quæ potentiâ inerant in eis: & certè sal armoniacus non est ille qui dat saporem acidum, sed potius acrem, cùm sit terrestrior vini portio à suo sale fixo tartaro exhalante, & à ve-

hementiore calore excoquitur, efficacius mordet,& cœtera acritudine vincit. Acer enim vt dictum est fit potius absentiâ spiritus, & caloris natiui ipsius vini.

Acetum iuxta Dogmaticos cùm vini spiritus amiserit, & alienam qualitatem ex putredine contraxerit, partes habet frigidas, aliasque calidas, sicut vstorum lignorum cineres:cœterum calidã frigida exuperat:& licet crassos humores extenuet,ac vellicet, pariter tamen humores cohibet.

Quod est acidum teste Mesuë penetrat, aperit, incidit, attenuat, detergit, exasperat: quæ vires pendent ex subtilitate & tenuitate illius substantiæ, potius quàm ex aliquo notabili calore, nisi forinsecùs accesserit; distatque in eo maximè ab acri,quod foris impositum vim habet contrariam repellendi, & sistendi fluxiones, non quod astrictionem habeat,sed eius facultas frigida & exsiccans altiùs delata fluxiones repellit,sistit, ac cohibet.

Austerus siue stypticus sapor os & linguam moderatè constringit, exasperatque, & quodammodo siccat, & refrigerat, éstque valde peculiaris multis fructibus immaturis;vt in succo vuæ acerbæ, pomorum,pyrorum, mespillorum immaturorum,atque portulacæ.Consistit in media materia, quæ scilicet terrestris, & aqueæ naturæ est particeps,& in qua frigiditas exuperat. Quare omne austerum refrigerat, moderatè adstringit, & fluxiones repellit: hæc autem frigiditate potius atque siccitate efficit, quàm materiæ mediocritate. Quum enim in ea ipsa materia naturalis calor dominari cœperit, & aquea portio terrenæ perfectè mixta pepansim, hoc est, maturationem acceperit, tum depulsâ ac euictâ austeritate succedet dulcedo: sicque dulcescunt fructus austeri post maturationem, non tam materiæ, quàm qualitatis mutatione.

Acerbus ponticus & stipticus aliquando dictus, ab austero maioris tantum & minoris ratione dissidet, eò tamen grauior & molestior existit, atque os & linguam magis constringit, & exasperat: ac proinde magis tum siccat, tum refrigerat.Est verò hic sapor conspicuus in malicorio,in galla, in rhoë, & cupressi nucibus. Eorum materia planè terrena est & sicca, nec aqueæ humiditatis manifestè est particeps,quæ tamen teste Galeno, cuiuscumque saporis vires retundere solet, vt apparet in austero minùs astringente, & exasperante.

Acerbum omne quia frigidum fluxiones repellit; vt adstringens, humorum impetum sistit, & cohibet; vt verò siccans coarctat, & condensat, & vulnera cicatrice obducit; vt verò terrenum humores incrassat.

5. *De sapore dulci, vnctuoso, & insipido.*

Dulcis sapor gustu suauis est,& iucundus,nullâque qualitatis exuperantiâ molestus: elucet potissimum in saccharo, melle, manna, glycyrrhiza,lacte,passulis, iuiubis, & fructibus maturis. Ab vnctuoso verò dulce distinguitur, cum alioquin temperamento conueniant: sed humiditas pinguium est aërea, at rerum dulcium aquea: materia quæ in pingui tenuior est, in dulci paulò crassior.Quocirca dulce quadan

dantenus, sed minùs quàm pingue relaxat, magis verò asperitatem lenit: præterea quoniam & materiæ, & temperamenti mediocritatem obtinet, anodynum est, maturat, concoquit, & pus mouet. Obiicies Mesuem dixisse dulce esse lenitiuum & oppilans, quod conuenire non videtur. Respond. Mesuëm rectè sensisse dulcia esse lenitiua ratione humiditatis: sed ex accidenti obstruere, quia dulcia per os sumpta Iecur suâ cupiditate, cruda allicit, & vrit, vnde sequitur obstructio. Posset excipi saccharum & mel, quia ratione tenuitatis substantiæ celeriùs permeant.

Vnctuosus qui & oleosus & pinguis dicitur, dulcis est, nec calore, nec acrimoniâ gustum sollicitat, sed linguam orisque partes lentore quodam oblinit. Is conspicitur in oleo simplici, amygdalino, butyro, pinguedine; & moderatè in radice altheæ, liliorum, mucilagine psyllij. Nascitur pinguis sapor ex tenui & aërea materia, atque humida: ac proinde vis eius præcipua relaxare, emollire, & humectare.

Insipidus sapor ad dulcem accedit, deflectit verò magis ad frigiditatem, ob aqueam substantiam ab insito calore minùs elaboratam. Inuenitur in rebus imperfectè coctis & frigidis; propriè verò in aqua, citrullo, cucurbita, citro, spinachiis, blito, & similibus obseruatur; nullâ enim manifestâ qualitate linguam afficit; nec propriè sapor est, sed potiùs saporis priuatio. Huic materia tametsi crassa quodammodo est, nō tamen prorsus terrena, & sicca adstringens; sed humore quodam etiam perfusa, qui tamen non exquisitè sicco permiscetur vi caloris. Et quum neque ipsius frigoris vis superet, accidit necessariò vt nullo gustu sapor, nulla effectu qualitas aut facultas percipiatur. At nihilominus hæc eorum materia quoniam verè emplastica est, meatus omnes intùs & foris obstruit, exasperata lenit, & lubricat, soluta agglutinat.

6. *Sapores non ex salibus, sed ex temperie & materia pendere.*

Sapores non ex salibus prodeūt, vt putant hæretici, sed potius ex mixtorum temperamento, & materia, vnde ex saporibus illorum qualitates cognoscuntur, tum primæ & secundæ. Experimur siquidem in vino, quod vetustate fit calidius, acrius, tandémque amarescit: etenim ista saporis vini mutatio nō pendet ab ipsius sale, sed potius à mutatione temperamenti, partim à cœlo, & solo, partim à fermentatione comparati. Fructus qui initio sunt austeri, deinde acerbi, & acidi, tandemque coctione dulces reddūtur, mutant saporem temperiei alteratione, non mutatione salis. Præterea vt sales à rebus mixtis extrahantur, opus est artificio & maiori alteratione, quàm adsit in perceptione saporis, sensum gustus prōpriùs afficientis: delitescat sal quātum volueris in sinu substantiæ, non tamen tam facilè in actum reducetur, ex sola linguæ contrectatione, vel alioquin sales illi actu in superficie ipsa reperiuntur: cum videamus interuenire longam præparationem, vt separentur à substantiis, quibus potentiâ priùs inerant: destillatione, extractione, cinefactione, & similibus præparationibus vtendum est, vt sal emergat,

gat, & tamen primo appulſu ſapor antea guſtu apprehenditur. Ergo ſales non ſunt cauſæ ſaporum, ſicut nec ſulphura odorum, Mercurij colorum, vt docet Hermeticorum ſchola.

Quibus verò ſapores varij ineſſe deprehenduntur, vt abſynthio, quod præter amarorem, qui primus eſt obuius, adſtrictionem habere percipitur, diuerſæ quoque ſubſtātiæ ac facultates, vt detergendi, & adſtringendi, ſeu corroborandi inſunt. In cichorio facultates variæ conſiderantur, vt detergendi, & refrigerandi, quod ex contrariis ſubſtantiis & ſaporibus colligitur. Itaque ſic ex ſaporibus, de facultatibus & materia medicamentorum iudicium proferre valemus.

7. *De odoribus.*

Odores iuxta Hermeticos ex ſulphurea parte mixtorum prodeunt: Medici verò cum Philoſophis inquiunt, hos procedere ex vaporoſa ſubſtantia, non quacunque, ſed in qua tenue ſiccum præualeat, quod humido aqueo, aut aëreo ſit vi caloris diſſolutum, & res odorabilis ad nares delata ſenſum moueat odoratus. Odorum ſpecies nō poſſunt ita ab odoratu diſtingui, ob ſentiendi facultatis vim obtuſam, quæ odorum ſpecies varias difficilè ſecernere valet, & proinde diſtinguuntur pro diuerſitate ſaporum, cum quibus ſimilitudinem obtinent. Sic dicuntur odores dulces, auſteri, amari, vt qui putridum odorem expirant. Verùm cum naturæ odorum admodum ignari ſimus, vix poſſumus hâc viâ quidpiam certi de medicamentorum temperie coniectari: multa namque reperiuntur odorata, quæ cum ex ea parte tenuia ſint, vaporabilia, & calida; alterius tamen illi ſociatæ copioſioris ſubſtantiæ viribus, maniſeſtè refrigerare deprehenduntur, vt patet exemplo mandragoræ, violæ, & ſimilium: quæ cum plurimum oleant, non tantum nos refrigerāt, ſed inſuper acrium medicamentorum vim obtundunt; quod manifeſtè in roſa deprehēditur; cùm enim ex roſa odorem iucundum percipimus, inde tantùm coniicimus vaporem optimè attenuatum eleuari, tum etiam excoctum, ſed reliquas ſubſtantiæ roſæ portiones non diſcernimus, niſi ipſam guſtu apprehenderimus, ipſique ineſſe amaritudinem, dulcedinem, & auſteritatem, atque ex variis ſaporibus diuerſitatem tum ſubſtantiæ, tum temperamenti iudicauerimus. Sicque cognitio qualitatum mixtorũ ex odoribus valde manca eſt, & ex ſaporibus exactiſſima.

8. *De coloribus.*

Idem de coloribus dicendum, qui fiunt à diaphano mixto cum opaco: quò diaphanum quod non erat luminis capax, eo fruatur. Aër & aqua ſunt elementa diaphana, humida ambo; terra opaca eſt, ad coloris itaque productionem, concurſu aëris & aquæ opus eſt, quò diaphanum adſit: & ignis quo lumen explendeſcat: & terræ quò coniungat ſe opacum. Itaque vt variè ſe miſcebit diaphanum opaco, varij elucebunt colores; cum igitur plus diaphani acceſſerit, magis albeſcet color; nigreſcet ab opaco, ſed ſeruetur æqualitas in lumine: ex igne clariore & diaphano fiet color albus, hoc eſt, in quo

non aderit plurimùm opaci; sed excellit diaphanum, idq; vel aëreum, vel aqueum. Ex hoc patet quomodo ex coloribus non valeamus perfectè iudicare de temperamentis & qualitatibus mixtorum, primò quia humiditas imbecilla qualitas in corpore diaphano vincit, tum etiam quia difficilè cognoscitur, an in colorib⁹ humiditas aërea, vel aquea excellat. Denique species quæ sensum afficiunt sunt intētionales: & proinde colo res excedentium qualitatum incertissi ma proferunt indiciá.

De tertia medicamentorum facultate, seu proprietate occulta, & in quibusnam medicamentis reperiatur.

CAPVT IV.

1. *Tertiam facultatem non ex primus, sed ex aliis excellentioribus qualitatibus oriri, aduersus doctiss. D. Merindolū professorem medicum Aquensem.*

PRÆTER primas ac secundas medicamentorum facultates, tertia quædam dicitur occulta, & inexplicabilis, quod eius certa ratio minimè reddi possit, nec scientiâ exactissimâ comprehendi, sed per solam cognoscatur experientiam, tum etiam quod non à temperamēto, non è materia, sed è tota rei substantia atque forma primùm ac per se proficiscatur: ac proinde occulta otius substantiæ proprietas appellari solet.

Sciendum est Deum summè bonum naturæ opificem, herbas, stirpes, animalia, & reliqua hominis gratiâ fabricasse. qui finis quodammodo est rerum naturalium: ideóque finis vltimus eorum non tantum est vegetatio, aut vt tanquam peculiaria animalia viuant, sed vt homini vice alimenti, aut medicamenti inseruiant. Verùm quæ à primordiis creationis diuinitùs concessa Moyses profitetur, vires suas in semine retinuerunt: germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum, cuius semen in semetipso sit super terram. Postea piscibus & auibus iuxta speciē suam benedixit Deus: crescite & multiplicamini, & replete aquas maris: auesque multiplicentur super terram: vnde iuxta illam diuinam benedictionem, quæcunque ad finem hominis, & vsum creata sunt, semen iuxta speciem suam obtinuerunt, vt posthac propagari & perennare possint. Tanta est potestas seminij, vt ex eius debita præparatione prodeāt & emergant formæ naturales, & rerum proprietates, non antea actu existentes, illinc simul & tota formæ proprietas defluit, quæ quamquam accidens est, à forma tamen nunquam seiungi separarive potest. Hoc vno maximè proprietas à sua forma, & à tota substantia disiungitur, quod plerumque imminuitur integrâ illæsaque formæ substantiâ. Scammonij vis est bilem expellere, ea

1. Genes.

sæpè adeò remittitur, vt exhausta tota periisse credatur: magnes adamantis præsentiâ quasi hebetescit, quæ quamuis ita sint, nusquam tamen dicemus, id cuius extenuatur proprietas substantiam mutasse: ex quo perspicuum euadit, hanc proprietatem accidens & qualitatem, non autem rei substantiam esse. Id quod inde etiam constat, quod vna eademque res complures sæpè proprietates habet, at complures substantias nunquam. Hinc sequitur quod effectus illi, quos occultis proprietatibus tribuunt, à formis substantialibus immediatè non producantur.

Semina autem non ex mixtione elementorum immediatè proficiscuntur, sed generando à singulis speciebus viuentium per traducem quasi propagantur & conseruantur. primùm autem originem habent semina, & in semine spiritus insitus, calidumque innatum, & humidum radicale, ex prima rerum creatione, iam creatis & constitutis elementis, singulis rerum viuentium speciebus, omnipotentis creatoris vi indita sunt, & cœteris indiuiduis inde ortis per generationem, beneficio seminis communicantur. Non proinde negamus istas seminis partes, in quibus tanquam in proprio subiecto consistit formæ naturalis proprietas, etsi supra sint elementa, elementis tamen, & mixtis ex elementis esse consociata, vnde congeneres cum ipsis obtinent qualitates.

Verùm quidam rursus ad elementa confugiunt, dum dicunt occultas qualitates ex variè mixtorum singulari temperie nobis planè incognita, Deo, & naturæ soli nota oriri; neque aliud esse quàm latentem mixtorum ἰδιοσυγκρασίαν, eamsim ignorari, & ob id occultas vocari qualitates, quæ ideo excellentiores sunt, cum præcipuè à forma ad tam mirificas actiones diriguntur: principium hoc modo petitur, non enim ex primis qualitatibus ob modum mixtionis indibilibus, occultæ qualitates tantarum viriū, & quæ supra facultatem sint suorum principiorum, oriri possunt: & occultus mixtionis modus nullas nouas vires inferre potest. Non enim videmus quomodo formæ occultarum qualitatum authores ab elementis deduci possint; cùm elementorum formæ simplices nullam omninò potentiam habeant ad vim exempli grat. purgandi, aliosque occultos & mirandos effectus, qui supra omnem elementorum sortem sunt, edendos: & certè actiones illæ potentiores, quæ in venenis, & aliis plurimis apparent, non proueniunt à temperie, cum nunquam fuerint in potestatibus elementorum. Meritóque vrgemus nihil agere vltra virtutem suæ speciei: seu nihil posse causare vt ita loquar vltra actum suum adæquatum, cum is totam potentiæ virtutem impleat. Quomodo autem ex manifestis qualitatib⁹ deducetur vis magnetis, pœoniæ, rhabarbari, & similium: cùm calefactio sit adæquatus actus caloris, seu potentiæ calefaciendi, refrigeratio frigoris, &c. operatio sequitur naturam formæ, ergo cū sint nobiliores operationes quàm illæ quæ in elementis reperiuntur, à nobiliori etiam forma qualitates occultæ procedunt.

Neque est quod existimes omnis philosophicæ demonstrationis initium ex principibus qualitatib⁹ elementaribus, non aliunde duci. Si

quis

quis enim albam rosam proferens coloris causam roget, hácque velis frigidiori temperamento tribuere, quid quæso de rubra dices? intybi species lacteumne idcirco succum fundunt, quod frigidæ sunt. At cõplures calidissimæ, quales sunt tithymali eodem succo madent: & aloë idcircóne est amara, quia calida? atqui in opio quòd pernicioso frigore necat, amaritudo inest eximia. In odoribus maior est controuersia, vix vt vllus sit, quem ab elementorum certis qualitatibus expirari docere possis. Quorsum hæc nisi vt intelligatis, nec totius substantiæ proprietates, nec odorum colorumque naturas, ex primis dũtaxat qualitatibus deduci: & licet dictis rationibus, facultatum occultarum origo aliunde deducatur, quàm ex elementis: attamen id magis elucescet ex aduersariorum argumentorum refutatione.

2. *Contraria opinionis argumenta refutantur.*

Obiicies primò, nullam esse qualitatem actionis alicuius transeuntis productiuam, quæ sibi similem producere non sit nata: in rerum autem natura lumen solum, & quatuor primæ qualitates, sunt natæ sibi similes producere. Ergo oportet has solas esse actionum transeuntium productiuas. Occultæ verò facultates cùm obtineant operationes transeuntes, necessum est illas à prędictis qualitatibus produci. Respond. præter istas vulgares qualitates alias esse nobiliores, quas vocant magneticas, in distans agentes, vt cõstat ex virib⁹ & operationibus illarum, & proinde dicimus inesse magnum inter qualitates istas discrimen: quia elementares vulgares sunt, hæ verò peculiares & occultæ: non enim sunt hæ in substantia eâdem formâ donatæ, neque actu, sed tantum potentia, & in seminario; vnde virtute agentiũ naturalium, tã vniuersalium, quàm particularium nouum fit corpus, in quo sanè latet quinta illa essentia tot dotibus ornata, vt supra elementarem naturam antecellere videatur: de qua sæpè multa proposuimus.

Notandum ergo est istas qualitates occultas, non solas diffundi in aliud subiectum, sed cum ἀπορροίᾳ seu effluxu corporeo, cum propria forma communicari: cum enim vires & facultates occultæ inseparabiliter suam formam comitentur; in illo etiam succo exempli gr. seu parte medicamenti, à reliqua crassiore & inutili mole separata, formam occultarum virium & actionum causam esse statuimus: vnde similis qualitatis introductio per actionem transeuntem communicata non immediatè à primis qualitatibus dependet, sed etiam proximè ab aliis occultis, quæ tamen prioribus sunt congeneres. Vnde reddimus rationem quomodo non ab illis quatuor qualitatibus principibus actio quælibet, aut proprietas procedat; cum aliæ sint in rerum seminariis excellentiores, quæ occultæ tamen appellantur, & quasi quintam essentiam constituunt. Sect. 1. c. 4. & 5.

Obiicies secundò frustra alias facultates excogitari, cùm omnis alteratio ad primas qualitates variè temperatas, cum particulari modo substantiæ referri possit, si non integrè, saltem ex parte. Respond. multas esse actiones medicamento-

rum tam purgantium, quàm alexipharmacorum, & similium, quæ non sequuntur vires calefaciendi, refrigerandi &c. sed potius totius substantiæ & formæ qualitates occultas: & proinde facultates aliis excellentiores sunt admittendæ.

Obiicies tertio, id verè agendi principium est, quo perseuerante actiua facultas durat, & pereunte cessat: sed temperie & substantiæ modo, eorum quæ occultis facultatibus agere dicuntur, perseuerante, eorumdem etiam vis actiua perdurat, & pereūtibus cessat. Ergo principium agendi eorum quæ occultis facultatibus operari dicuntur, non aliud est quàm eorum definita temperies, & substantiæ modus. Respond. ad minorem aliquando interire mixti temperiem, & tamen facultatem occultam subsistere, vt in salibus chymicis destruitur medicamentorum temperies, permanet tamen illorum proprietas radicalis, quæ in terrestriori portione consistit. Idque probatur exemplo hydrargiri quod chymicâ arte diuersas mutationes subit, & mixtione aquæ fortis dissolutum, aquâ salsâ præcipitatur in puluerem, qui tamē vim purgatricem non amittit, sed potius maiorem patefacit: annon perdidit temperiem, & modum substantiæ? non tamen purgandi vim; vnde hoc? nisi quia illam formam quam à natura habuit, & in penitiori ac terrestriori substantia reconditam obtinuit, non obstante præuiâ illâ mutatione; suam vim non obtundit, imò magis demonstrat.

Obiicies quartò substantiali medicamentorum formâ pereunte, cōsimili tamen qualitatum temperie, parique substantiæ modo in materia perseuerante, eandem in medicamento conseruari facultatem: & contra his variatis illam perdi experimur. Sic rhabarbari infusio, & sennæ decoctū, in quibus nec rhabarbari, nec senæ vegetalem formā residere credi potest, vim tamen purgatricem retinent. Respond. in vegetabilibus proprietatem occultam non pendere à forma vegetatiua, quia illâ pereunte remanet illorum facultas, quæ non prodit à temperie, aut modo substantiæ, sed à qualitatibus occultis in seminio productis, & profluentibus ab alia forma partiali, quæ concurrebat cū forma totali vegetabili: nec aliquid absurdi admittitur, si præter formam vegetatiuam alia medicamento concedatur, quatenus ad talem finem præordinatum est. Notandum tamen est occultas rerum proprietates to as quidem à forma, & è tota rei substantia emanare, aptâ tamē & variâ subiecti præparatione, quò suscipiantur, conseruenturque indigere, quæ magnum habent ad iuuandum impediendumque momētum: hæc sic habere argumento est, quod immutatâ subiecti præparatione, ea ipsa proprietas aut hebetiùs, aut acutiùs agit. Succinum attritu incalescens, & pharmacum nostro calore suscitatum, celerius valentiusque redditur. Nihil igitur mirum videri debet, si vapor aut aqua arte è stipe elicita, stirpis vim proprietatemque retinet, etiamsi forma vegetatiua fuerit dissoluta: quia manet adhuc calidum & humidum naturale, in quo forma plātæ viget, etiamsi vegetandi munus abierit.

Fateor multa à viuorum forma prodire, verbi grat. cor hirundinis palpitans deuoratum conferre creditur

ditur ad memoriam & intelligentiam. Turturis cor ad febres omnes intermittentes, si viuens calensque voretur. Cor pipionis mox auulsum sanguinis fluxum sistere. Viuens aranea iuglandis testis inclusa, colloque subnexa quartanam depellere. Ranarum oculi ante solis ortum eruti, viuis illis in aquam dimissis, alligati tertianas abigere traduntur: omnium serpentum dentes euulsi, quartanas sanare: talpæ viuentis dens, dentium dolores compescere contactū.

Multa alia sunt quæ à demortuis animalibus sine vlla præparatione & coctione suas vires producunt, quemadmodum hominis calua ad epilepsiam; ossiculum è poplite leporis ad nephritidem, & ad spasmum flatulentum: intestinum lupi ad colicum dolorem: piscium quorundam ossicula ad calculum: cor cerui gestatum ad inhibendum somnum: cor vespertilionis ad eum accersendum: ad asthma vulpeculæ pulmones: calculo hircinus sãguis: anginæ hirundinum vstarum cinis, & albi canis stercus proprietate succurrit. Quorum & similium ratio non à temperamento, non à modo substantiæ, sed à tota substantia, seu proprietate occulta repetenda videtur, quæ ab illa forma cum calido & humido permanente depẽdet, etiam in discessu animæ. Eo enim fine concessit naturæ author istas formas, vt vitæ munere amisso, etiam ad medicamentorum vires conseruandas hominibus inseruirent. Proprietas occulta dicitur magnetica, quia ad distans agit, per effluuium spirituosum à corpore tali vi prædito emanans.

Obiicies quinto, si proprietates huiusmodi vel à forma nascerentur, vel illi congenitæ eidem necessariò adhærerent, formæ naturam proximè sequerentur, eâque integrâ, integræ, & inuariatâ, inuariatæ perdurarent. Sed formis medicamentorum nullum detrimentum passis, eorum proprietates vel imminuuntur, vel abolentur. Ergo eas potius à primarum qualitatum temperie, quæ facillimè mutatur, & à tali substantiæ modo, qui senio solo variatur: quàm à substantiali forma oriri concedere æquum est. Resp. hoc argumentum probare tãtum differentiam formæ substantialis, & proprietatis occultæ accidentalis, quam nos etiam concedimus; hinc fit vt proprietas imminuatur, integrâ illæsâque formæ substantiâ: verumtamen non conuincit qualitates occultas à forma non manare, id est in operatione sua, ab illa tanquam à causa principali non pendere, cùm ipsa forma sit principiũ motus & quietis eius in quo est. Concedimus etiam qualitates elementares tanquam adiuuantes causas concurrere cum qualitatibus occultis, tum etiam modus substantiæ, sed illis solis non tribuitur proprietas & vis occulta, quæ ad nobiliores alias qualitates spectat.

Obiicies sexto, entia vt fert vulgare Philosophorum axioma, non sunt multiplicanda sine necessitate: sed quæ nouis illis facultatibus tribuuntur, omnia possunt ad primarum qualitatum efficientiã particulari substantiæ modo consociatam referri. Ergo non debent aliæ facultates actiuæ, ab illis independentes introduci. Minor probatur à D. Merindolo variis exemplis, & inter alia loquens de Alexipharmacis, vult venena oppugnare qua- *Exercitat. 9.*

ſitate manifeſta cum peculiari modo ſubſtantiæ coniuncta: ita inquit Elephantiaſim ab vſtæ melancholiæ, aut acrioris pituitæ ſaltem malignitate excitatam, incipientem quidem reprimere veronicæ herbæ decoctum per plures dies potum, eandem verò progreſſam etiam curare, tum viperarum, tum vulgarium anguium elixas carnes eſas, tum hydrargirum illitum. Et cancrorum fluuiatilium cinerem, aut gentianam, venenum hydrophobiam inferentem emendare. Quos effectus procedere putat, ex prædictorum calore & ſiccitate, tenui admodum ſubſtantiæ modo inhærente: à quibus talium venenorum humoroſus aut vaporoſus lentor, craſſitiéſque eorum actiuitatem noſtræ naturę corruptricem intendés, ſic attenuatur, vt eorum ſubſtantia peruadi faciliùs poſſit, eáque liberè peruasâ, malignitas ei adiuncta iam inde retuſa, deinceps naturæ viribus integrè vincatur & ſuperetur.

Ad hæc reſpondemus veronicam nec caliditate, nec ſiccitate, aut aſtrictoriâ qualitate, ſed peculiari virtute canceroſis vlceribus mitigandis conuenire: quia illæ vires manifeſtæ, vt in ſimilibus quibus inſunt talia non peragunt, tam mirabilem effectum præſtare non valent. Viperæ habent vim ſiccandi, digerendi, & moderatè calefaciendi, ſed præterea nobiliores alias qualitates obtinent, per quas excrementa ad cutem propellunt, atque virus ſi quod ſit oppugnant, quæ vires à primis qualitatibus emanare non poſſunt. Vnde Galenus viperas multum conducere ad Elephantiaſim pluribus hiſtoriis probat. Vbi verò de cancris fluuiatilibus agit, Pelopem præceptorem *Lib. 11. ſimpl. cap. 1.* ſuum vellicat, qui cauſam reddere vellet cur ij medeantur demerſis à cane rabido; ſic enim poſt alia multa: nam cancrorum cinerem quia exſiccandi vim habeant, mordentium canum venenum abſumere, ſimúlque digerere: ita enim dictitabat Pelops ambitiosâ profeſſione iactitans ſe talium omnium cauſas nouiſſe. At niſi me planè ſcire quippiam ante perſuaſum habeam, propinquis perſuadere non tento. Itaque nec Pelopis rationem contra quam videbam multa dici poſſe, pro vera recepi: nam & cancros prodeſſe puto ex proprietate totius ſubſtantiæ.

Ergo velle illas proprietates, ad vulgares qualitates particulari modo ſubſtantiæ coniunctas reuocare eſt inutile. Vel fateri nos oportet aliquas eſſe nobiliores qualitates à forma promanantes, quæ tamen ſolâ experientiâ cognoſcuntur, & quæ vires ſuperant primarum qualitatum elementarium.

3. *De medicamentis occultâ qualitate agentibus.*

Tertia igitur medicamentorum facultas, quæ in tota rei ſubſtantia conſiſtit, tanquam in noſtræ ignorantiæ aſylo, magnam habet latitudinem, complectitúrque ſub ſe purgantia, morbos occultâ vi curantia, partem quandam reſpicientia, periammata, ſeu ſuſpenſa medicamenta, & venena, eorumque alexipharmaca.

Catharticum ſeu purgatiuum dicitur, quod vitioſum & ſibi familiarem è corpore trahit humorem, vt ſubindicauit Hippocr. Etenim cùm medicamentum corpus ſubierit, primùm quidem quodcũque *Lib. de nat. human.*

que

quę sibi ex omnibus quæ in corpore insunt, secundum naturam maximè familiare fuerit, educit: deinde verò etiam reliqua trahit & purgat. Non aliter quàm quæ ex terra oriuntur,& in eam conferuntur, vbi terram subierint, eorum quodque trahit quod suæ naturæ accommodatum in terra inest. Est autem & acidum, & amarum, & dulce,& salsum, & cuiusque modi. Imprimis igitur ex eo plurimum quod suæ naturæ accommodatum fuerit ad se allicit, tum etiam reliqua attrahit. Tale etiam quiddam medicamenta in corpore faciunt: quæ enim bilem educunt, primùm meracissimam quidem bilem purgant,deinde mixtam. Itémque quæ pituitam respiciunt medicamenta, primum quidem eam meracissimã educunt,post etiam mixtam. Quidam comparant illam purgantium tractionem, fermentationi & agitationi humorum affinium, quibus segregatis vtpote noxiis,& à medicamento simul natura stimulata,& catarthicum, & humorem vnà vitiosum expellit. Vide apud Galenum quî explicet facultatem tractricem purgantium. *Lib. 3 de simpl. facul. cap. 25.* Hermetici aliter vis purgatricis naturam explicant, vt infra declarabitur. *Cap. 7.* Quod verò sine delectu ac promiscuè quosuis humores euacuat, verè purgatorium dici non debet, vt antimonium, cataputia maior, & similia:sed quod familiarem ac proprium, ad quem ipsa eius facultas dirigitur, educit ac purgat. Ista enim violentiora ad interitum sæpè præcipitant; de hisque loquitur Galenus dũ scribit catarthica qualitatem quandam deleteriam & venenosam habere. *Cap 12. lib. de vict. acutor.* Quod sic confirmat Actuarius: *Cap. 7. lib. 3.* medicamenta purgantia communi quadam generis ratione, ex censu sunt eorum quæ perniciem creant, atquè deleteria, & nostri venenosa ac mortifera appellant. Verùm ab his quæ sunt magnâ corrumpẽdi vi prædita dissident,quod hæc eadem quantitate non perinde ac corrumpentia interimant. Tanta verò est antipathia inter purgantia & nostram naturã, vt odore solo displiceant, ita vt totum corpus concutiant, ventriculum subuertant, & quibusdam ex solo olfactu aliquando aluum subducant.

Purgantium medicamentorum alia è toto corpore,alia ex vna quapiam particula trahunt, quæ è toto corpore purgantia dicuntur:& eorum quædam attractum humorem vomitione reddunt, vt asarum, & veratrum album:quædam deiectione,vt rhabarbarum, scammonium. Quæ ex vna quapiam parte, aut ex cerebro per os atque palatum, vt apophlegmatismi,aut per nares, vt errhina, aut ex vtero per ceruicem superfluum humorem trahunt, vt Aristolochia, myrrha. Cœterũ quæ vel vrinas cient, vt petroselinum, vel menstruas purgationes, vt Arthemisia,vel excreationes mouent, vt hysopus, quoniam non attrahendo,sed vel detergendo, vel extenuando,atque penetrando excrementa depellunt, ad secundas facultates referuntur.

Innumera sunt & mira medicamenta simplicia, quæ per os sumpta, aut exteriùs tantum adhibita, cœcâ vi ac specificâ proprietate morbos futuros arcent, & facti s perfectè sanant, aut mirabiles alios effectus proferũt. Multa etiam sunt simplicia, quæ proprietate specificâ partes quasdam recipiunt,vt caput, cephalica

cephalica betonica, rosmarinus, saluia, maiorana, melissa, stœchas.

Ophtalmica oculos, vt sunt euphrasia, chelidonium, fœniculum, ruta, horminum.

Odontica dentes, vt lentiscus, myrthus, laurus.

Pulmonica pulmones, vt herba pulmonaria, Iris, hysopus, prassium, pescati, passæ, strobili, pistacia, dactyli, iuiubæ, pulmo vulpis, flores sulphuris.

Cardiaca cor, vt borrago, buglossum, carduus benedictus, scabiosa, vlmaria, oxytriphilum, viola, rosa, crocus, lapides pretiosi.

Quæ stomachum respiciunt stomachica dicta, absynthium, mentha, anetum, nux moschata, mastiche. Hepati familiaria sunt hepatica, vt agrimonium, cichorium, fumaria, rhabarbarum.

Splenica sunt, ceterach, hemionitis, capparis, tamariscus, epithimũ.

Neruos proprietate roborant, saluia, rosmarinus, primula veris. Articulos, & hæc, & chamæpytis. Vterina vterum roborant, hysterica dicta, vt arthemisia, matricaria, tanacetum, nepeta, valeriana, sabina.

Ad medicamenta quę abditâ facultate quasdam ægritudines soluunt, pertinent quæ periammata, periapta & amuleta, hoc est alligata & suspensa remedia vocantur. Ea autem duûm sunt generum: alia enim solis characteribus & verbis constant, alia simplicibus collo, aut alteri membro subnexis. Priora tãquam infida, incertaque aspernantur Medici; vtpote cùm nec voces, nec verba possint vllatenus tollere morbum, nisi adiumento cacodæmonum à perditis viris inuocatorum, vt postea fusiùs ostendemus. Ex horum dæmonicolarum taberna profluxerunt omnes tenebrarum libri, quos improbatæ lectionis Vlpianus Iureconsultus vocat, protinusque comburendos esse statuit; cuiusmodi primus excogitasse dicitur Zabulus quidam illicitis artibus deditus; deinde Barnabas quidam Cyprius, & nostris temporibus Cornelius Agrippa, atque alij viri multi perditi, inter quos Paracelsus, cuius impietas sordes omnium vitiorum comites habuit, primas sibi vendicauit.

Alia verò amuleta, quorum vis magnetica censetur, non omninò à Medicis improbantur, & reuera proprietate quadam abditâ, effectus sæpè salutares proferunt. Experientia enim docet radicem pœonię collo appensam Epilepsiam sanare. Idem præstat viscus Quercinus, vt etiam vngula Alces, vel onagri. Stercus lupi ad ilia gestum colicos dolores, teste Aëtio, sedat: similis effectus tribuitur ipsius intestinis siccatis, & ventri adhibitis. Radix cynoglossi collo alligata linguæ nigredinem delet. Dictamnus adhibitus incredibili proprietate spicula trahit. Hydrargirus gestatus à morbis pestilentibus tuetur. Æthites lapis inter mammas alligatus fœtum retinet, femori adnexus præcipitat. Iaspis appositus sanguinem sistit. Magnes manu detentus, chyragricorum, & podagricorum dolores leuat. Hæc verè naturalia censentur, sed permulta sunt inania & anilia, quæ hominum superstitionem occupant, qualia à diuersis authoribus enarrantur.

Fernelius 2. de addit. rer. caus. cap. 16. Renodaus 1. institut. Pharmacit. c. 12.

Occulta quoque qualitas venenis inest, cuiusmodi sunt quæ præter manifestam qualitatem, quâ calefaciunt,

calefaciunt, erodunt, refrigerant,& ſtupefaciunt, occultâ etiam proprietate ſubſtantiam ipſam deſtruũt ac corrumpunt,& putredinem cum fœtore inducunt; vt cicuta, anthora, napellus, aconitum, ſublimatum, & alia quãplurima. Atque horum alia toti corpori, vt quæ dicta ſunt; alia certis partibus inimica, vt lepus marinus pulmonibus, cantharides veſicæ, aconitum vtero; cerebro cicuta.

Deſumuntur venena, vel à plantis, vel animalibus, vel mineralibus: à plantis, vt à papauerum genere, ab hyoſchiamo, & mãdragora, quorum licet qualitas perhibeatur venenata, vſus tamen quotidie feliciter ad morborum curationem celebratur. Aconitum pharmacum quidem toxicum eſt, oculorum tamen medicamentis, leuandi doloris gratia adiicitur. Ex animalibus autem venenatis quotidie medicamenta parantur: nam caro ſcincorum pigrioribus maritis ad ciendum libidinis œſtrum ſæpè datur. Viperæ elephanticis, & venenatis affectibus detentis, quaſi miraculo proſunt. Ex mineralibus denique, venena quamplurima habentur efficaciſſima, tam ſponte naſcentia, vt hydrargirus, cinabaris, gypſum, miſy, ſory, ſandaracha, magnes, antimonium crudum, atque adamas: quàm arte talia reddita, vt ſublimatum, calx, ærugo, ceruſa, aqua fortis, & alia innumera quæ potiùs ignorari, quàm ſciri præſtat.

Alexipharmaca & alexiteria ſunt, ea medicamenta quæ venenis reſiſtunt. Diſtinguebantur olim inter ſe teſte Galeno, vocabantque alexipharmaca quæ deleteriis & venenis ore ſumptis aduerſantur: alexiteria verò quæ beſtiarum venenatarum ictibus medentur, ſed hoc diſcrimen nihili Galenus æſtimat: hæc totâ ſubſtantiâ, ſeu occultâ proprietate operantur. Sunt autem alexipharmaca duplicia, alia communia, quæ omnibus venenis aduerſantur, quæ in peſte præſertim, & peſtilentibus, ac malignis febribus, & vbi venenum in ſpecie non innotuit, exhibentur: alia peculiari veneni generi opponuntur.

Ferrelius 2. de abdit. rer. cauſ. cap. 16. Renodæus lib. ... Pharm. ... cap. ...

5. de ſimplic. facult. cap. 18.

Communia alexipharmaca ſunt, angelica, carduus benedictus, ſcordium, Valeriana, dictamnus, ſcabioſa, morſus diaboli, vincetoxicum, pimpinella, tormentilla, ruta, acetoſa, abſynthium, plantago, calendula, veronica, ſcorzonera, zedoaria, gentiana, baccæ Iuniperi, pomacitria, lapis bezoar, vnicornu, cornu cerui, bolus armena, terra ſigillata. Quæ verò ſingulis venenis aduerſantur pluribus tradidit Dioſcorides.

Galenus medicamenta huiuſcemodi, quod media ſint inter corpora patientia, & deleteria medicamenta ac venena, dici vult alexipharmaca: Galeno tamen contradicit Auerroës, & reprehendit eos qui exiſtimant bezoardica eſſe media inter medicamenta & venena: hoc argumento, quia media & extrema ſunt eiuſdem generis, ideoque ſimilia ſunt: at bezoardica non ſunt eiuſdem cum veneno generis. Ergo dici debent prorſus illi contraria, non media. Ad primam propoſitionem, non dicit Galen. eſſe media inter medicamenta & venena, ſed inter corpora & venena. Nã per hanc mediam qualitatem, corporis naturam à veneno oppreſſam adiuuant, & venenum etiam expellunt, ob analogiam quam cum eo habent, ſine qua agere non poſſent.

Lib. de mater. med. loco cit.

Ideò ferè omnia quæ deleteriis aduersantur, si largiùs sumpta fuerint grauiter animalis corpus lædunt: si parciùs à deleteriis vincuntur. Ad illam verò propositionem, media & extrema sunt eiusdem generis: Respond. hoc esse verum de medio per formalem vtriusque participationem, non de medio per analogiam, secundum quam alexipharmacum contra venenum pugnare possit;& proinde partim simile, partim contrarium seu medium, maximè vt faciliorem inter se habeat commutationem. Quare non est eiusdem generis cum veneno, neque ei omninò simile, sed medium. Ad id quod dicit Auerroës, hæc medicamenta summè contraria venenis esse debere, non media improbatur: quia alexipharmaca qualitates corpori aduersissimas obtinerent, & sic noxia essent, non minùs quam venena. Maneat Ergo Gale. opinio, alexipharmaca mediæ esse naturę inter corpora & venena.

De remediis extraordinariis & trans naturam.

CAPVT V.

1. *An verbis & incantationibus vis morbos sanandi insit.*

INTER remedia extraordinaria annumerantur, quæ à dæmonum præstigiis repetuntur, & verborum, aut characterum potestati attribui solent. Vnde occurrit quæstio an verbis & incantationibus vis insit morbos sanandi, aut mirifica perficiendi? non videtur immunis Origenes ab hoc errore, referente R. P. Martino Delrio 1. hãc opinionem sequuti sunt medici Q. Serenus 2. Ætius 3. Octauianus 4. Traillanus etiam conatur Galeno adscribere: cõsentiunt Arabes fere omnes, Cabalistæ & recentiores Iudæi, magi quoque omnes cũ Agrippa & Paracelso. Plinius 5. & cum eo recentiores quidam Platoni minùs addicti, in quorum serie est Picus 6. Ficinus 7. Pomponatius 8. Ex Iurisconsultis etiam Grillandus 9. Et Petrus de Loyher 10. Augustinus Thuanus 11. dicens verba medẽtur morbis corporis, &c.

Lib. 1. disquisit. magico. cap 4. quæst. 3. 2. lib. de remed. 3. lib. 8. cap. 5. 4. in euporist. 5 lib. 28 cap. 2. 6 in posi tio. mag. 7. lib. de vita studios. 8. lib. de incantatio. 9. de sortilegiis quæst. 8. 10. lib. 1. de spectr. cap. vlt. 11. in parabata vinctor.

Verùm hi omnes diuersis fundamentis nituntur: quidam impiè negant, curandum hisce rebus dæmonum opera interueniat necne, (vt Paracelsus) qui proinde satis indicant, ea naturaliter non perfici: & hoc dicere hæreticum est. Alij, vt quos citaui Medicos, & Plinius solis adhærent experimentis; & quæ fieri vident, leuiter nimis illis ipsis, quæ cernũt adhiberi mediis adscribunt, de iis quæ non vident nihil cogitantes. Platonici quoque Physiologiæ nimis astricti, magicis autem nugis nimis creduli, facilè pro naturalibus superstitiosa multa receperunt.

Contra quos statuimus nulla vocabula vim habere naturalem, vel morbos sanãdi, vel noxas alias depellendi. Quæ conclusio est omniũ Patrum, D. Thomæ, Gersonis, & cunctorum Theologorum: Vlpiani I. C. 12. negantis incantationes Medicinis annumerandas: fuit medicorum

12. lib. 1. de extraord. cogn.

13. lib. de morb. sacro. 14. lib. 6. & 10. simpl. 15. lib. de magia Paracelsica.

dicorum Hippocratis 13. Galeni 14. Fernelij, Beniuennij, Langij, Vallesij, Ferrerij, Scaligeri, Codronchi, Bochelij, Greuini, Erasti, D. I. Fontani parentis col. 15. & Philosophorum saniorum Theophrasti, Plutarchi, Vairi, Antonij Mirandulani. Præter authoritatem ratio id probat: verba nullam vim neque artificialem, neque naturalem, neque supernaturalem habent ad huiusmodi effectus; de vi artificiali nemo vnquam suspicatus fuit. Supernaturalis si foret: aut gratiæ miraculi foret, hoc autem dici nequit; quia Deus nihil tale promisit, nec Ecclesiæ reuelauit, quale magi iactant: nec iuuat Deus magicas incantationes, nec in Belzebuth sic operatur, ne gloriam illi suam eâ mensurâ communicet, quâ solet Angelis & beatis. Si supernaturalis ista vis non est, restat vt sit prodigiosa, vel naturalis. Si prodigiosa non fit ministerio bonorum Angelorum: quia hi non se immiscent magicis operationibus, vt probat Delrio. Ergo ministerio malorum, quod negant aduersarij, sed vim argumenti non euadunt; fatentur alij, & ideo etiam nullam vim verbis tribuunt. Denique verba nullam habent vim naturalem: quia si scripta, sunt quid mortuum, & omnis energiæ expers: ore verò prolata verba sonum potius afficiunt, quàm tactum, quia illius sunt obiecta. Quare cum ad sanationem corporis necesse sit sensum tactus immutari: fateamur oportet sanationi morborum solam verborum prolationem, vel scriptionem nihil conferre.

Lib. 2. disquisit. magica quæst. 2.

Respondet Pomponatius verbis primò & per se auditum, affectionibus deinde animi immutatis per accidens quoque tactum immutari; quod contingere ait, propter fidem vehementem incantatoris, & incantati, cuius opinioni fauet Ferrerius, qui fiduciam hanc ab adstantibus etiam exigit. Vnde Vallesius inquit, incantationum vtilitatem constare ex accidenti, ob affectus animi eius qui curatur, non per naturalem verborum potentiam.

Lib. 2. meth. c. 11. lib de sacra philos. c. 3.

In eo conueniunt omnes imaginationis vim esse maximam: & quia vis hæc cõsiderari potest, vel quoad corpus ipsius imaginãtis, vel quoad corpus alterius, certum est quoad proprium corpus imaginantis plurimùm in illud posse, id tamen non præstare immediatè, vt docet D. Thomas: non enim ex apprehensione sequitur aliqua immutatio corporis, nisi apprehensioni adiuncta fuerit affectio aliqua, vt gaudij, vel timoris, vel concupiscentiæ, aut alterius passionis. Huiusmodi autem passiones accidunt cum aliquo motu determinato cordis: ex quo sequitur vlterius immutatio totius corporis, vel seccundum motum localem, vel secundum alterationem aliquam: vnde adhuc remanet quod apprehensio spiritualis nõ alterat corpus nisi mediante motu locali.

Lib. 3. contra gentes c. 103.

Exempla virium imaginationis affert Thomas à Veiga, & quomodo ex facultatum subordinatione animum & corpus afficiat: circulatores verò (inquit) dum vel figuris, vel verbis sanguineos fluores compescunt, aut tela quæ auelli nõ poterant, infixa nullo negotio trahunt, non tam ob fiduciam eius qui sanatur id fit; quam quod magis videtur, ex spiritus iniqui commercio talia parantur.

Comm in cap 84. artis par. in fine.

Quantum ad corpus alienum,

asserimus imaginandi vim non posse in corpus alienum disiunctum agere. Quod probat R. P. Suarez; quoniam imaginatio est actio immanens: & ideo anima imaginans nullam realem qualitatem potest imprimere rei disiunctæ, quod vt in eam agat foret necessarium.

metaph. disp. 18. sec. 8. num. 25.

Obiicies maculas fœtus ex matris imaginatione prodire. Respond. id fieri propter contiguitatem, & arctam quandam coniunctionem vasorum fœtus, cum matris vasis, ratione cuius imaginatio vehemẽs speciem rei concupitæ, si eâ potiri non valeat, in spiritibus matris & fœtus receptam, in partem contractam imprimit, vt ipsâ experientiâ comprobatur: sed hic interuenit contactus, & propria spirituum dispositio in corpore contiguo. Nõ tamen inde inferendum est cum Auicenna & quibusdam Arabibus, animam humanam imaginationis robore, comparare sibi potentiam producendi formas nonnullas, & in corpore cui inest, & in alienis non recipitur. Etenim si homo distans obiectum citra contactum alteraret, in infinitum ageret, atque adeò infinita esset hominis anima, cur enim non agat in quamuis distantiam, quod contactum ad agendum non requirit, siquidem ob tactus necessitatem in naturali actione interualli mensura exigitur.

Quoad amuileta Græcis dicta περίαμματα, περίαπτα, ἀποτρόπαια quæ collo dependent, vim nullam obtinent naturalem ratione verborum, characterum, vel figuræ, vel constellationis: sed dumtaxat ratione materiæ, si qua huic antipathiæ vel sympathiæ vis naturalis insit. Neque stellæ cuiusdam vis incharacterem talem hominum arbitrio impositum, si certo tempore sculpatur, sese insinuare valet, nihil enim figura potest ad recipiendam influentiam cœlestem; cùm huius amuleti materia antea non fuerit illius capax. Quare si quis effectus producatur, cuius causa nequit esse vis naturalis subiecti; effectus ille prodigiosus erit, & cacodæmoni adscribendus, & amuletum superstitiosum: qualia multa congessit Costa Ben lucas Iudæus Lusitanus.

Lib. de ligatur.

Pium & sanctum est reuerentiæ causâ sanctorum reliquias, cereas agni effigies, Euangelium sancti Ioannis, & similia sacræ scripturæ testimonia secum gestare collo appensa: sed effectus qui inde oritur erit supernaturalis, Dei beneficientiæ tribuendus. Aliis autem ligaturis vti, quas vel vsus Ecclesiæ Catholicæ, vel proborum Medicorum ars non commendat, omninò est prohibitum, vt ex canonibus & sanctis Patribus conuincit Delrio.

Lib. 1. disq. magica c. 4. quæst. 4. & lib. 3. part. 2. de vana obseru.

2. *An medicamentum sympathicum vi naturali, an verò extraordinariâ operetur.*

Controuertitur vtrum medicamentum quod non vulneri ipsi apponitur, sed linteo, gladio, aut simili rei, sanguine ex vulnere maculatæ, sanare valeat vi naturali, vel extraordinariâ, etiamsi vulneratus absens sit, & à linteo cruento medicamẽto sympathico intincto, aliquot miliaribus remotus. Paracelsus vnguentum armarium describit, quod approbat Crollius, vocatque sympatheticum stellatum, vulnera per distans spatium naturaliter sanans. Alij idem referunt de puluere sympathiæ ex vitriolo præparato,

Lib. 1. archidoxeos mag. in basilic. chymic.

rato, probantque naturali modo illam curam perfici.

Primò quia dantur actiones quæ non per contactum corporeum, ſed per ſympathiam occultam, & vim magneticam in diſtans fiant. Sic magnes trahit ferrum à ſe remotum, & verſus polum mouetur: & ſimilia actionum reconditarum phænomena adducunt. Ergo in dictis medicamentis vis adeſt magnetica naturalis.

Secundò hæc occulta operatio pendet à ſpiritu mundi vniuerſali per totum diſperſi, qui occultarum potentiarum vehiculum exiſtit, ac omnes mundi partes admirabili conſenſu iungit.

Tertiò in hoc medicamētо ſympathico ad diſtans applicato, duplicem vim agnoſcunt, vnam ex parte ingredientium quæ conſolidandi & glutinandi facultatem obtinent, mediante ſyderum influxu, vnde vis illa magnetica attractiua promanat, quæ mediante aëre vulneri adducitur, vt ſpiritualis operatio in effectum deducatur, ob cōiunctionem aſtralem, & elementalem: alteram verò ex balſamo naturali cuilibet homini indito, quod in ſanguine vulnerati, alicui rei intincto hæreat. Hoc enim balſamum ob ſympathiam quam cum parte vulnerata habet, vim illam medicamenti, intercedente vniuerſali mundi ſpiritu, vulnèri communicat, etiamſi in ſubiecto, & loco diſtantiori reperiatur.

Confirmatur ex primis iuuencularum floribus menſtrualibus, quarum ſanguis vſtus, notabile damnum ipſis abſentibus, & remotis inferre dicitur. Sic ſecundinas in loca putrida reiectas, mulieri è qua prodierunt nocere.

Contra hanc ſententiam ſtatuimus impoſſibile eſſe; quod illa vis magnetica agat in corpus vulneratum diſſitum, & proinde alteri agēti trans naturam, illum effectum eſſe tribuendum, dæmoni ſcilicet, qui ſub actionum magneticarum velo, virtute pacti expreſſi cum aliquo malefico contracti, pacti taciti cauſam præbet, adeò vt qui tali medicamento incautè vtantur, ipſi inſeruiant. Cacodæmon quippe hoſtis hominum infenſiſſimus, vt animam perdat, corporis ſanitatem procurat, remedia à Deo ordinata ſibi tribuit, vt homines ſuperſtitioſos in ſuam ditionem & ſeruitutem adducat.

Quantum ad prædicta argumenta, etſi verum ſit quaſdam operationes naturales admitti inter corpora quæ mutuò agunt & patiuntur, quæ ſeſe non-tangunt: attamen num in gladio, aut linteo cruento, & talibus medicamentis imbuto, vis aliqua ad vulnus longè diſtantiſſimum perueniat; hoc creditu facile non videtur. Cum operari ſequatur eſſe, & inter agens & patiens quædam coniunctio, & contactus requiratur; vel immediatus, aut mediatus. Vel enim res quæ ad diſtans agere dicitur, emittit corpuſcula & effluuia, quæ mediante aëre, vel alio corpore, ad aliud corpus tranſuehuntur, idque vi, quam cum corpore integro communem habent, afficiunt. Alia quæ in diſtans agere cenſentur, nihil de ſuo corpore præter ſpeciem emittunt; quomodo per ſpecies ſenſibiles, odorem, lucem, ſonum corpora longinqua afficiuntur, per contactum virtualem, qui præſupponit ſubſtantiam à qua dimanat; tum aptum ſubiectum per quod diffun-

ditur: denique vis hæc orbiculariter extenditur ad certum spatium, seu sphæram actiuitatis, quæ alias maior, aut minor existit. Neutro verò modo vis magnetica horum medicamentorum cõmunicari potest, cùm non detur tertium: non enim accidens de subiecto in subiectũ migrat. Imprimis cùm ἀποῤῥοίαι seu effluuia corporea nullum regularem motum habeant, sed pro aëris agitatione hinc inde inordinatè moueantur, & à quocumque flatu variè dispergantur, quomodo rectà ad corpus vulneratum tendere possunt. Neque ob substantiæ similitudinem credendum est, huic corpori potius quàm alteri vniri; cùm distantia locorum & corporũ, sphæram actiuitatis illorum infringat. Nec ad spiritum mundi recurrere oportet, quo impulsore hæc effluuia corporea, ab instrumento, seu linteo cruentato, medicamento sympathico imbuto; ad vulnus deuehantur. Nam ista de spiritu mundi efflata suo loco refutauimus. Sect. 1. cap. 2. §. 1 Præterea cum vulneris sanatio fiat à medicamentis longè distantibus, si per corpusculorum effusionem perficeretur, quia illa perexiguâ quantitate sunt, medicamentum illud cum balsamo facilè euanesceret, & in auras exhalaret: atque adeo sublato facultatis contactu; non pertingente ad corpus vulneratum, curatio inanis erit, nisi ex supposito pacto perficiatur.

Si verò per species hæc actio magnetica fiat, cùm nostris sensibus non percipiantur, demonstrandum esset, quænam ipsarum natura, & quæ sit sphæra actiuitatis: & cum supra ostenderimus effluuia corpor a non posse ad dissitum vulnus peruenire, multo minus hæ species occultæ & insensibiles illuc pertingere valebunt.

Magnes equidem ferrum nonnihil à se distans attrahit, sed longissimè remotum, & vltra sphæram suæ actiuitatis non trahit, quod & in aliis eiusmodi actionibus magneticis fieri perspicuum est. Magnes vnicum edit effectum, sed medicamentum sympathicum varios edere debet, vulnus à dolore liberum seruare, quod alienum est expurgare, pus concoquere, carnem generare, partium diuersarum temperiem conseruare; quod ab vnico medicamento proficisci nequit. Et si quis eodem tempore plura vulnera diuersis in partibus à diuersis armis receperit, vnum ne instrumentum erit tali medicamento imbuendum? & num eius vis ad singula vulnera deportabitur? aut plura erunt pro diuersitate vulnerum applicanda; & anne quodlibet medicamentum suo fungetur officio, & hoc ad istud vulnus, quod hoc gladio inflictum est, rectà tendet, illud ad aliud, quod aliis armis est illatum?

Quæ autem de menstruis virginum, & secundinis afferuntur, superstitiosa prorsus sunt, nec vlla fides hisce adhibenda.

Quantum ad applicationis huius medicamenti sympathici medium planè superstitiosum, & ceremoniis quibusdam insignitum, sanè illius effectum extraordinarium & supra naturam esse demonstrat. Neque huius rei suspicionem tollit, quod aduersarij obiiciunt, quia ingredientia vulneraria, & naturali facultate prædita sunt, sine interuentu characterum, coniurationum, aut incantationum: nam non tantum sub rebus superstitio-

sis,

ſis, ſed ſub naturalibus ſuum pactum celat dęmon, cui incautè homines ſe immiſcent, cùm res naturales ad alios vſus quàm à Deo creatæ ſunt, adhibent.

3. *Apologia aduerſus Vanhelmont de magnetica vulnerum curatione.*

Tractat. de magn. vulner. curat. Vanhelmont arcana naturæ recondita profundiùs inueſtigaſſe gloriatus, Goclonium reprehendit, quod propoſito ſuo non ſatisfecerit, promittens ſe probaturum, magneticam curã vulnerum eſſe naturalem, fruſtra tamen laborauerit in inuentione cauſæ proximæ huius inſoliti effectus: quam cùm ipſe feliciùs inſtaurare contendat, nouaque principia aſtruat, Philoſophorum leges luci rationis conſonas deſtruat, multas rationes futiles proferat, non minori reprehenſione dignus eſt. Quod enim nullo modo ſenſui communi reſpondere valet, quo iure pro euidenti cauſa admittere cogemur? hac de cauſa in melioris doctrinæ tutelam, noſtram Apologiam ſtabilire decreuimus, oſtendendo hunc magnetiſmum naturalibus cauſis tributum, ad aliam longè extraordinariam ſpectare.

Dum ergo conatur probare Vãhelmont, magneticam vulnerum curationem naturalem eſſe, ſic inſurgit primò: quam Deus eiuſmodi rebus virtutem dederit, illi profectò nullatenus mirum videtur, ſi extra magnetis corpus conſimile, & ſolo magnetiſmi nomine explicabilem aſſignauerit. Nonne ad magnetiſmi poſitionem ſufficere deberet, vnicum ſaltem dari exemplum (perplura & appoſita mox adferam) naturale iſtius lapidis, ad cuius normam, cætera quoque diuerſimodè diſtributa intelligantur in creaturis? *1. §.9.*

Ad hoc reſpondeo magnetis lapidis virtutem eſſe admirabilẽ ratione acus eo confricatæ ad polum ſe conuertentis; ſed hoc non concludit vnguentum, vel puluerem ſympathicũ vulnera eo modo perſanare per illam vim magneticam; cùm ſit vtriuſque di par ratio, vt poſtmodum declarabimus.

Sed pergat Helmontius docens magnetiſmum non eſſe nouum inuentum: naturam materialem quotidie magnetiſmo ſuo, à ſuperis formas trahere, cæleſtiumque fauorem expetere; ex noſtro conſenſu, & cœlos quippiam ab inferis viciſſim allicere inuiſibiliter, vt ſit liber & reciprocus aditus, & in vnicum totum membrorum concinna Chelys, magnetiſmus itaque, quia paſſim viget, præter nomen nihil noui continet, nec paradoxus. *11. §.11.*

Exponit Helmontius hanc vim magneticam non propagari à firmamento in corpora, ſed ab ipſorum interno ſeminio cum cœlo conſociari: ſtellæ non agunt per motum aut lumen, ſed per blas motiuum & alteratiuum, cum enim ſint dies frigidi & nubili, ſub ſolſtitio æſtiuo. Hinc ſanè alias cauſas à blas cœli mutuare debuit. Actio eſt nimirum quædam ſcholis hactenus ignorata, quæ ſpirituum abſtractorum inſtar, propemodum in ſibi ſubſtrata obiecta operatur. Ac velut anima ſua mouet, & alterat organa. Influentiam voces, vnde intelligitur connexitas ſtellarum, concitandi gas inferum, iuxta leges directionum ab omnipotente datas, & fixas. Quippe ipſis rerum *Tract. 11. Aſtra necessit. non inclin. §.15.*

ſeminibus

" ſeminibus inſunt connata, & co-
" gnata cœli lumina, quæ ſeſe ad
" proximorum luminarium motum,
" adeoque ad vniuerſaliſſimũ Aſtro-
" rum blas, componunt. Ideo namq;
" clauſis hypocauſtis, ſentiuntur cõ-
" centrati eiuſmodi effectus. Nõ qui-
" dem quod forinſecus in nos inci-
" dant: ſed cœlum intus gerimus, in
" initiis vitalibus, illoque pentaculo,
" anim ntata ſignauit Omnipotens.
" Attamen concentratio, & confor-
" mitas adaptationis nexum cum ſu-
" periore latione ſignificant.

Sect. 1. *c.* 2. § 3. Reſpondeo ad argumẽtum iuxta noſtram doctrinam ſupra propoſitam, dum de ſeminio ageremus: rerum nempe ſeminaria cœleſtia & ſpiritualia, non de nouo influere in rerum generatione; ſed quæ antea latebant in mixti materia iuxta Dei mandatum excitari, & multiplicari per actus formales ſubſtantiæ inſitos, vt pro eorum efficacia noua exurgat forma, cooperante cœleſti influxu, à quibus educitur talis forma, quæ ei materiæ inerat non formaliter, ſed eminenter & virtualiter. Non eſt ergo recurrendum ratione iſtius nexus terreſtrium cum cœleſtibus, atque huius influxus ad illa cœleſtia germina ac ſeminaria, & principia formalia: licet quædam vis ex cœlo dilabatur, ſed proinde nulla ex ipſo ſubſtantia diſtrahitur, nec illi ſpiritus ſunt etherei, ſed partes ſubtiliores totius corporis viuentis, præditæ qualitatibus elementaribus, quæ maximè diſtant à cœleſtibus, licet ipſis ſint Analogæ, vt in præcedentibus demonſtrauimus. *Sect.* 1. *c.* 5. § 2. Animãtium etenim calor, non à cœlo deducitur, nec ab elementis, nec miſturæ modo; ſed à principio ſeminali, & in corde fundamentum ſuſcipit. Creator namque generationis rerum ſeminaria indidit, per quæ generabilia propagantur, & perennant. Omnis ergo rerum facultas pendet ex robore vel debilitate ſeminum, totaque ſubeſt directori archæo in natura: Fortes creantur fortibus, & bonis: vt ipſe fatetur Helmontius. *Tract. de Aſtris.* § 40.

Eſto? vis magnetis ſimilis ſit influentiæ cœleſti, ob quam dicitur vigere in illo lapide affinitas verſus polum: vnde pyxis nautica, ventorum gnomon, ſeu exploratrix eſt. At in vulneris curatione non eſt par ratio, nec ex parte ingredientium conſolidandi vi præditorum, neque ex parte ſanguinis vulnerati, alicui rei intincti. Nam ratione talium medicamentorum quomodo poteſt vis illa magnetica attractiua dicta applicari alteri corpori diſtãti, cùm quodlibet corpus mixtum habeat peculiarem qualitatem definitam & limitatam, vnde non poſſit in diſtans operari, ob diſproportionem & diſſimilitudinem, atque diſtantiam obiecti. Dices mediante aëre, & influxu cœleſti illam qualitatem ſympathicam poſſe conſeruari, & adunari. Reſpondeo hunc effectum ad diſtans eſſe imparem corpori naturali, etiamſi eleuetur & adiuuetur influxu ſyderum, quia vel admittenda eſſet corporum penetratio, vel accidentium extra ſphęram actiuitatis diffuſio, & migratio accidentis de ſubiecto in ſubiectum, quæ ſunt abſurda.

Quantum verò ad balſamũ naturale, quod in ſanguine vulnerati alicui rei intincto hærens, habeat ſympathiam cum parte vulnerata etiam diſtãti & remota. Dico quod ſanguis extrauaſatus amittit ſpiritus inſitos, & ſtatim corrũmpitur; vnde

vnde non poteſt illam ſympathiam requiſitam obſeruare cum parte vulnerata, non tantum ob diſtantiam, ſed multò magis ob propriæ ſubſtantiæ mutationem, & ſpirituũ diſſolutionem factam, & formæ propriæ interitum, & conſequenter ſanguis extrauenatus cum eo qui adhuc venis fouetur, concordantiam ſeruare neſcit.

rr1.§.14. Tertio ſic argumentatur: hoc re-
" medium magneticum nullatenus
" ſuſpectum reddi poſſe: cum nullos
" ritus habeat, nulla verba, nullos
" §. 17. characteres aut ſigilla poſcat, cere-
" monias nullas admiſtas, aut vanas
" §. 18. obſeruantias &c. ſupereſt ergo, vt
" putet quis diabolicum, non quia fi-
" ne & mediis illicitis conſtet, ſed
" quod incognito modo procedat:
" atque prorſus fatebitur, quod quẽ-
" admodum magnetis operationes
ſunt naturales & qui ditatiuæ: ſic etiam magnetiſmum, ob proprietatem quandam occultam, ſic appellatum, propter manifeſtam illius lapidis prærogatiuam à cœteris abſtruſis, & vulgò ignotis qualitatibus diremtam, nobiſcum cogetur agnoſcere.

Vt autem probet hanc magneticam curationem non eſſe arte diaboli comparatám, vtitur ſimilitudine effectuum magnetis, iuxta quos cœterorum etiam virtutes magneticæ naturæ ordinem ſeruantes ſint admittendæ: atqui vis lapidis magnetici eſt naturalis: ergo & reliquorum magnetica facultas naturalis exiſtit.

Reſpondemus negandò paritatem: nam licet vis magnetis ſit naturalis, non proinde reliquorum facultates ſunt ipſi ſimiles, nec curatio vulnerum ad magnetiſmum referri debet. Magnetis operationes non ſunt præſtigiæ ſatanæ, quia hanc conuenientiam habet cum influentia cœleſti, ſed in ſanguine à vulnere ſeparato, cœleſtis influxus non poteſt ſpiritus conſeruare, aut attrahere, quorum ratione ſit aliqua ſympathia cum parte vulnerata etiam remotiſſima: Deus enim dedit virtutem magneti, quam ſanguini, nec cœteris rebus creatis eſt impertitus.

Quod ſi afferat Helmontius, dor- " §. 19.
ſum magnetis ſicut ferrum; ita & "
inteſtinum pellere, omnemque ca- "
tarrhum de natura martis; omneſ- "
que magnetiſmos, ad vſum homi- "
nis ordinari: vis trahendi ferrum, "
ſi mumiæ muliebri maritata fuerit, "
tunc dorſum magnetis in femore, & "
eius venter in lumbis emplaſtrata, "
abortum iam minitãtem tutò præcauet: venter verò magnetis in femore, & dorſum lumbis appoſitum, partum mirificè facilitat. Voluiſſem ergo magis perſpicuo ſermone hæc expoſuiſſet: ſed Paracelſi doctrinam ſequutus, verborum ambagibus ſuam ſententiam ineptè inuoluit: exemplorum adductorum ratio eſt euidens & naturalis, videmus namque lapidem æthitem lumbis appoſitum abortum præſeruare: femori alligatũ partum facilitare. Verùm hoc contingit abſque magnetiſmo, primo quia vis occulta illius lapidis, vel alterius mixturæ cum magnete, corpori proximè applicatur, & à calore ambientis illius vis exſuſcitatur, & ob proximitatem habet vim agendi ad partem affectam, non intercedentibus aliis ſpiritibus quàm qui in tali mixto ſecundum proprietatem occultam agente reperiuntur. Et ſic abſurdus eſt ille magnetiſmus quo creditur cœlum terræ maritari, ob coniunctionem

astralem & elementalem : at iam
suppositum est vires rerum esse in
proprio seminio non in astris , nisi
metaphoricè velis astri vocem cum
seminio confundere. Ergo titubat
Helmontij probatio,quoad modum
magnetismi , qui quidem est ali-
quando naturalis, sed eius actio nõ
fit ad distans,neć ab influentia cœ-
lesti.

4.§.20. Quarto vt probet magnetismum
naturali modo fieri , multis nititur
probare exemplis , ex Paracelso de-
cerptis, quæ sunt adeo ridicula, va-
na,vel saltem prodigiosa, vt eorum
certa ratio reddi non possit. verb.g.
adsunt quædam radices purgantes,
vt sambuci,esulæ, quarum cortices
si infernè sursum euellantur,vomi-
tum prouocant ; si superne deorsũ,
aluum inferiùs purgant. Quod de
§. 30. foliis asari decerptis , & de extre-
mitatibus sambuci prodit , in qui-
bus proprietas elucescit magneti-
ca , adeóque ad carptionis sensum
variè sua dotat folia. Procul dubiò
atque ignota nobis est huius effe-
ctus causa,atque plurium rerum in-
scrutabilium , quorum tamen dæ-
mon non est author : sed cùm dixe-
ris vim magneticam huius causam,
non proinde perspicaciorem , vel
patentiorem rationem protulisti.

5 Quinto,nec dum in rebus natu-
ralibus immiscet magnetismũ Hel-
§.46. “ montius,sed in miraculosis,asserens
“ Deum in miraculis per reliquias
“ Sanctorum , vt plurimum ad latus
§.47. “ naturæ ire , huiusque morem ob-
“ seruare. Nam in curatione vulne-
“ rum magnetica , par est vtrobique
“ ratio , & par modus , nisi quod in
“ mundo materiali , sanguine & vn-
guento , seu mediis corporalibus
contingat : in supernaturali verò ,
per amicorum Dei reliquias , mul-
tum sanè hoc nomine venerandas.

Verùm futilis est hæc compara-
tio , quæ miraculosum opus , cum
magnetico confundit , vt quod per
gratiam & fidem perficitur, virtutis
magneticæ operationi assimiletur :
quod est absurdum, & planè hære-
ticum.

Sextò occasione illius rationis 6
quâ obiicitur in sublunaribus non
esse vim influentialem , cœlestibus
impressionibus parem , sic insurgit:
omnes rectè philosophantes vnà “
sic reprehendendos , qui superam “ §. 54.
lationem in inferis esse, modo in- “
feriore, & inferiorem analogiam in “
superis rectè adnotari : verum enim “
verò creatis singulis suum inest cœ- “
lum, cœlique rotatio,dependens ex “
ente seminis , in cuius spiritu (vt “
pote qui vniuersi celaturam con- “
tinet) suum est cœlum, & sua sunt “ §. 62.
insuper adscendentia,ratione cuius “
symbolizant supera cum inferis,le- “
ge amicitiæ & philautiæ : ex qui-
bus saltem nunc colligere est ma-
gnetismum & vires influentiales
passim rebus insitas atque proprias,
quas qui à sublunaribus arcet sub-
terfugium inane quærit.

Huic repetitæ obiectioni cùm
opposuerimus , ex parte sanguinis
non esse concordantiam cum parte
vulnerata : tum ratione vnguenti
sympathici , cuius actio ad longè
dissitum obiectum extendi nequit.
Vrget & ostendit Helmontius, in-
fluentiam rerum quarumdam ad
inuicem esse , & seruari inter obie-
cta distantia , vitis exemplo , quæ
dum in flore est,turbat vina procul. “ §. 63.
Excusabis eandem mutationem fie- “
ri impetu cœlorum : probatur quod “
non : si etenim cœlum causaret flo- “
res in vite, & vinorum in cadis tur- “
bulentiam, necesse esset, vtrumque “
annis

" annis singulis, stato fieri & definito
" quasi momento:quod falsũ est, &c.
" asserunt ad hæc, vina neutiquam turbari regionibus,quibus nulla vitis nascitur; ergo vitis flos, & non cœlorum motus vina turbat, idque multis inde milliaribus.

Respondemus id contingere ratione spirituum vitis,& vini in dolio contenti mutationem; quæ simul quandoque adueniunt, adiuuante cœlorum motu: adeò vt causæ partiales dissitæ non communicent, nec flos vitis vinum dissitum turbet; sed idem spiritus simul in diuersis subiectis, nempe in vite,& vino, vnum & eundem effectum producat. Quod autem in diuersis punctis, vel non semper accidat, ex particularium causarum concursu fit, vt non vel æquali tempore talis mutatio eueniat, vel vigente causâ in vno subiecto, in alio non concurrat. Ideóque sæpe fit,vt florente vite vinum non turbetur. Ergo licet in aliquibus,vt in magnete potissimum adsit virtus influentialis, quæ citra respectum propinquitatis obiecti, cœlestium more, liberè vsque ad polum feratur,cùm sit spontanea magnetis ad polum irradiatio quæ naturalis sit, & non diabolica: non proinde probatum est plures esse posse naturæ viribus similes, vt in puluere sympathico circumfertur.: quum propter rationes dictas contrarium fateri cogamur.

§.69. Qualitas ergo magnetica quæ ab Helmõtio statuitur spiritualis, sicut solis lux, & cœlorum influxus, torpedinis iaculatio, basilisci visus: quod scilicet non communione substantialis euaporationis in distans dispergatur: sed tanquam imperceptibilis lucis medio, diradietur à subiecto in obiectum debitum;non est ita recipienda,quia incogniti sunt gradus virtutis illius magneticæ, & distantiæ proportio, quæ non semper ad cœlum vsque irradiare valet, neque proinde semper communicari cum subiecto longinquo. Idcirco supectam esse dicimus hanc rationem,quæ ex virtute magnetica supponitur, tanquam velo alicuius magiæ occultę & prohibitæ. Neque potest esse tam naturalis facultas, vt omnibus partium affectarum vitiis proficere valeat, & inflammationem arceat, pus expurget, labra vulneris vniat, febrique & aliis accidentibus medeatur: vnde sæpe ineficax venit præsidium; vel si profit,alia occulta caũsa extraordinaria concurrit, quæ magnetismi defectum suppleat.

Obiicies sanguinem extra venatum esse communi vitâ priuatum, §.73.
& initia alicuius corruptionis ingressum esse. Obtinere saltem vitam mumialem Respõd. hanc qualitatem, hinc manantem non posse ita cum puluere,vel vnguento sympathico conuenire, vt ad distans subiectum communicetur.

Septimo proponit rationes posi- 7
tiuas quibus probare cõtendit causas proximas magnetismi. Diuidit §.74.
priùs hominem in externum & internum,vtrique assignat mentis cuiusdam potestates: sic nempe carni & sanguini voluntas competit,quæ non sit voluntas viri, nec voluntas Dei. Porro esse ecstases miraculosas, homini interiori competentes: esse quoque ecstases in homine animali,propter intensam imaginationem. Igitur in sanguine est quędam potestas ecstatica,quæ si quando ardenti desiderio excita fuerit, "
etiam ad absens aliquod obiectum, "
exterioris hominis spiritum, dedu- "

“ cendo ſit : ea autem poteſtas,in ex-
“ teriori homine latet , velut in po-
“ tentia , nec ducitur ad actum , niſi
“ excitetur,accenſaimaginatione fer-
§. 77. “ uenti deſiderio , vel arte aliqua pa-
“ ri. Porrò vti ſanguis quodammodo
“ corrumpitur,tunc ſe eius poteſtates
“ omnes , ſine præuia imaginationis
“ excitatione , quæ ante in potentia
§. 78. “ erant,ſponte in actum deducuntur;
“ corruptione namque grani , virtus
“ ſeminalis,aliàs torpens & ſterilis,in
actum erumpit : vt pote cùm eſſen-
tiæ rerum , earumque ſpiritus vita-
les , putrere neſciant , diſſolutione
inferioris harmoniæ ſoſpites emer-
gunt. His poſitis reddit rationem
poſitiuam magnetiſmi naturalis in
vnguento ex magia naturali de-
promptam.

§. 80. “ Cùm vulnus,aëris ingreſſu, qua-
“ litatem aduerſam admiſerit , vnde
“ mox ſanguis in labris æſtuat,& aliàs
“ purulentus euadit ; contingit ſan-
“ guinem in vulnere recenti , propter
“ dictam qualitatem exoticam , ali-
“ qualis corruptionis iam initia in-
“ gredi (qui etiam in paxillum tunc
“ aſſumptus , vnguento magnetico
“ oblinitur) quo mediante corruptio-
“ nis initio, poteſtas ecſtatica in ſan-
“ guine, latens potentialiter in actum
“ ducitur , quæ quia ad corpus ſuum
“ redux eſt , ratione latentis ecſtaſis,
“ hinc ſanguis iſte ad ſanguinem to-
“ tius ſui indiuiduum reſpectum ge-
rit. Tunc nimirum magnes, in vn-
guento operari ſatagit: & mediante
potentia ecſtatica exſugit noxam è
labris vulneris , & tandem virtute
mumiali balſamica & attractiua in
vnguento acquiſita , magnetiſmus
perficitur.

Ad ſolutionem huius difficultatis multa ſub incudem ſunt recudenda ; & primùm quomodo in carne & ſanguine , quæ pertinent ad hominem externum, adſi imaginatio, & voluntas electiua : inquies?quo- “
modo idolorũ ſeruitus, inuidia &c. “
inter opera carnis ritè numerantur “
(cum in imaginatione tantum con- “
ſiſtant) ſi & carni ſua non eſſet imaginatio , & voluntas electiua ?

Reſpondeo in hiſce facultatibus quæ naturâ ſuâ feruntur , cenſendum eſt,inferiores obſequi ſuperiorum imperio , propter vtrarumque ſubordinationem. In ratione verò libera quam Creator noſter arbitrij ſui fecit , vt inuitas & repugnantes inferiores potentias (modò conaretur) ſuo imperio ſubderet , quomodo natura fecit has parentes illius imperio ? id ſane non accidit propter imaginationem , & voluntatem eorum electiuam , quia nullam habent, ſed ob ſenſationem ab illorum obiectis manantem, phantaſiæ ſuperiori repræſẽtatam, quam ſub ratione vtilis , boni , vel mali deinceps perſequitur,vel fugat.Impropriè ergo loquitur Vanhelmont, dum ſanguini , & carni mentem, & voluntatem tribuit; non enim præualet aduerſus ſpiritum ſeu animã, in illa colluctatione , abſque conſenſu ſuperioris facultatis, & intelligentiæ hominis interioris. Verùm imaginatio eſt actio immanens,nec vllam poteſt imprimere realem qualitatem rei diſiunctæ.

Vrgebis illam qualitatem imprimi ſpiritibus ſanguinis , magnetiſmi patronis : præterea res inanimes phantaſia pollere. Quantum ad primum dicit in ſanguine eſſe quãdam poteſtatem ecſtaticam , ſeu quandam vim magicam , ſeu ſpiri-
tuale robur,quod per totum homi- “
nem diſperſum eſt : in anima qui- “
dem vegetius , at in carne & ſan- “
guine

" guine longè demiſſius. Spiritus vi-
" talis in carne & ſanguine, animæ
" vice fungitur, id eſt, in exteriori
" homine, is idem eſt qui in ſemine
" totam hominis figuram, ſuperbam
" illam conſtructionem, & perfectam
" adumbrationem, finéſque rerum
" agendarum nouit: & qui iam con-
§.98. ſtitutum fœtum, vſque in vitæ pe-
riodum comitatur præſul. Hoc po-
ſito non poteſt, inquit, anima ſpiri-
tum vitalem, oſſa, & carnem moue-
re, niſi vis illi quæpiam naturalis,
magica tamen & ſpiritualis, ex ani-
ma in ſpiritum & corpus deſcen-
deret: verùm inde deducit, quod li-
cet anima nil quicquam valeat, ex-
tra ſuum corpus mouere, alterare,
aut ciere; verumtamen virtus alia
conſideratur magica & naturalis,
quæ extra ſe agit, virtute imaginis
Dei, & latet in homine, atque ob-
dormit, excitationis tamen eſt in-
diga.

Reſpondemus ad id, hanc virtu-
tem externi hominis in ſpiritibus
vitalibus conſiſtentem, excitari, vel
vi imaginationis, vel ratione dela-
tionis ſpirituum illorum extra cor-
pus, redeuntium rurſus ad corpus,
vel alio artificio: at imaginatio id
præſtare non poteſt, niſi per ecſta-
ſim per quam poſſint rei abſentis
ſpecies repræſentari, ac ſi præſen-
tes eſſent. Quod naturaliter fieri
poteſt de rebus ante cognitis: ſu-
pernaturaliter & miraculosè per re-
uelationem; de futuris, & antea in-
cognitis.

Secundo ratione delationis ſpi-
rituum, ſed ſpiritus in ſanguine
linteo impacto ſunt volatiles, ne-
que inſiti; ideóque vitâ & motu
animæ priuati; & quam mumialem
vitam habere præſupponunt, valde
debilem coniicimus, ob harmoniæ
illius diſſolutionem: non ſunt in-
corruptibiles illi ſpiritus, nec æthe-
rei, vt poſſint ſoſpites emergere,
corporis cui inerant, compagine
diſſolutâ; adeò vt poteſtas illa ec-
ſtatica ſenſationis & philautiæ ca-
pax in ſanguine latens, potentiali-
ter in actum ducatur, & ad corpus
ſuum reducatur, ratione latentis
ecſtaſis; hinc ſanguis iſte ad ſan-
guinem ſui totius indiuiduum re-
ſpectum gerit, vt ſupponit Van- §. 80. *cit.*
helmont.

Examinemus igitur horum ſpi-
rituum vim, qui cenſentur magne-
tiſmi patroni, quos vult, non de
cœlo dimitti, multóque minus de §.139.
infernalibus ſermonem eſſe: ſed ex "
ipſo homine, ſicut ex ſilice ignis, ex "
voluntate hominis nempe, aliquan- "
tillum ſpiritus vitalis influentis de- "
ſumitur, & idipſum aſſumit idea- "
lem entitatem, tanquam formam §.140.
ac complementum, qui ſpiritus in- "
ſtar lucis ſubtiliatus, mediam ſor- "
tem inter corpora & non corpora "
aſſumit. Mittitur autem eò quo vo- "
luntas ipſum dirigit, vel ſaltem "
quo innata ſpirituum ſcientia in- "
fallibilis, iuxta ſcopos rerum agen- "
darum, eundem mittit: Idealis igitur "
entitas, itineri iam accincta, nullis "
ſtringitur locorum aut dimenſio- "
num imperiis. "

Ad hoc ſi loquamur de ſpiritu
ſanguinis à corpore ſeparati, non
ita vigentis ac dum in corpore in-
eſſet, verè non dirigitur à volunta-
te, vt patet; an verò à ſcientia inna-
ta? proculdubio cùm ſpiritus illi in
homine vita ſint coniuncti, talem
ſcientiam à caractere diuinæ crea-
tionis obtinuerũt, vt patet in opere
formationis, in næuorum fœtus fi-
guratione; adeſt namque intrinſeca
connexio corporis materialis, &

ſpiritualis à quo gubernatur:ſed in corporibus ſemotis,vi propriâ agẽtibus,naturali actione ob tactus neceſſitatem , interualli menſura exigitur. Ob id ſpiritus ſeparatus licet realis,& Cacodęmoni ob id cognitus , non poteſt redire ad corpus ſuo nutu , ſub qualibet diſtantia : neque ſcio aliquem eſſe innatum appetitum ad id præſtandum.

Pero quis excitabit ſpiritus ſanguinis extrauenati:Reſpõdet Vanhelmont,in ipſo animam habitare, quod abſolutè negamus;non enim ſanguis intra venas corporis viuẽtis concluſus eſt animatus,quomodo ergo is extrauenatus animæ erit particeps. Excitari verò vim magi-
§. 159. cam,ait,quæ in potentia adhuc eſt
" ad actum;vel per aſcendẽtem ima-
" ginationem fortiorem , puta magi,
" ſanguine tanquam medio vtentis,
" & in illud ſuam entitatem accenſam ſtabulantis.Quaſi verò imaginatio per illas entitates obiectiuas in alienum corpus ſeiunctum agere poſſet,ſine dæmonis opera.

Vel etiam Reſpondebis excitari hanc vim vnguenti ſympathici , phantaſiâ aſcendente , latentis in ſanguine proprietatis excitatrice : ac ſi res inanimatæ haberent phantaſiam,quam admittit Vanhelmõt;
§. 141. magnetis nempe , & rerum inani-
" matarum magnetiſmos , fieri per
" naturalem ſenſationem ſympathiæ
§. 142. omnis authricem:quod probat ſuo
" more per argumentum à ſimili val-
" dè ſuſpectum. Si namque magnes
" ſe ad polum dirigat , eundem no-
" uiſſe oportet , ſi in directione ſua
" errorem non ſit facturus : & quo-
" modo quæſo nouerit , ſi non ſen-
" tiat vbi ſit?neque etiam ſenſiſſe ſa-
" tis erit,niſi amoris & philautiæ ſti-
" mulos addamus , adeóque phanta-
" ſiâ quadam naturali dotatum eſſe,
" & cuius impreſſionis ergo,vniuerſi
" magnetiſmi conflati ſint.

Ineptè ſanè ſub vno magnetis exemplo de cœteris philoſophatur; non ſiquidem verum eſt, nec bene infertur : magnes habet talem virtutem. Ergo cœteræ res eandem obtinent. Dum verò dicit agens ferri in obiectum proprium , præ- §. 152.
ſentiendo illlud:hîc diſtinguẽdum, vel ſenſu naturali , abſque vlla cognitione præſentiri , non autem ſenſu voluntario, & electiuo:atque hoc modo,non temerè in obiectum ſuam ſpargit actiuitatem , nec cõmorâ phantaſiâ , quia in ſanguine nulla eſt,licet ſupponatur poſt ſenſum obiecti , diſperſio entitatis idealis & ſpiritualis , & copulatio cum radio entitatis paſſiuæ. Et in hoc conſiſtit tota magnetiſmi cauſalitas, quæ an ſit naturaliter poſſibilis diſputatur. Verùm quia illa fundatur ſupra phantaſiam in ſanguine latentem , quam nos reiicimus,ſic etiam illas amicitias naturales , potiſſimum ad aliud corpus diſtans euectas, viribus naturalibus non admittendas cenſemus.

Eia ! excitetur vis illa ſpirituum ſanguinis extra venati per præuiam §. 159.
deſtinationem ſanguinis ad corru- "
ptionem , per quam ſcilicet ele- "
menta ad ſeparationem diſponun- "
tur ; & eſſentiæ (quæ putrere ne- "
ſciunt) eſſentialéſque phantaſiæ , "
quæ in potentia proprietatum latebant, in actum deueniunt. Corruptio harmoniæ ſanguinis extrauenati excitat vim magicã ſpirituũ phantaſiâ donatorum , & appetitu ſe vniendi cum ſanguinis totius ſpiritu : quod licet concederemus, attamen quia certa menſura & diſtantia neſcitur , ſecundum quam agens

agens limitatum per contactũ agere debet; exinde suspectum illum magnetismum, & vnà impossibilem per vim ordinariam credimus; & eò magis quia supponitur ministerio phantasiæ sanguinum fieri, quod extrauenatus in paxillum assumptus, vnguento magnetico
§. 166. introducatur. Quasi verò phantasia "sanguinis somnolenta, virtute vnguẽti magnetici suscitata, ibidémque reperiẽs balsamicam virtutem, optaret sibi inductam qualitatem, impertiri suo toti, atque inde elicere spirituali magnetismo omnem peregrinam tincturam. Tractus verò magneticus in sanguine inceptus, medica vnguenti virtute perficeretur: sicque virtus medica domatrix mali, esset partim in sanguine excita, partim etiam eidem ingenerata per vnguentum; spiritu nempe huius in spiritum sanguinis, sic imperante ex sua phantansia, id est dono creato. Sed difficultas semper manet de distantia & proportione illius virtutis magneticæ, quæ non potest suo nutu, aut tam vigenti proprietate redire & reduci ad corpus dissitum, absque ope alicuius causæ extraordinariæ.

Cum ergo virtutem magneticam proprio impetu hunc effectum in dissitum corpus perficere posse negemus, absque dubio causam aliàm trans naturam assignare cogimur, quæ suppleat defectum causarum naturalium. Non proinde tamen alienamus honorem Creatori debitum, & in satanam eumdem ignominiosè vertimus: cum proculdubio Deus optimus noluerit limitatis creaturis potestatem vltra suam capacitatem diffundere; cùm omnia, pondere & mensura stabiliuerit.

De medicamentorum præparatione iuxta sententiam Aristotelis, Dogmaticorum, & Chymicorum.

CAPVT VI.

1. Quot sint affectiones medicamentorum præparandorum, & vndenam prodeant.

ELEMENTA sunt quatuor omnium mixtorum principia, ignis, aër, aqua, terra; elementata verò seu substantiæ mixtæ ex elementis sunt eæ, quæ Hippocrati dulces, acidæ, aut salsæ vocantur; Chymicis autem sulphureæ, Mercuriales, salinæ? Elementa diuersas agendi vires habent in concretis corporibus; vt ignis frigiditatem corporum mod. randi, & vitalem quasi eorum spiritum fouendi, concretionémque retinendi: aër raritatem, leuitatem, subtilitatem, ac spiritum exhibendi: Aqua vim emolliendi, conglutinandi: Terra duritiem ac firmitatem corporibus reddendi; has autem vires diuersâ ratione in subiectis exserunt corporibus. Porrò non elementorum modo, sed rerum omnium generabilium & corruptibilium quatuor esse primas qualitates demonstret Aristot. quod illæ non ex aliis, sed

ex

2. Lib. de ortu & inter. c. 2. ex iis nascantur cœteræ : sunt autem illæ quatuor calor, frigus, humiditas, siccitas. Vbi aduerte eiusmodi qualitates, non esse absolutè primas, sed tantum inter sensibiles qualitates, quæ rerum sublunarium seu elementarium sunt propriæ : alioqui est certum dari in rerũ natura qualitates istis priores, puta lucem cœlestium corporum, eorũque soliditatem, pelluciditatẽ, &c. Dicuntur præterea primæ, quia ex earum temperie cõstat natura mixti; qua temperię dissolutâ illud dissolui est necesse.

Quod spectat ad earum rationem ac definitionem, certum est eas esse qualitates tertiæ speciei, & quidem de genere patibilium qualitatum, quæ tactum afficiunt : earum vires & facultates per proprios actus dignoscuntur. Non enim calorem, frigus, humiditatem, & siccitatem, id sibi solum habere innatum putamus, vt calefaciant, refrigerent, humectent, exsiccent; sed præterea calorem quidem rarefacere, attenuare, heterogenea disgregare, & homogenea congregare. Frigus verò illi contraria operari: humiditatem emollire, laxare, lenire, & lubricum reddere: ac siccitatem effectus illi oppositos producere.

Alię sunt qualitates secundæ dictæ quæ materiam & modum substantiæ consequuntur, vt raritas, densitas, leuitas, asperitas, crassities, tenuitas, lentor, friabilitas: quæ omnes qualitates sequuntur modum materiæ seu substantiæ, ob variam commixtionem humidi & sicci, per actionẽ calidi in materia mixtorum. Aliæ verò passibiles qualitates seu affectus qui nullum ex se actum obtinent, per eandem mixtionis rationem impressi reperiuntur; vt esse vaporabile, & non vaporabile, coctile seu elixabile, vel incoctile, madefactibile, non madefactibile, coagulabile, & incoagulabile, liquabile, non liquabile, compressile, incompressile, friabile seu triturabile, & non friabile, combustile, vel non combustile, inflammabile, suffumigabile, vel non.

Hæ sunt differentiæ in mixtorum materia repertæ, quarum ratione varias subeunt medicamenta præparationes: nam quatenus sunt vaporabilia, & exhalabilia sublimantur, vel destillantur; vnde pródit destillatio, sublimatio. Quatenus coctilia seu elixabilia, madefactilia coquuntur, vel digeruntur, vel infunduntur, & macerantur. Coagulabilia hûc pertinent, vnde coagulatio contingit, quæ est principalis Chymicarum operationum altera. Quâ res molles & liquidæ, è consistentia tenui, fluidáque in solidam, per humiditatis priuationem coguntur. Liquabilium contraria est operatio, quæ fit liquatione, solutione, aut deliquio. Ad triturabilia pertinent illæ affectiones medicamentorum, quę vocantur compressiles, ruptiles, vnde tritura. Denique quatenus combustilia vel inflammabilia sunt, variè præparantur per tostionem, vstionem, cinefactionem, calcinationem, vitrificationem. De quibus iam speciatim agendum iuxta Aristotelis dogmata, Chymicorum, & Pharmacopœorum, cùm sanè omnibus coniunctim scitu sint necessariæ huiuscemodi præparationes. *4. Meteor.*

2. *Quid & quotuplex vaporabile, & qui destilletur, aut sublimetur.*

Vaporabile est quod facilè trãsit in

in vapores, seu halitus mediante calore: vaporem appellamus ex Aristotel. spiritum humidum à materia calefacta exhalantem: & iuxta Hermetem corpus fit spiritus, & spiritus fit corpus: seu fixum fit volatile, & volatile fixum. Euaporant facilè quæcunque humida sunt, vnde aqua calefacta tota in vapores transit. Et omne mixtum quod dum calefit non exhalat, dicitur esse terreum; sed si euaporat aqueum existit, vt acetum, aqua, vinum, vrina, lixiuium & similia: nam sicut pinguia aërea dicuntur ex aëris prædominio; sic quod euaporat, est ex aquæ dominatu; & non vaporabile è terra. Est tamen differentia inter corpus vaporabile & exhalabile, quòd vaporabile exhalat per ignem, aut calorem humidum proprium: & corpus exhalabile non solùm per ignem euaporat, sed etiã temporis spatio exhalat cum humido corporis solidi: vt in pomis, & aliis fructibus qui successu temporis attenuantur, & tabescunt. Tria quoque genera exhalabilium comperiuntur; aut enim ex corpore lignoso exhalatio prodit, & fit fumus: aut ex pingui, vt cera, pice, bitumine, & dicitur fuligo: aut ex corpore vnctuoso, vnde fit nidor, vel odor rerũ testarũ. Est quoque discrimen inter pingue & vnctuosum, quod hoc humidum sit, illud verò siccum; & quia cera & oleum humiditate discrepant, sic etiam & variis halitibus discriminantur, cùm vapor nihil aliud sit quã separatio hypocauma dicta, quæ producitur à calore externo, aut igne talẽ vaporẽ humidum eleuante, indéque conuertitur in ventum, aut spiritum, qui est motus localis siccæ exhalationis. Duo halitus ex aqua & terra per calorem generantur, qui simul immiscentur; & cum vapor exhalationi præualet, hæc separatio pluuiam parit: sed si plus sit siccæ exhalationis, conuertitur in spiritum, siue ventum. Porrò vaporis secretio cognoscitur ex effectu humiditatis absque nigredine: segregatio verò corporis exhalabilis non solum humectat, sed quod contingit denigrat, vt fumus & fuligo, quæ mixtio est aquæ, olei, & cinerum.

Vaporabilia distillatione, vel sublimatione extrahuntur, quæ ars distillationis Alchymiæ germana existit, eodemque partu nata existimatur. Nam à sexcentis circiter annis Albucasis, Rhazes, & eius auditor Auicennas de hac arte iam recepta & euulgata loquuntur. Et si Raymundo Lullio credimus, Hippocrates hanc omninò calluit, ac modos sciuit quo stellas ex metallis, etiam cœlo figere liceat, vt illi loquuntur. Sileant igitur qui existimant hanc artem Hippocrati & veteribus incõpertam fuisse. Maximè eo tempore exsplenduit, cùm Sarraceni Damascum vrbem, sedem regni constituerunt: cum literæ emicare sub Marcia eorum rege, vel Almirato cœpissent, circiter annum salutis sexcentesimum septuagesimum. Huic tamen arti summam maiestatem Libauius attulit hocce seculo; cum Paracelsus multis ineptis, & impietatibus alchymiæ artem, quam suo tempore maximo in vigore surrexisse viderat, conspurcauerit.

2. *De distillatione.*

Destillatio est halituum è re exhalabili per calorem eleuatorum,

obiectu vasis receptaculique densi & frigidioris; in liquorem collectio. Seu humidarum partium vi caloris in vaporem resolutio, quæ frigore & constipatione occursantibus, in liquorem vertuntur. Sicut enim vapores ex terra vi solis concalefacta in mediam aëris regionem subiecti, eiusque loci frigiditate densiores facti in pluuiam facessūt. Ita Chymici ex rebus halabilibus & vaporabilibus, ignis ministerio, tenuium spirituum à crassioribus partibus separatione, & ad frigidas capitelli cameras eleuatione, essentiam eorum formâ liquoris eliciunt. In hoc paruo mundo scilicet homine Hippocr. sudores describens, distillationem connotat his verbis. Quod enim incensum est liquatur, ex eoque spiritus oritur; quo ad corporis meatus irrumpente, sudores fiunt. Coactus autem spiritus in aquam abit, & per meatus subiens, ad eundem modum foras erūpit, quò à feruentibus aquis sublatus vapor, si ad solidum quiddam impingat, incrassescit, guttæque ab his corporibus, in quæ vapor impegit decidunt.

Lib. de flatib. ad med.

Tria sunt distillationum, quemadmodum mortuum discrimina; vnum sursum rectâ tendens; alterum deorsùm vergens; alterum in decliue leuiter depressum, vel accubans: & hæc ex peculiari herbarum proprietate; quædam enim subtilioris spiritus rectè sursum feruntur, alij terrestri materiâ constantes infra trahuntur, aliæ medio modo se habentes in accliue extrahi desiderant; ideo organa distillationi seruientia comparanda simili modo erunt, vt quæ flatulenta vaporosaque distillantur, vasibus sursum versùs erectis vtantur: quæ spirituum & flatuum expertia, deorsum versùs: & quæ medio modo se habent accubantibus, vt herbarum geniis & viribus accommodentur. Verùm non plura de istis afferemus, quæ legi poterunt apud Portam vbi monstrat quî simplicium qualitates in distillatione extrahantur. Vide tractatum Chymistarum ab authore anonymo editum, & Libauij commentariis illustratum, in quibus praxis alchymiæ declaratur, hoc est doctrina de artificiosa præparatione medicamentorum præcipuorum Chymicorum explicatur.

Lib.1.de distillat. cap.18.

4. *De sublimatione.*

Sublimatio est extractio partium subtiliorum siccarum, per ignem in sublime eleuatarum, & ad vasis latera adhærentium. Fit iuxta Begninum, cùm res sublimanda vt decet præparata, vel sola, vel alteri materiæ permixtà, matulæ inferiùs rotundæ, aut latæ, vt media tantum eius pars repleatur, imponitur. Cūque hac aludel, seu sublimatoria matula, vel cucurbita extra fornacem in altum protuberans, luto salso conglutinatur: cui alembicus cœcus in medio vertice perforatus, vt spiritus humidi per foramen illud exhalare queant, supersternitur. Vides formas vasorum sublimatoriorum apud Libauium. Datur postea ignis per gradus: oculusque alembici, cum humiditas omnis exspirauit, (id quod vel vitro, vel laminâ aliqua ferrea polita, quando eâ adhibita, halitu non amplius inficitur, animaduerti potest) luto clauditur, ignisque ad spiritus in sublime pellendos intenditur.

Lib. 1. tyrocin. chymic. cap.4.

In comm. Alchymiæ part. 1.lib.4. cap. 7.

Cum igitur sublimatio secundum Geberum sit, rei siccæ per ignē eleuatio,

eleuatio,cum adhærentia vaſis,procùl dubio hæc à deſtillatione ſeiungitur. Deinde hæc operatio chymica non eſt nouum inuentum,ſed & veteribus cognitum : ita enim cadmia,teſte Galeno, & Dioſcoride, & ex hac pompholix , & ſpodium. Exemplum ſublimationis elucet in præparatione ſublimati mercurij purgantis , quem ſublimatum dulcem nominant : vide Sennrteum in inſtitutionibus; eius doſis eſt ad gr. X. V. cum duobus granis pulueris emetici ; aſſumitur cum pulpa pomi cocti , purgat per vomitum & ſeceſſum,& robuſtis exhibetur.

Lib. 5. part. 3. ſec. 3. c. 17

5. *De coctione & eius ſpeciebus.*

Coctio eſt præparatio rei coctilis indefinitæ, & abundantis humiditate interminatâ,à calore facta.In mixtis coctio ex Ariſtot. eſt perfectio ex oppoſitis paſſiuis , quæ ſunt materia vnicuique (hoc eſt humore & terra) facta per calorem naturalem inſitum cuilibet. Coctionem fieri dicit, cum ex materia ſubiecta & potentia eius producitur forma perfecta per calorem inſitum. Finis coctionis eſt natura ſeu forma & ſubſtantia:cauſa principaliter agens calor internus, adiuuans fomentum externum ; materialis humidum. In coctione materia humida ex ſuperfluo ad modum quendam perducitur,& craſſeſcit : ſic enim calor humidum terminat & vincit. Hoc coctionis genus in tres coctionis ſpecies,nempe maturationem,elixationem,& aſſationem diſtribuitur.

In maturatione ſeu πέπανσι contemperatur àcalore humidum cum ſicco ad productionem formæ mixti ; & hoc modo fit vltima coctio ad nutritionem , maturatio fructuum,fœtus formatio. In elixatione vero calor agit in humidum , vt illud à fæculento & terreſtri ſeiungat : eſt enim elixatio ſeu ἕψησις ex Philoſopho coctio indefiniti inexiſtentis in humido per calorem humidum , hoc eſt materiæ cuius humidum fluit indeterminatè,quod ad modum formamque redigitur per calorem humidum. Sic perficitur coctio cibi in animalibus ; corpus enim nutriendum ſuam habet caliditatem , cuius motu cibus humidus & calidus concoquitur , & ex informi fluidoque ſucco, redigitur ad modum definitæ ſubſtantiæ, veluti oſſis,carnis,& ſimilium. Humidum quod terminari debet eſt πνευματῶδες ſpirituoſum,vel aquoſum : calor agens humidus dicitur, ſiccus enim non elixat,ſed aſſat. Is eſt in humido externo : nam in elixatione duplex requiritur humidum;vnum quod eſt in reipſa,quod item eſt calidum naturâ , alterum quod foris eſt,& calori agenti ſubſternitur. Et illud tale eſſe debet,vt ab externo poſſit ſuperari , & elici. Itaque humore deſtituta , aut quæ tam firmum habent , vt non poſſit vinci , & produci , non ſunt elixabilia.

Pharmacopœus in coquendis pharmacis modum elixationis naturalis imitatur,ob varios fines;primo vt virtus coquendorum in liquorem transfundatur , quo poſtea illorum medicamentorum loco,medicus vtatur. Deinde vt prauæ qualitates , humoreſque excrementitij, & flatus craſſi frangantur , diſcutiantur , & abſumantur. Perficitur autem vulgò coctio à pharmacopœis;igne, & vaſe aperto : ſed quia vis eorum quæ coquuntur facilè euaneſcit , non eſt conſultum ea

vase aperto ad ignem patentem coquere: sed rectiùs fieret, si in diplomate seu vase duplici, vt appellant vase clauso, in cacabum aquâ calente plenum, seu baln. Mar. imposito coquantur. Ita enim nihil virium amittitur: & de hac coquendi ratione loquutus Galen. Dioscorides, Æginera.

6. *De Digestione.*

Chymi ac Medici digestione medicamenta præparant, cum ea lento calore coquunt, quomodo coctiones in animalibus perficiuntur. Tribus autem operationibus nomen digestionis tribuunt: primò enim blanda illa coctio quâ fæces à liquore, quæ aliàs nullo ingenio ab eo separari possunt, segregantur, digestio appellatur: & hæc non ad primam separationem adhibetur; sed vbi iam per extractionem, vel distillationem prima separatio facta est; cuius exemplum habetur in vino nouo, cereuisia, oleo, succis, & similibus. Deinde digestio eo fine fit, vt lento calore externo in internum agente, rei vincula quibus cohæret dissoluuntur, & ad alias separationes res præparatur: vnde & putrefactio, & fermentatio digestio nominatur; nam vbi res contunduntur, diuersæ eius partes miscentur, & vis quædam interna ab externo calore adiuta per totũ corpus sese extendit, atque in illud agit, sicut fermentum in farina, qua actione fit quædam resolutio partium, & ad instituendam faciliorem destillationem præparatio. Tandem digestio propriè dicitur, cum rei iam elaboratæ & præparatæ noua qualitas, & noua quasi forma inducitur; ita vt si quid alieni res obtinet, illud deponat, aut si quid rei deest illud nanciscatur: sicut videmus vinum diuturnitate temporis, vt & theriacam, atque alia medicamenta reddi præstantiora. Digestione hac cruda coquuntur, amara dulcia redduntur, acida & acria temperantur, crassa attenuantur, malignæ qualitates tolluntur.

Agens præcipuum in hoc opere est calor insitus ipsius rei digerendę, & proinde vasa exactè sunt claudenda, ne quis calor aut spiritus, totius operationis author, exhalet. Calori verò interno fouendo, & excitando, inseruit calor externus blandus, perpetuus, & æqualis. Vnde sæpiùs balneum maris ad hoc opus requiritur, vel etiam cineres calidi adhibentur, vel calor fornacis seu furni philosophorum, Athanoris dicti.

7. *De circulatione.*

Inter species digestionis annumeratur circulatio, quæ est liquoris à fæcibus depurati, in pelicano, per varias circumuolutationes aut rotationes, quibus impuritates residuæ prorsus auferuntur, in gradum præstantiorem conuersio siue exaltatio. Materia quæ circulatur, formâ vaporum attollitur, iterumque condensatur, atque ita per coctionem illam continuam & circularem, hunc resolutionis & condensationis motum, ad summum perfectionis in suo genere gradum peruenit. Adhibetur autem circulatio iis liquoribus, qui iam ab omnibus fæcibus sunt separati, quorum exactior subtiliatio inquiritur: vt aqua vitæ rectificata per ampliorem circulationem in quintam essentiam, seu spiritum reducitur

8. *De*

8. *De Assatione.*

Assatio ὄπτησις dicta Aristoteli, est coctio à calore sicco & alieno, differt ab elixatione, siccitate caloris ignei & externi: cum in illa adhibeatur calor per humorem, & insita humiditas euocetur; sed in assatione potius resumitur, ita vt assatum intùs sit humidius quàm elixatum. Foris enim siccitas est, intùs humiditas, contra in elixato.

9. *De infusione.*

Madefactile seu macerabile medicamentum est id, cuius vis per infusionem in liquore aliquo trãsfunditur; vnde poros latos habeat est necesse, vsque ad profundum vt humorem recipiat. Infusio quod caloris vi nihil dissipet, simplicium vires puras sincerasque in liquorem transfert; at non omnes, sed eas pręcipuè quę in tenuiore sunt substantia: eas verò quæ in crassa ac terrena, non æquè validas. Purgandi etiam vim summam elicit, quum præsertim tenuis ac penetrans liquor fuerit, aut simplicium naturæ consentaneus. Rei autem infundendæ liquores cõuenientes, menstrua dicta sunt multiplicis conditionis, quorum præstantissimum est aqua vitæ, quæ tenuissima, inque omnes commissæ materiæ partes se insinuans, concretum illius succum attenuat, incidit, colliquat, secumque rapit: postea vinum album tenue; aqua simplex cui incoctæ sint res attenuantes, tum stillatitia hydromel, & oleum: in quibus simplicia arefacta, concisaue ad tabem vsque macerantur, donec saporis indicio omnem vim deposuerint, aut fermentatione mutuâ, si plura sint, ad eandem naturam peruenerint: idque tepidè, & tepido loco, ad solem, vel calorem prunarum, aut fornacis. Hac igitur ratione comparantur potiones Catharticæ, & aceti, vini, mellis, atque olei complura factitia genera.

10. *De Extractione.*

Ad infusionem refertur à Chymicis extractio specialiter dicta, per quam è misto partes subtiliores & nobiliores à menstruo aliquo apprehensæ, elementari crassitie in fundo relictâ, extrahuntur: & in syrupi aut sapæ consistentiam, destillatione vel euaporatione coagulantur. Fit cùm materia tincturam habens, in menstruo conuenienti infunditur, clausoque vase ad digestionem ponitur; postea ex aperto menstruum coloratum, per inclinationem separatur, affusoque alio vas clausum ad digestionem rursus ponitur: idque toties repetitur, donec menstruum non ampliùs tingatur. Porrò depletiones filtrantur, circulantur, & coagulantur, menstruo ad melliformem consistentiam, vel etiam interdum ad siccitatem, prò rei natura & vsu redacto. Quæ vulgò ex decoctis & infusionibus expressionibusque abiiciuntur, ea calcinantur, & sales inde colliguntur: hosque elaboratos reddunt succo si placet. Extractionum exempla infra afferuntur. *Cap. 7. §. 2.*

11. *De Coagulatione.*

Coagulatio est operatio qua res molles & liquorosæ, è consistentia tenui fluidaque in solidam, per humiditatis priuationem coguntur.

Hæc primò fit per exhalationem & euaporationem, qua humor à re coagulabili expirat. Secundo co-ctione, qua res liquidæ ad solidiusculam consistentiam coquuntur. Tertio congelatione; vt cum christalli in cellis à frigore producuntur: sic vitriolum, nitrum, & similia, vbi aquâ purâ fuerint dissoluta, & filtratione purificata, dimidiâ parte aquæ euaporata: reliquum in cellam vel alium locum frigidum reponitur, vbi sponte in sui generis christallos isti sales concrescunt, idque commodissimè, si virgæ vel baculi lignei, quibus adhærescant iniiciantur. Quarto fixatione, quæ iuxta Libauium est, volatici & fugacis ad permanendum in igni firmatio, & peragitur proiectione medicinæ fixæ, misturis, sublimationibus, digestionibus, destillationibus, graduationibus, cæmentis, &c.

Comm. Alchem. part. 1. lib. 5. cap. 3.

12. *De fusione & solutione.*

Liquatio seu fusio est eorum, quæ à frigido concreuerunt, in liquidiorem & fluxilem consistentiam, à calore facta resolutio; vt adeps, medulla, oleum hybernum, & similia quæ cùm leui frigore coëant; leui quoq; calore funduntur. Metalla verò funduntur violentiâ ignis, & plerumque pulueribus vt faciliùs fluant additis, qualia norunt Metalurgi; de hac fusione tractat Libauius. Differt autem liquatio à dissolutione, quod liquatio semper beneficio caloris, & plerumque sine humore addito fiat; dissolutio verò semper cum humore, & raro cum calore.

Comm. Alchem. part. 1. lib. 3. c. 6.

Alia est species solutionis quæ dicitur à Chymicis deliquium, seu liquatio per humidum, cùm immundæ calces, sales, & similia liquabilia, seu per se inclinatæ tabulæ marmoreæ, aut vitreæ imponuntur, vel sacculo inclusæ suspenduntur: vt in aëre vapido tabescentia, purum succum emittant. Fit tamen interdum vt sales repurgati eo modo per deliquium resoluantur nullâ facta partium segregatione, hoc modo sal tartari in liquorem abit, si in cella in tabulam vitream ponatur, & aceto conspergatur, quem oleum appellant: ita sal corallorum, ita crocus Martis in oleum abit.

13. *De tritura.*

Triturabilia debent esse sicca, & amplos habere meatus ex Aristot. sic viscida vt cera & argilla mollis non conteri possunt defectu siccitatis & porositatis. Multa etiam sicca poris carentia non teruntur: & plerumque poris scatent, & sicca sunt, vt spongia; quæ cum aëris multum habeant viscida sunt, & in puluerem reduci nequeunt, nisi vi ignis illa viscidítas auferatur: sic compressilia quia viscida sunt duci facilè possunt in varias formas, sed non patiuntur trituram. Multa gummi lachrymarum & succorum genera fibrosa minutim inciduntur, dein cum aliis siccioribus teruntur: tragacanthum, mastiche, gummi Arabicum, thus, sarcocolla, & succi qui lentum retinent humorem, non facilè tundendo puluerantur nisi pistillus velut friando per fundum ad latera mortarij ducatur, & in quibusdam priùs affusis aliquot aquæ guttis. Officinæ sericum tusuræ, torrent non rarò, vt carbo priùs reliquus sit quàm sericum. Qui verò circumspectius laborant,

4. Meteor.

borant, vſtulant parumper, deinde forficibus minutim concidunt, additiſque duris, vt margaritis, vnà in pollinem redigunt. Habent & medici quod annotent in contuſionis artificio : nam colocynthis nimis puluerata nocet inteſtinis, eaque rodit. De ligni guaiaci ramentis, ſcobe, puluere ſimile quid annotatur; nam ſerratura & tuſio ſpiritus oleoſos, optimoſque diſſipat. Putant aliqui eodem pacto diſtribui pollines purgātium, nec mouere aluum; quod tamen potius inde euenit, quia tundendo facti ſunt euanidi, & exhauſti; cumque poſtea ſeruantur in officinis aliquandiu, planè inutiles euadunt. Quocirca purgantes pulueres præſertim rhabarbari, & mechoacanæ minùs ſubtiliter teri debent, nec diu ſeruari niſi munitiſſimis vaſis. Inuenimus, inquit Libauius, in pixidis lapideæ operculo, cui puluis zingiberis erat incluſus interiùs oleum zingiberinum in concauitate coagulatum, ſaporis acris euidentiſque, id vnde niſi quia halauit ſpiritus eſſentialis, qui cum chartam penetraſſet (duplex enim charta intercedebat) conſtiterat in ſolido lapide. Permulti trituram condemnant, extractionem eâ vtiliorem iudicantes, quòd per hanc vtilior mixti portio extrahatur, relicto in corpore veneno; ſed refutantur contrariâ experientia multorum, vti & yuca Americænorum, cuius ſuccus lethalis eſt, corpus panis loco in alimoniam cedere poteſt.

In comm. Alchym. part. 1. l. 3. c. 9.

14. *De vſtione & ſpeciebus.*

Combuſtile ſeu cremabile dicitur quod ab igne quoquomodo vinci poteſt, & in cinerem verti. Cremantur igitur quæcunque terreæ quidem ſubſtantiæ ſunt, habentque meatus qui poſſint recipere vim ignis, & præterea in poris humore aëreo gaudent, vt facilè igniri poſſint. Quæ verò meatus habent anguſtos, & humore referta ſunt, vix cremantur, ſicut lateres, & multa lapidum genera, quæ niſi vehementiſſimo igne in calcem reduci queunt. Illa verò corpora quæ parum terræ habent, aëreo tamen humore abundant, vt bitumina & pinguia ſunt inflammabilia, & non cremabilia : at quæ emiunt halitum qui flammam facilè concipit, vt ligna, paleę vruntur, & inflammantur. Quædam ſunt quæ vruntur, ſed non inflammantur, vt omnia ferè metallica.

Imprimis quædam medicamenta torrentur, & vſtulantur, vt humiditas illorum maxima ex parte abſumatur, & ſic faciliùs poſtea conteri, & in puluerem redigi poſſint : vel etiam vt qualitatem ſuperfluam amittant; ita vbi rhabarbaro vim purgatoriam adimere cupimus, vt ſola vis aſtrictoria maneat, illud torremus.

Maiore igne perficitur vſtio, incineratio, & calcinatio : vt enim in toſtione res potius ſiccatur, quàm aduritur, vel ſaltem externa ipſius ſuperficies crematur : ita in vſtione partes tam internæ, quàm in ſuperficie poſitæ comburuntur. Hæc verò combuſtilia vel ad incinerationem terminantur, & vocamus cinefactionem, vel in calcem rediguntur per calcinationem.

Cinefactio ſeu in cineres redactio fit, cùm humidum quod erat in combuſtili, & per quod partes cohærebant, igni abſumitur. Plantæ & animalia in cineres reducuntur

ſalis

salis extrahendi gratiâ; in cineribus nihil relinquitur, nisi sal, & terra mortua, reliqua igne absumuntur. Si tamen incineratio nondum perfecta est, combustio potius vocanda; cuius exempla medici Dogmatici multa proferunt ad varios fines, vt videre est apud Vuerkerum ex Sylvio.

antidot. gener. l. 3. cap. 19.

15. *De calcinatione.*

Calcinatio propriè dicta præcipuum habet locum in metallis & mineralibus, cuius definitionem & varias differentias chymici ex Gebero depromunt, vt docet Libauius. Verùm calcinatio quæ per ignes fit actuales, propriè calcinatio nuncupatur, cui analogos est altera quæ per aquas soluentes, & similia caustica perficitur. Priorem maximè intellexit Geberus, cum scripsit esse puluerisationem per ignem cum priuatione humiditatis, quæ partes consolidabat, seu continuabat: priuationem autem humiditatis dicit, non omnimodam totalemque in omnibus intelligendo, sed tantum eatenùs vt compages partium & cohæsio soluatur, & corpus in calcem abeat. Nam multa ita calcinantur vt reduci possint, quod non fieret, si totaliter consumptum esset humidum insitum. Diceret aliquis elementale humidum solui, non autem primigenium. Quomodo enim aliàs calces non tandem reducerentur aliquæ, sed & deliquescerent, aut funderentur fusione vitrea? metalla tamen possunt calcinando, tam peregrinam humiditatem amittere, quam propriam; retinere insuper aliam, cuius merito vitrescunt, quam ideò habent, quia aliqua in illis est prior mixtio, quæ manere potest etiam destructâ naturâ metallica. Cauendum tamen est, ne in omni calcinatione vsque ad extremam corruptionem fiat processus, quâ omnis rei forma, substantia, & virtus pereat.

Com. Alche. par. 1. l. 3. c. 19.

Ex prædictis satis constat mirabiles esse ignis effectus, quibus cum quamplures nolint fidem adhibere, apponam hoc in loco quæ Galen. loquens de sale theriacali enunciat: plures existimare quod sal theriacum in cineres redactum suam vim vstione amiserit: certè licet parem cum carne theriacæ virtutem non obtinere credat, eam tamen non omninò deseruisse fatetur. « Multa siquidem ignis commercio redduntur meliora: interim latentem naturam in apertum edunt. Nonnulla vero ad quem vsum volumus accommoda efficiuntur. Aurum igne probatur, & purum ab impuro separatur: huius beneficio ferrum ductilius efficitur. Sic ea quæ pro nostra nutritione conquirimus, nostræ naturæ accommodantur per ignem: non enim cruda, sed cocta alimenta, veluti panem, pisces, & similia assumimus. Sic succi plantarum cum immaturi sunt, saporem acerbum habent; sel à calore proprio iuuante cœlesti maturescentes, dulcedinem & suauitatem sibi conciliant.

ad finem l. de theriaca ad Pison.

Igne calcinantur mineralia & alia cremabilia duplici fine, vt acrimoniam deponant medicamenta: alia tamen contra calcinatione acrimoniam nanciscuntur, vt notat Galen. cuius rei hanc rationem afferimus, quia quorumdam acrimonia humore aqueo diluitur: si illa aquea humiditas igne absumatur, longè acrior redditur: id quod in vitriolo calcinato videre est, quod longè

in procem. l. 9. simpl.

longè acrius eſt, maioremque corrodendi vim habet, quàm non calcinatum; ita tartarum calcinatum acrius redditur. Vbi verò acrimonia in tenui ſubſtantia conſiſtit, ſeu à ſale volatili dependet, eo vi ignis diſſipato medicamentum mitius euadit, quod videtur in calcithide cruda, quæ vrit corpus, & cruſtas excitat: ſed combuſta ſi vlceribus applicetur, ad cicatricem perducit. Pix quæ ex Phygia aduehitur, cruda acris exiſtit, ſed vſta & miſta cum aliis medicamentis ad oculorum morbos conducit. Cinis confectus ex ſpongia combuſta ſiſtit ſanguinis fluxum; ſic de ſale theriacali iudicandum, quod ſane per calcinationem à veteribus præparatum, vt videre eſt apud Paulum Æginetam, feliciorem virtutem acquirit, & omnem virulentiam deponit. *Lib. de remed. 7. cap. 11.*

Ex dictis concludimus ignem multas generare diſpoſitiones in corporibus miſtis, quorum mentionem ab Ariſtotele factam non comperimus, quas tamen doctiorum medicorum experientia adinuenit.

Pharmacopeæ Dogmaticæ & chymicæ remedia, ad corporis humani ſalutem tutiſſimè conferre.

CAPVT VII.

1. Pharmacopæus à Chymico non valde diſcrepat.

Ægyptij artium liberalium primiinuentores, Iſidem ſeu ſapientiam ad diuinitatis cuiuſpiam inſtar venerabantur, cuius pedibus hæc epigraphe inſerebatur.

Nemo mortalis meum peplum adhuc detexit.

Hoc peplum ſeu inuolucrum quo arcana naturæ reconduntur, nihil aliud eſt quam denſitas materiæ, quæ ſuo ſinu formas abſcondit: eſſentia enim, & sūma cuiuſque rei perfectio in intimis, materiæ viſceribus occulta latet: illic πανσπερμία formarum omnium ſeminarium primum; hinc veteres formas emergere volebant, cùm de potentia materiæ eas excitari aſſerebant. Hoc indicauit Heſiodus cùm deos ipſos è chao rudi indigeſtaque mole primùm erupiſſe aſſeuerabat: illic in profundo puteo veritatem latere Democritus affirmabat; quæ detracto velo, hoc eſt ab omni impuritate materiæ liberata in apertam lucem educitur. Deſinant poſthac Stoïci conqueri de naturæ noſtræ imbecillitate, Deumque inculpare quod apparentes rerum ſuperficies tantum nobis obuerſentur, abſconditâ & à noſtris ſenſibus ſemotâ eſſentiâ: equidem affulſit lux quæ tenebras iſtas diſcuſſit, Iſidi velum detraxit, & formas quæ hactenus delituerunt profert in apertum; quod pharmacopœi Dogmatici, & chymici ſupradictis operationibus rectè perficiunt. Medicamentorum ſiquidem vires quamtumuis latentes detegunt, eaſque oculis ſubiiciunt detracto velo, hoc eſt eſſen-

tiam ab omni impuritate materiæ secernendo. Vtriusque enim artificis munus est tam pharmacopœi, quàm Chymici corpora naturalia concreta & mixta purificare, soluere, & componere, alterare, & exaltare, & ita elaborare, vt vel partes seorsim & singulæ, vel omnes iterum mixtæ & compositę sint quàm purissimæ & efficacissimæ, atque ad vsus in vita humana peculiares & necessarios commodissimæ.

Vnde Chymicus & pharmacopœus parum inter se differunt, cum eundem finem habent propositum, & res easdem tractant, nec semper operationibus discrepant. Neque enim apud pharmacopœos planè inauditæ & incognitæ sunt calcinationes, distillationes, & similes operationes. Hoc tamen ferè discrepare videntur; quod pharmacopœi frequentiùs vtuntur decoctionibus & infusionibus, ac integra simplicia in medicamenti formam redigunt; Chymici autem penitiùs & profundiùs singula scrutantur, vtilia seligunt, & inutilia ac impura reiiciunt, & omnia medicamenta ita præparant, vt magis spiritualiá, & proinde promptiora, & efficaciora reddantur. His accedit quod Chymicus medicamenta frequentiùs ex metallis & mineralibus vsurpat; cum tamen reliqua ex materia vegetabilium & animaliũ etiam pertractet: illa tamen ita innoxiè præparat, vt si regulis dogmaticorum gubernentur, non verò ab empyricorum inscitia fortuitò & temerè in vsum veniant, absque omni periculo ad corporis humani sanitatem adhiberi possint.

Quomodo & naturæ vi purgant Galenica integra, pulueres, decocta, infusa: eò & Chymica extracta, quia per vtriusque artificis operationes essẽtialis succus in quo crasis principaliter inhæret, cum humido calidoque insito vsurpatur: éstque infusio & coctio Chymica non multum discrepans à Galenica: vtrobique abiiciuntur crassa & inutilia. Si enim Galenicis non perit dissolutione crasis, nec in Chymicis deperditur. Si Galenicæ compositiones insitam vim purgandi non mutant sed promouent, etiam Chymicæ id præstant; sed in explicandis medicamentorum purgãtium qualitatibus discrepant.

Hermetici putant virtutem medicamenti purgatricem speciatim sali, eique amarissimo semper fuisse tributam: nam amarus sapor & veluti felleus naturam salinam redolet, & si seorsim separetur in aqua solutus, dein coaguletur, in purgãs medicamentum reducitur & accõmodatur. Sed in amarissimo non semper vis purgatrix consistit, vt patet in absynthio quasi impotabili, etiam si in salem reduxeris. Succosam verò & amaram rhabarbari substantiam, infusione per liquorem à caloris vi extractam, cur saliuam nuncupemus? cùm reipsa sit vis illa purgatrix, quę cum amaro sapore iuncta est: cuius si primas qualitates pensaueris, caliditas & siccitas comes est: si secundas detergentes, astringentes; & tertias bilis allectorias ex totius substantiæ modo, & temperie inexplicabili prodeuntes, potiùs quàm ex sale. Non enim rhabarbari sal purgat, sed solum astringit.

Verùm Quercetanus opinatur vim purgatricem non tantum in sale, quatenus simpliciter sal est, aut amarus, consistere: sed prout amaritudo illa stipatur irritante quodam *In Respõs. ad veritat. Hermetic. med. c. 7.*

spiritu

ſpiritu ſalino,mordaci,& acri, quo facultas expultrix prouocatur ad humoris noxij expulſionem, quæ purgatio dicitur; vnde vis purgandi in ſalinis ſpiritibus reponatur, qui deinceps irritando purgant. Sed nos, vt ſupra aſſeruimus purgationem vi tractrice fieri, quæ non in ſolis ſpiritibus, ſed in ea medicamentorum portione per varias artificis operationes extracta, & ſuis qualitatibus primis, ſecundis, & tertiis imprægnata: quam ſi voces ſpiritum, vel tenuiorem medicamenti ſubſtantiam nihil intereſt.

Cap. 4. §. 3.

2. *De Catharticis ſuauitate præſtantibus. Extractis ſcilicet, & ſimilibus.*

Extractum Chymicè paratū longè ſuauius & vtilius eſt, vt conſtat exemplo extracti colocynthidis, cuius pulpam cum ſero lactis in baln. mar. macerant, fortitérque prælo exprimunt, expreſſio in matracium iniicitur, ſeorſimque reſeruatur,ac fæci inſidenti illius, recens ſerum lactis ſuperaffunditur: iſtaque rurſum digerenda baln.mar. redduntur, & digeſta denuò exprimuntur; poſtea expreſſiones ambæ iungendæ ſunt,vt in leni mar.baln. omnia ſimul concoquantur ac digerantur: dum appareat hypoſtaſis in fundo vaſis,aut fæcum à liquore puriore ſeparatio: liquor purus per inclinationem à fæcibus ſeparetur, ac denuò in balneo tamdiu digeratur,& à fæce ſeparetur, dum puriſſimus reddatur, quod cognoſcetur ſi nullas ampliùs fæces deponat. Eiuſmodi concoctionibus & digeſtionibus ad imitationem naturæ elaboratis,tandem elicitur liquor Rubini inſtar rubicundiſſimus,& ſplendidiſſimus; qui ingratum ferè omnem iſtum amarorem colocynthidis,noxiamque ſubſtantiam ac faſtidioſam exuerit. Proprium enim eſt digeſtionis munus ſucceſſu temporis, tum rubefacere; tum edulcorare ſubſtantias rerum omnium. Poſtremò liquor à reliqua materia lento balnei calore per alēbicum extillabitur: reſtabit in imo vaſe mellita quædam conſiſtentia, quod extractum eſt puriſſimæ colocynthidis ſubſtantiæ,magnæ virtutis innoxiæque purgationis. Eiuſmodi labore & induſtriâ ex quouis alio medicamento extracta parari poſſunt.

Elegans etiam modus eſt ex ſcāmonio, mechoacham, atque aliis, quæ reſinoſi aliquid habent, extracta parandi, ſi cum ſpiritu vini extractio fiat, atque in ſpiritum vini imprægnatum,& per inclinationem à fæcibus ſeparatum aliquid aquæ roſarum inſtilletur; tum enim extractum ad fundum præcipitatur, à quo ſi per inclinationem ſpiritus vini ſeparetur, extractum ſcammonij in fundo inſtar gummi Arabici pellucidum remanet, quod lento calore ſiccandum, donec in puluerem redigi poſſit: id nonnulli ſcammonij reſinam nominant. Notandum tamen poſt aquæ roſarum infuſionem extractum non totū ſtatim præcipitari, ſed etiam aliquot dierum ſpatio ſubſidere. Affuſio etiam ſpiritus vini in ſcammoniū toties repetenda, donec nihil ampliùs extrahat. Quia verò extractum hoc in liquore calido liqueſcit inſtar reſinæ, commodiùs in pilulis vel bolis, quam pulueribus, quæ in liquore calido ſumuntur, exhibetur. Licet pulnis cum cochleari ſyrupi peculiaris ſolutus facilè hau-

tiri possit. Dosis extracti scammonij est à granis duodecim ad scrupulum vnum.

Alij extollunt ad purgandos delicatiores spiritum vitæ aureum Rulandi, qui componitur ex extracto trochiscor. alhandal cum spiritu vini comparato.

Pharmacopœi præparant suauia medicamentà pro delicatioribus, quæ promptiùs & minori impensa perficiuntur: vt sunt cydoniata purgantia, manna diagridiata cuius hæc est descriptio:

℞. Mannæ puræ recentis ℔. j. scammonij ℥. j. dissoluatur manna cum succi rosar. rubrar. ℔. j. coquantur lento gradu, deinde adde mastiches ʒ. iij. datur ad ℥. ß. cum iusculo.

Denuò blandè purgant, sapa cerasorum composita cum purgantibus mox describendis; vinum citrium, pomorum, arantiorum, granatorum, quæ ad coagulatum reduci possunt, cum quibus miscetur turbith, mechoacanæ extractum, sena, diacridium, &c. prostat exemplum gelatinæ purgantis à Bertaldó descriptum.

In apparat. medicā tract. 30 de conditis cap. 1.

℞. Vini cydoniorum recentis ℔. vj. vini ribes ℔. ij. sacchari fini ℔. j. ß. gummi tragacanti, scammonij an. ℥. j. sandali rub. ʒ. iij. rosar. rubrarum ʒ. j. ligentur omnia in petia rara, & nodulus in succis & saccharo ebulliat, spatula sæpius exprimendo, donec cocturam acquirat, in fine adde extracti rhabarbari ʒ. viiij. fiat gelatina, præstat ad purgandam bilem, dosis est à ʒ. iij. ad vj. pharmacum delicatulorum est, eorumque qui omninò pharmaca abhorrent: sed à perito pharmacopœo præparari debet.

Hodie quidam Empyrici, & pseudochymiatri ægros deludunt, stibium, puluerem emeticum Algaroth, immiscentes rob de ribes, vel ex cydoniis, ac similibus, & pro extracto rhabarbari vendicantes, maximo ægrorum periculo, & medicinæ dedecore.

Libauius docet modum extrahendi vim purgatricem ex pilulis & potionibus, vt segregatis impurioribus partibus, minori quantitate purgare facilè valeant. Ex gr. si in capitis affectibus caput purgandum sit, pilularum drachma vna, quas tamen æger assumere non posset: cape pilulas istas, & cum spiritu vini contritas (vbi intensiores vires requiris) vel cum aqua rorismarini, vel anisi in ampullam vitream coniice, vbi ad drachmam vnam pilularum requiruntur aquæ cochlearia nouem: si spiritum vini affuderis, triduo stet in frigido loco; sin aquam horis viginti quatuor in vase exactè clauso. Exemptis igitur illis, & in concham impositis mundiorem, relinquantur ibidem per horam, & tum per filtrum mundum colentur, id quod colatum est per cucurbitam cum suo alembico stillet, & in fundo cucurbitæ habebis succum extractum exiguâ mole, quem ægro propinabis cum aqua anisi saccharata. Hoc artificio quidquid in pilulis crassum est, & corpulentum, id adimitur: ita vt æger solum hauriat quod est nobilissimum, purissimum, & efficacissimum.

In declarat. tract. Chymist. cap. 15.

Qui non tam delicati sunt potiones vulgares magno cum fructu hauriunt, gustui quidem ingratas, sed corpori valdè consentaneas, vt quotidiano experimento pro salute ægrorum obseruamus. Quod si placeat imbecilliori stomacho per potionem

tionem suauem subuenire, duplica dosim ingredientium tum in infusione simplicium, ac compositorum; deinde cum albumine oui agitato clarifica potionem, & adde confectionis alchermes drachmam semis, si æger nauseabundus, nec ab odore moschi abhorreat.

Plurimi sunt sæpè morosi, vel certam antipathiam habentes, vt vitam potiùs cum morte commutare malint, quàm illarum crassarum & turbidarum potionum plenos haurire calyces, quas ipse apothecarius miscens in casu simili bibere exhorrescendo recusaret. Quare tunc loco vulgarium potionum, prioribus remediis suauioribus vtimur, vel ad chymica confugimus, quæ sub minori quantitate faciliùs & liberiùs ab ægris accipiuntur: vt obseruaui in diuersis ægrotis, & præcipuè in D. Gaspare Hugues Aquis Sextiis, febre subintrante diuturnâ affecto, cum comatoso cerebri affectu; focus tamen febris in minoribus viscerum hypochódriacorum, & mesenterij venis delitescebat, cùm omnis generis potiones respueret, consilium iniuimus cum Doctorib⁹ medicis Domino Grassio medico peritissimo, Dom. Iohanne Francisco Broglia professore regio primario, de propinando puluere Emetico Algaroth ad septem grana, quæ in infusione vini albi fuere reposita, cuius colaturam dum accepisset felici successu post paucos dies conualuit.

3. *An metallica chymicè præparata vsui sint necessaria.*

Metallica & mineralia in vsum deducere non audent multi, chymicos in eo inculpantes quod nimis licentiosè illis vtantur in naturæ perniciem, quod sint vehemétiora, & malignâ qualitate prædita, quæ vix corrigi potest, imò per chymicas præparationes magis violenta & ferociora reddi.

Hinc censor scholæ Parisiensis liberè profitetur vsum antimonij senatusconsulto damnatum esse, decano Domino Petræo Medico celebertimo; postulantibus Fernelio, Gorræo, Syluio, Flessellio, Dureto, & eiusdem notæ sexaginta Medicis subsignatis, à quibus non tantum abusus damnatur, sed illius vsus omninò prohibetur. Inter Alchymiæ fautores audiamus doctissimi Libauij mentem: notum est hac in parte nimis licenter pecare parachymicos, dum stultè sibi persuadent arte spagyricâ per ignes nullum venenum manere, sed omnia dissipari relictâ essentiâ salubri; cùm modò venenum faciant, vt ex sale, hidrargyro, & calcãtho mercurium sublimatum: modò exasperent; vt cum ex sale & arsenico conflant christallinum arsenicum, cuius partes ante neutiquam erant tam infestæ hominis naturæ nec fidendum est correctionibus sublimati quamuis stibio adiecto clament tolli venenum. Probatis potius cópositionibus vtendum. Hinc patet simul aliquando per compositiones nouas vires emergere, quæ priùs in remotiore erant potentia, aut saltem quæ in simplicibus erant expeditæ, spectatæque exasperari. Hydrargirum per se minus noxium esse, iam vniuerso innotuit mundo tot bestiarum & hominum lenationibus. Sales quis non tutò absumit modo seruato? calcantum veteres non reformidarunt aliquando in ventres ingerere: docetque Deum

in breui excursu in battologiam Quercetæ. Examine c. 3.

Comm. Alchym. part. 1. lib. 5. c. 7.

ſeu ſpiritus eius vſu prudente commodare potiùs, quam obeſſe. Sed non ita mitis eſt compoſitio ſublimati, in quo non periiſſe vires ſimplicium, ſed reſtare conſpirareque in vnum actum totius compoſiti, vno quolibet agente quod ſuum eſt, & nihilominus adiuuante alterius operationem, apertum eſt. Ita iudicandum de præcipitato per aquas cauſticas, in quo ſubtilis eſt compoſitio ſpirituum coagulatorum cum hydrargiro: vnde id efficit ille puluis, quod non mercurius, nec aqua cauſtica per ſe ſola (&. Paulo infra) quid de correctionibus? annon adiectis quibuſdam pereunt quædam, veluti cydoniorum præſentiâ, noxa Hellebori; theriaca miſcetur præcipitato, quia ſi bona ſit purgantibus adimit motũ vacuatorium. Dictum eſt frenare inhibereque non tollere, niſi re deſtructâ, quomodo interit concha vini confuſa mille amphoris aquæ, & interitu ſimul vim perdit. Nihilominus tamen ſi deleteria res fuit, ſuſpicio manet. Quocirca cum Paracelſus adiecto halonitro corrigit arſenicũ Cryſtallinum, halitu quidem copioſo excitato diſſipatur quidem venenoſitatis acumen, ſicut cum ſerpentes aſſantur vel elixantur: ſed cum non quoduis in quodlibet abeat, verùm in determinatum, quod interdũ vires recipit, vt atramentum, ſeu per ſe, ſeu in ſublimato etiam repreſſo & domito (vel vt antimonium, quod item redit ad ingenium) tales compoſitiones non ſunt ſatis tutæ, ſi per ſe in ventrem ſint demittendæ. Alia ratio eſt theriacæ, quod conſtat mundi liberâ experientiâ, quò furioſior fuerit ille paracelſicus, qui confictis criminibus eam velit excutere ex manibus hominum, & ſua deliramenta ſubſtituere, malè in hoc ſequutus Magiſtrum Paracelſum, cui aliquando multum fiducię eſt in iſta compoſitione.

Stibij, ſeu antimonij facultates iuxta veterum, Dioſcoridis & Galeni mentem, ſtatuuntur aſtringentes, meatus obſtruentes, refrigerantes, excreſcentias in carne prohibentes, vlcera ad cicatricem perducentes, ſordes & vlcera oculorum expurgantes. Inter recentiores Libauius peritiſſimus cenſet, antimonium minerale compoſitum, ſeu metallum imperfectum, quod ſuo abundat ſulphure, atramento, & mercurio valde imperfecto & crudo, ſpirituali & fluxo; quod arte comprobari poteſt, quæ inde ſubſtantiam vrentem, liquorem mercurialem, ſalem vitriolatũ & colchotar educit: quod ſi inde vitrum & flores eliciantur abſque correctione & dulcoratione, qui tam inſolenter & velociter operentur more cuiuſdam veneni; id contingit imperitiâ artificis, qui quod beneficio præparationis commouit, ſeparare & corrigere non valet: quod conſpicitur in ſublimato vulgari, quod è vitriolo & mercurio plerumque etiam conficitur, quorum per ſe neutrum venenoſum eſt; ſpiritibus tamen virulentis illorum, vi ignis ſublimatis, niſi ſeparentur aut dulcorentur mortifieri ſupra ſunt recenſiti. Multa ex antimonio ad vſum medicum à chymicis parantur, nempe flores albi & purpurei, calx fixa diaphoretica, vitrum purgans, vitrum diaphoreticum, regulus, tinctura rubra, calx flaua col. re cinabarino, deſtillata, crocus, & ſimilia: vel mundificantia ſanguinem, ſudorifica, corroborantia, ac inſtaurantia prodeunt.

In declarat. tract. chymiſtæ. c. 34.

nam

nam antimonium veluti alterum Protheum in pulueres, liquores, olea, extractiones, essentias, tincturas, vitrum commutari à chymicis conspicimus.

Ratio autem potissima cur etiam nonnulli inter chymicos, suspecta habeant remedia ex mineralibus & metallis petita: non tam ex parte remedij depromitur, quàm vel artificum qui ea concinnatunt. Nam si præparatione aliquid maligni relinquatur, vt cùm medicamenta per corrosiua componuntur, & illa non rectè separantur: accidit non rarò vt licet per aliquod temporis spacium nullam noxam intulisse videantur, paulò post vires resumant, sese amplificent, humores corrumpant, & in similem naturam conuertant, atque ita sensim & sine sensu corpus demoliantur ac destruant. Et hoc potissimum in his qui non obstante præuiâ præparatione ad pristinum statum redeunt obseruare contingit: vt pote mercurius qui sæpius sublimatus, præcipitatus, & variis modis transformatus, adeò vt planè priorem formam amisisse videatur: tamen leui negotio reuiuiscit, & ad ingenium redit. Non absimili ratione idem enunciari potest de vulgaribus medicamentis vehementioribus, vt pote scammoneatis, helleboratis, & similibus ex elaterio, colocynthide, euphorbio, thapsia, esula, thymelea, lapide lazuli, scoria æris; quum ab imperitis pharmacopolis sinistrè parantur; aut ab expertis artificiosè conficiuntur, sed præposterè ab empyricis vsurpantur; licet aliàs ex vsu esse possint, bene scilicet parata, & methodicè adhibita. Proinde Mathiolus medicos reprehendit qui antimonium criminando longè perniciosiora in dies medicamenta vsurpant: illo seque iudicio & ratiocinatione sanâ plurimum valere ait, qui chronicis morbis ac desperatis siue pituitosis, siue melancholicis antimonium in vitri formam præparatum præscribunt. Nos verò cum recentioribus crocum metallorum in febribus intermittẽtibus nothis facilè imperamus, & aliquando puluerem Emeticum algaroth, tum etiam puluerem cornachini, de quo iam dissseremus.

Com. in lib. 5. Dioscor cap. 59.

4. *Puluis purgans Cornachini.*

Hûc attexere cupio singularém antimonij præparationem, quam Cornachinus Medicinæ professor Pisanus publicæ vtilitati commisit; & ad omnes affectiones ab humorum copia, vel qualitate peccantium genitas; etiam pro delicatioribus accommodauit. Verùm quia subobscuram parandi rationem descripsit, visum fuit faciliorem proponere, quam mihi cõmunicauit Dom. de Rodõ Doctor Medicus Massiliensis aggregatus, chymiæ peritissimus. Accipiatur antimonij optimi ℥.j. salis petræ rectificati ℥. j. antimoniũ crasso modo contritum, & cum sale mixtum, mox apponatur in magno crucibulo, aut vase vim ignis ferente; postea cum carbone accenso, quem statim subtrahe, ignem admoueto: hoc facile ardet; sed in secunda calcinatione duplum salis petræ apponitur scilicet ℥. ij. quæ simul exactè commiscenda cum antimonio semel calcinato, reponendaque intra similé vas testaceum; seu crucibulum, quod multò sit capacius quàm materia intus contenta: aliter maior ipsius portio deperiret, hâc enim vice secundæ calcinationis

tionis oportet vt crucibulum in fornace collocetur inter prunas ardentes,non tamen sit admodum vehemens ignis, ne in regulum abeat antimonium, illudque obseruandum quod in vltima calcinatione difficilè comburitur, nisi priùs sal petræ amoueatur beneficio aquæ communis, sed antequam illud separetur, crucibulo existente intra fornacem, & materia sit liquata, tunc assumetur carbo longus & conueniens cum volsella, & dicta materia continuò versabitur,vt bene comburatur sal petræ,& exhalet. Postea crucibulum rumpitur, eo ab igne extracto & frigefacto, colligi debet sedulò materia; rursusque ponderari; eique adiicies denuò salis petræ ad duplum, postmodum igni admouebitur vt in secunda calcinatione, fortiter agitanda cum carbone accenso,vt dictum est; sed caue quod si carbo frangatur, colligenda esse fragmenta ne materiam inficiant,quam ablues denuò ad sal remouendum.

Antimonium hoc modo præparatum nullam adipiscitur caliditatem, vt copiosè quidem sed iucundè,non enim molestiam infert,suauiter,non enim prauo odore aut sapore præditum est, corpus nostrum à frigidis humoribus & crassis purgat,vt experientia probauit,sine vlla ferè vitium iactura. Antimonij sic parati dosis, à gran. iiij. ad xij. vsque ad Xiiij. vel X Vj. in iis qui difficulter purgãtur. Verùm ad purgandos q iosuis humores prædicto pulueri addit Cornachinus, scammonium cum sulphuris accensi vapore correctum, & cremorem tartari.

Scammonium hoc modo præparatur: accipitur scammonij electi certa quædam quantitas, eáque crassiuscule trita super chartam papyraceam extenditur,mox sulphure super ignitas prunas iniecto, super fumum qui ex sulphure attollitur, cartha iam dicta eò vsque detinetur,quò scammonium liquari, & carthæ adhærere incipiat:nam tunc statim à fumo cartha remouenda est; aliàs si diutius ibi permaneret, vim ex toto amitteret: ista præparatione scammonium redditur sine odore ac sapore efficacissimum, ad bilem cœterosque calidos ac tenues humores blandè, placidè absque caliditate ac molestia (contra quam faciat scammonium communiter paratum) educendos: huius dosis est à gra. vj. ad xvj. vel decem & octo,& viginti,in iis qui difficulter purgantur. Cum ergo humores tum crassi,& tenues ex æquo abundant, tunc dimidia scammonij præparati dosis,scilicet gr. viij. vel x. & dimidia pariter antimonij,seu gra. vj. vel viij. simul est accipienda. Tandem vbi alter alterum superat humorem, tum pro ratione humoris superabundantis, medicamenti quoque ipsum respicientis quantitas augenda est. Exempli grat. si bilis pituitam, vel succum melancholicum superet; dentur scammonij sulphurati gra. xij. antimonij verò gra. iiij. vel v. quod si hæc medicamẽta ritè præparẽtur antimonium exhibemus ad gra.vsque xx. scammonium verò ad gra. xxij. pulueris antimonij exhibendi varij modi:puerulis trium mensium cum lacte propinetur, vel in iusculo,vel in ptisana, vel in conserua, vel vino. Pharmaco assumpto per horam quiescendum, & dormiendum si somnus obrepat, inde vigilandum: cibum verò nonnisi post

purga

purgationem capiat. Quod si puluis eam excrementorum copiam non eduxerit, alterâ die clyster iniiciatur: prædictis pulueribus immiscetur cremor tartari, sequenti modo præparati.

Accipiuntur ex tartaro albo crasso modo puluerisato, & multiplici aquarum ablutione repurgato donec clarissimum euadat libræ v. vel vj. induntur in patinam terream vitreatam, inde aquam affunde fōtanam, vt quinque aut sex digitos materiam supernatet, & bulliant in vase per spatium duarum horarum: posito dein vase in loco frigido, in superficie concrescet cremor crystallinus, quem separabis cum cochleare perforato, reiteratâ eadem sæpius ebullitione, post materiæ refrigerationem semper cremor adimatur, qui in frigido coagulabitur, & fac vt exsiccetur in aëre, & vtere. Vires habet incidendi humores crassos & tartareos, meatusque obstructos aperiendi, & immiscetur dictis medicamentis: hæc autem est formula:

℞. Stybij diaphoretici præparati ℈.j. scammonij sulphurati gr. xij. cremoris tartari gr. xv. misce fiat puluis capiat cum aliquo liquore conuenienti.

Si superent humores biliosi crassos: ℞. scammonij sulphurati gr. xv. stybij præpar. gr. xij. cremoris tartari ℈.j. misce fiat puluis.

Nonnulla de Mercurio subiungere placet, de cuius temperamento sciendum est, à quibusdam statui frigidum & humidum, ab aliis calidum & erodentem. Renodæus in eo mistas qualitates reperit, quasdam subtiles & calefacientes, alias crassiores & refrigerantes: sed præterea est acidus, rarus, permeabilis, hinc incidit, attenuat, penetrat, liquat, resoluit, ventrem subducit, & quod mirum est vi partium attractiuâ, humores à superficie ad centrum, hoc est ad ventriculum adducit, & per secessum educit; partim impulsiuâ à centro ad habitum impellit, & per saliuationem propellit. Ad effectum vtrumque datur in lue venerea, sæpéque ad saliuationem; cuius loco aliquando alui fluor superuenit. Hodie multi vtūtur hydrargiro, aut potiùs abutuntur, cùm aliquibus sit noxium, si non debitè corrigatur, & opportunè exhibeatur. Propterea excusandus Galenus qui in illius vsu meticulosus fuit, quia didicerat à Dioscoride vim illi esse perniciosam.

Chymici parant Mercurium sublimatum, præcipitatum, & Mercurium vitæ: Sapata dat crudum infantulis, & grandioribus ætate ad vermes necandos. Pharmacopœi Massilienses dant Mercurij infusionem in aqua communi factam. Tandem Mercurius est naturæ mōstrum quod nullis legibus coërcetur, ac facile formam perdit, & mox recuperat.

5. De Chymiæ necessitate.

Artem Spagyricam ad vsus Medicos necessariam esse censemus: nam in re vna simplicique sæpè substantiæ sunt dissimiles, proprietatibus contrariis insignitæ, quarum vna noxia reliquæ salutares, vt in opio apparet, quæ sine substantiarum separatione artis spagyricæ adminiculo demonstrata dignosci nequeunt. Nec possunt Galenistæ sua dogmata tueri absque huius artis beneficio, affirmantes omnia

amara esse calida; cùm tamen opium summè amarum stupefaciendi virtute excellat: rosa item & cichorium licet amara sint, nihilominus ad refrigerandum adhiberi solent: quæ tamen norunt Chymici diuersas substantias separando, & rerum Anatomias vi ignis dissecando; & reperiunt in opio sulphur dulce narcoticum, vt vocant; sal amarum calidum sine vlla vi stupefactiua. Hinc artificium Chymicum Galeni tempore deficiens nõ admodum in vsu erat, cuius cum inscius esset Galenus, magno tamen captus desiderio fuit illud perquirendi, vt ex ipsiusmet verbis intelligere est, quando de simplic. medicamentorum facultatibus; de aceti partibus calidis & frigidis secernẽdis se pericula omnia subiturum ait, si quam machinam aut artem inuenire posset, partium contrariarum separationes, vt in lacte sic in aceto: qui si artis distillatoriæ peritus fuisset, voti sui hac in parte facilè compos fieri potuisset. Aceti verò anatomiam & partes heterogeneas describit Quercetanus, & salem illius acidum patefacit; quem Philosophi Mercurium suum vocant, aut salem armoniacum volatilem ac spiritualem (quod omnium metallicorum salium armoniacus vulgaris sit volatilissimus) vt qui in farinæ formã albissimæ ac salsæ, ad nubes vsque sublimatione efferri possit, naturamque habet siccam ac spiritualem: tantaque istius salis est aciditas, vt scrupulus vnus, aut octodecim, vel viginti grana huius salis mundissimè depurati, ac simplicissimi in hydria aquæ communis soluta, totam illam mirè acidam reddant. Ex aceto attenuantes spiritus penetrantes & promptè dissoluentes à perito artifice extrahuntur, qui vires & facultates aliũde quàm ab ipso sale armoniaco spirituali ac volatili cum humore aqueo permixti prodire nequeunt. Hæc verò probat ex partium destillatione extractarum separatione.

Lib. 1. cap. 19.

In Respõs. ad Hermet. doctri. veritatem cap. 20.

Dogmaticorum remedia & præparationes non sunt propterea reiiciendæ, vt fecit Paracelsus, cuius hæc sunt verba: crassa & rudis præparatio, qua se pharmacopœi Monspelienses efferunt, ars est haudquaquam discenda, sed mera coctura & fartura abominabilis: ipsi tamen hac arte syrupos capiunt, & laxatiua, & similia composita. Hoc artificium atramentarij pseudo-medicorum libri docent. Non sunt inquam syrupi, & laxatiua eo modo paranda, qui à Monspeliensibus traditur, sed prout scientia Alchymiæ medicinæ docet: sic enim Deus ordinauit. Non enim ea remedia sunt explodenda, quæ tot seculorum experientiâ à doctissimis Medicis fuere comprobata, quæ licet sapore insuaui & ingrato donentur, attamen ægro corpori magnum adiumentum conferunt: aliorum tamen inuenta non sunt despicienda, qui extractionibus suauioribus, vires purgantium elicuerunt, aut vsu mineralium ritè paratorum medicinam locupletarunt. Caueant tamen Medici ab illis spiritibus antimonialibus, & sulphure arsenicali, ne nimis licentiosè illis medicamentis, vel non rectè præparatis, aut non benè iudicatis abutantur.

In Labyrintho.

De

De medicamentorum compositione.

CAPVT VIII.

1. De compositionis causis.

VT simplex composito naturâ prius est, sic medicamenta simplicia compositis; primúmque veteres Medici referente Plinio, ad morborum curationem simplicia tantum præscribebant, vt Diocles, Praxagoras, Chrysipus, & Erasistratus, Hippocr. quoque, qui primus artis Medicæ fundamenta stabiliuit, ac leges condidit, omnibus penè affectibus medebatur solis simplicibus medicamentis. Necessitas tamen exercitatos coëgit Medicos, inquit Aëtius, aliquando noua cōquirere remedia, & ex simplicibus quædam componere, cùm scilicet simplicia vbique mederi non possunt. Nam si solis simplicibus, ait Galen. vniuersos pr. nat. affectus curare liceret, nullus vtique compositi vsus foret: at nullum datur tale simplex, quod præstare id valeat; quare compositionis medicamentorum necessarius est vsus, cuius omnium primus author perhibetur Mautias Herophilæus, dein Capadox Heras, Musa, Asclepiados, & Andromachus, Damocrates, sed omnium maximè Galenus pharmaci componendi rationem adinuenit, mixtorum legitimam proportionem, & vtendi modum docuit.

Lib. 26. hist. nat. cap. 1.

Tetrab. 4 serm. cap. 25.

Lib. 1. compos. Medic. sec. gene. cap. 5.

In La. byrintho.

Multæ autem sunt compositionis medicamentorum causæ: prima quum morbo profligando deest aliquod medicamentum omninò contrarium; tunc enim aliquod compositum vsurpatur, quod simplicis suppleat defectum. Vt cùm intemperies affligit numeris duobus à mediocritate distans, si nullum in promptu sit medicamentum frigidum ordine secundo, duorum quæ primi & tertij sint ordinis pares portiones temperatæ, compositum efficient ordinis secundi, & depellendo morbo accommodatū. Sic ad vlcus moderatè detergendum, miscemus duo simplicia medicamenta, vnum quod potenter, alterum quod negligenter id præstat, ex quorum concursu ac commistione, vnum nascitur moderatè detersorium.

Altera cōponendi causa ex simplicis medicamenti vitio depromitur, quod aut imbecillum est, aut malignum: illud acrioris permistione intenditur, & excitatur; vt rhabarbarum spicâ, vel sandalo citrino. Senna, agaricus, turbith; zinzibere, aut sale gemmeo: aloë, asaro, spicâ, xylobalsamo. Et quorum vis in crassiore materia fixa inhæret, si altiùs aut longiùs deducenda est, attenuantium aut acrium adiectione impellitur. Nonnunquam tamen & hæc agendi celeritas præparatione comparatur, præsertim triturâ, vel coctione: asarum enim, aut piper, aut calaminthe diligenter trita, cribroque tenui creta longiùs penetrant, validiusque aperiunt, ac digerunt. Æs quoque, calchantum, alumen, & alia metallica vstione tenuitatem & acrimoniam nanciscuntur. Quod porrò mali-

gnum aut prauum medicamentum fuerit, violenta illius qualitas hebeſcit admiſtione benignioris, aut oppoſiti: vt cùm acribus lenientia permiſcentur, amaris dulcia, impensè calidis refrigerantia, malignis cardiaca; vt ſcammonij & aloës acrimonia, addito maſtiche, tragacanto, cotoneo malo frenatur, venenata qualitas dictamno, ſcordio. Ellebori nigri malignitas aniſo, dauco, floribus nimpheæ: æruginis ad malignorum vlcerum deterſionem acrimonia retunditur olei & ceræ permiſtione in ægyptiaco, aut aquis aſtringentibus: vis opij marcotica ne quid efficiat, caſtoreo, aut croco, vel aceto emendatur. Hæc quoque correctio interdum præparatione fit; vt ne aloës acrimonia venas exedat lotione eximitur, & æs vſtum lauatur, vt ſine morſu cicatricem inducat.

Tertia componendi cauſa ex affectæ partis ſubſtantia, ſitu, præſtantia, atque ſenſu exiſtit. Quam enim pars denſa, longéque à remediis diſſita fuerit, vt renes, & vterus, plerumque attenuantia baſi permiſcemus, quæ eò penetrent, tum alia quæ ſgbſtantiæ familiaritate baſim, id eſt, præcipuum ſimplex medicamentum eò diiigant: vt medicamẽtis cephalicis betonicam, pulmonicis hyſopum, cardiacis bugloſſum, hepaticis agrimoniã, ſplenicis ſcolopendrium, hyſtericis arthemiſiam. Pars quoque nobilis & exquiſiti ſenſus (ſi baſis vehementior fuerit) aliud quidpiam ſibi totâ ſubſtantiâ familiare miſceri poſtulat, & quod ſe ſuumque robur conſeruet. Ea propter quæ viſceribus accommodantur medicamenta, corroborantibus fulciuntur: & quæ ſub alimenti ſunt ſpecie, vt medicata vina, quia minus moleſta cœteris antecellunt.

Quarta componendi cauſa eſt affectuum varietas; quot enim ſimplices ij fuerint, totidem facultates iis opponentur: neque vlli ſimplici vis eſt depellendi compoſitum affectum. Si ſimplex eſt morbus, ſed quem vel ſua interior cauſa, vt humoris lentor, vel ſymptomatis grauitas, vt doloris ſæuitia comitatur, neceſſaria eſt medicamenti compoſitio, quæ in ſingulos affectus referatur atque pertineat. At multò magis ſi multi iique diſſimiles morbi, vt intemperies, & obſtructio in eandem partem concurrant, aut etiam ſi ij diuerſis partibus inſideant, vt ieçoris calida intemperies, renum calculus, & vteri obſtructio menſes ſupprimens. In his igitur neceſſe eſt medicamentum ex iis componatur, quæ ſigillatim vnumquemque affectum depellant. Quũ multæ compoſitionis baſes collectę fuerint, addenda fortaſſis his rurſum erunt quæ ſingulas illas vel adiuuent, vel emendent: vt iam inde non paruus ſimplicium numerus accreſcat. Sic enim fiunt quæ polychreſta medicamenta veteres appellarunt.

Sunt aliæ quædam compoſitionis cauſæ minùs neceſſariæ, vt cùm ad gratiam palati, vel cordis medicamenta dulcorantur ſaccharo, aut melle, vel condiuntur cinamomo, aut aliis aromatis, vel diluuntur in decoctis idoneis, vel in forma boli, aut electuarij ſolidi componuntur. Ad odorem enim, ſaporem, colorem, & iocunditatem medicamentorum, atque ad eorumdem conſeruationem in futuros vſus, multa ſæpè adiunguntur, permiſcentur, & ſimul vniuntur. Quorumdam namque vis facilè reſoluitur, vnde viſcidio-

ris

ris alicuius admixtione, ne facilè dissipetur efficimus: id quod in balsamis ex oleo cinamomi, citri, aliisque paratis fieri videmus. Quædam tamen solâ præparatione ad curationem magis idonea redduntur, atque ab eadem peculiarem formã nanciscuntur, qualia sunt olea destillata, aquæ, extracta, sales, & similia.

2. *Compositionis quatuor capita.*

Ex harum causarum consideratione patet quàm methodicè medici medicamenta componant, quatuor capita sibi proponentes: imprimis basim eligere oportet, quæ indicationi satisfaciat, quam morbus, vel causa morbifica, vel symptoma ipsum quod vrget, suppeditat: huic basi tanquam ędificij fundamento tota compositio innititur: est autem basis aut simplex, aut composita; simplex vnicæ indicationi satisfacit. Composita verò quæ plures vsus præstare potest, siue quæ ex pluribus constat. Electio autem basis pendet ex doctrina de indicationibus; qui enim artificiosè in quolibet affectu pr. nat. indicationes eruere potest, simpliciumque medicamentorum facultatem & naturam perspectam habet, modumque præscribendi medicamenta sub certa formula, facilè cuilibet morbo accommadatum remedium inueniet.

Verùm quia basis seu medicamentum quod affectui pr. nat. opponitur, non semper vndiquaque intentioni respondet, vel quia ignauius, aut iustò validius vt dictum est: alia in compositione secundo loco adiiciuntur, quæ basim corrigunt, aut iuuant.

Tertio vt ad partem affectam vis præcipua medicamenti faciliùs peruenire valeat, dirigentibus opus est: è quorum numero primò & quidem propriè sunt parti affectæ familiaria; deinde quæ meatus aperiunt, viamque quasi & transitum medicamento patefaciunt.

Tandem & alia ad compositionem medicamenti requiruntur, quæ illud à corruptione præseruant, eique formam & consistentiam tribuunt: hinc alia melle, alia saccharo, alia oleo conseruantur; atque ab iisdem per varias præparationes, vel syrupi, vel electuaria, vel conseruæ, aut similium formam accipiunt. Atque ob iam dictas causas compositis opus est, dum plures bases concurrunt, & singulis sua corrigentia adduntur. Quod verò per pauciora fieri potest, frustra per plura medicamenta conficitur: hinc promanat abusus apud medicos pragmaticos, qui remedia ex indefinita simplicium farragine inartificiosè componunt, ad fastum potiùs, aut pharmacopœorũ lucrum, quàm ad ægrorum commodum: satius tamen est, ex paucis & vtilibus remediis per indicationes elicitis medicamenta componere, quàm indiscretâ simplicium varietate compositiones inutiles & noxias concinnare, vt rectè Fernelius, Riolanus, Platerus, Sennertus consuluerunt.

Basis si non quantitas, vis saltem summa atque præcipua in compositione esse debet: neque enim theriaci pastilli, neque scãmonium, neque Euphorbium in cõpositionibus quæ ex iis constant, cœteris quantitate, sed tamen viribus antecellunt. Cœterorum quæ basis effectum facilitant, tum quantitas, tum vis minor fit, vt neque in affectum,

neque in partem insigniter agant, sed in solam basim, cuius vires minimè peruertant. Eorum verò quæ melioris vsus, & odoris saporisque gratià induntur, multò quidem minùs vis elucere debet, aut basi obsistere. De dosi medicamentorum vide pharmaciam generalem parentis colendi: Lib.3.c.2.

3. *De compositione Chymicorum in Paracelsum.*

Hûc notari debet Paracelsicorum proteruia, quibus tam inuisa est compositio, vt somnient suauiter in omni medicamento simplici esse vim perfectam, nec requiri in medicina aliud, quàm impuri à puro segregationem: spiritum spiritali simplicitate, sanari, & quę plura portenta temere euomere cum iniuria alchymiæ non erubescunt. Per se enim patet artem separatoriam dici Alchymiam, non quod ex mixtis vnitione naturali alteratorum elementorum tantum faciat simplicia, sed quod ab essentiali parte medicaque separet crudam crassamque, & vitium expertem, siue id fiat vno, siue multis productis, ita relictis, aut denuò vnitis: vel etiam diuersarum specierum essentiis compositis, vti fit in Lulliana illa astrorum ad cœlum affixione; in qua certè compositio fit quintæ essentiæ generalis, cum specialium rerum naturis, siue simplicibus, siue compositis. Medicus ergo vt citò, tutò & iucundè iuuet, medicamenta sua componit, minùs suauibus addit grata, occultatque dulci sapore amaritudinem vel austeritatem medicamenti. Tardis apponit celeriter operantia, actumque promouentia; periculosa refrenat tutis, velocia tardis inhibet, & similiter in cæteris agit. Chymicus confidit se obtinuisse ista præsidia præparatione simplicium, vt non opus sit additamentis: nam copiam ad paucitatem delectabilem redigit, & hoc ipso non parum placet: tarditatem corpore pigro & astringente abiecto summouet: pericula & noxas multis anteuertit modis. Sapores & acrimoniam cogitur aliquando additamentis delinire, quandoquidem in parua mole virtus magna validiùs afficit. Quamquam ergo Parachymicii tam sint fatui, vt impudẽter indicia scoposque omnes in odium medicorum antiquorum ausint inficiari & repudiare; veris tamen chymicis ij non rarò sunt propositi, eosque sæpenumero sequuntur, & non ob aliam causam compositiones instituunt.

Chymici ergo inani corpore separato reponunt essentias, quæ cùm sua simplicitate non sunt idoneæ, tales societate euadunt; huius proportiones sunt inexplicabiles, notanturque vt plurimùm experientiâ singularium, quâ constat, quid quęnam possit solitarium, & quid iunctum huic, illi. Aliquid fiduciæ in sensibus est: nonnihil in ratione, sed vtrumque complectitur experientia obseruationibus crebris confirmata. In his componendis quamquam præcedentes admonitiones minimè contemnant, tamen vt solertius naturæque conuenientius ex pluribus vnum faciant, respicere solent ad analogiam maioris mundi: considerant astra hominis, cor, cerebrum, hepar, lienem, renes, pulmones &c. his familiaria medicamina dicunt existere in natura; vt cerebro argentum, saphirus, vitriolum, smaragdus: cordi aurum, margaritæ,

crocus:

crocus: pulmoni sulphur, & sic consequenter. Multis itaque patientibus vel consentientibus iungunt multa, & vnumquodque eâ proportione vt exigit passio, & mutuus habitus iungendorum. Aliquando morbos, cœterasque constitutiones diudunt in mineralia, vegetalia, animalia. Consideratis viribus mineralia mineralibus determinato gradu legunt: alia aliis. Ad mixtos effectus miscent hæc quoque, vt indicat natura, virtus, & ratio passionis. Neque omnia persequi fas est, quæ ipsi docent; multum enim subest vanitatis & superstitionis, si similitudo ista & analogia affinium spectanda esset in medicationibus hominum, prima vis esset ex humanis, secunda ex bestialibus, tertia ex vegetalibus, vltima ex mineralibus & cœlestibus tanquam extremis; sed fideliora sunt indicia nostrarum compositionum. Si ergo Medicus velit contra morbos inuenire compositum remedium, despicere iubent, & fastidire indicationes ab essentia, loco affecto, viribus, natura remedij, dispositionibus laborantis &c. sed ad ista tanquam fundamenta respicere, vt sit ex quatuor omninò rebus totum compositum, basi constante ex volatili astro & fixo (stellâ fixa & planeta) quæ sit cor in cordis affectu primario, stipatum constellationibus cœteris ad absolutionem quaternarij, & circuli in quadrum expansi, indéque reductio. Sed hæc mittamus, non enim comparationibus & analogiæ adeò fidendum, vt faciunt Paracelsistæ: vnumquodque propriis principiis, non alienis & extraneis æstimandum. Si enim demonstrationibus à rei natura positis nos falli contingat; quid accidet iis qui symbolismis solum vtuntur; & quî minorem mundum cognoscent? cùm maiorem perfectè non norint.

De methodo inueniendi remedia per indicationes, iuxta Hippocr. & Galeni sententiam.

CAPVT IX.

VT constet ampliùs quomodo Dogmaticorum methodus, Hermeticorum doctrinæ præualeat, declarandum axioma à principio positum; quod omnis morbus contrariis sit profligandus: contraria enim sunt morborum remedia. Cōtraria multifariam dicuntur, quæ non in qualitate solum, verùm etiam in quantitate, numero, situ, figura, & toto genere plurimùm distant; vt calidum & frigidum, humidum & siccum, durum & molle, crassum & tenue, atque etiam magnum & paruum, multum & paucum, altum & depressum, contraria sunt quæ priuantia appellantur, vt plenum & inane, integrum & corruptum, continuum & solutum. Itaque cum suum cuique morbo contrarium sit remedium, eademque sit contrariorum doctrina; quot certè morborum tot & remediorum genera constituenda, vt igitur aliàs morbus

morbus est aut simplex, aut compositus, aut disiunctus, aut implicitus: ita sanè & remedium aut simplex est, aut compositum, aut implicitum, vel disiunctum. Simplices imprimis affectus qui corporis partibus, vel contentis humoribus insident, sunt intemperies calida, frigida, humida, sicca: adhæc substantiæ solidæ carnosæ vel spirituosæ immutatio per occultam quandam qualitatem malignam, vnde nascitur morbus totius substantiæ; hinc pestis cœterique morbi maligni & venenati prodeunt: eadem vitia in humoribus quoque, atque in cœteris contentis insunt, maximè verò intemperies & corruptio, præter hæc quoque immodica exuperantia, qualis in plethora, turbulenta agitatio, atque defluxio, crassities atque tenuitas, durities & mollities, lentor seu tenacitas, & acrimonia: hæc enim quoties à naturæ modo longiùs absunt, præt. nat. censentur. Instrumentorum vitia numerari solent, meatuum læuitas & asperitas, angustia seu coarctatio, & amplitudo seu dilatatio, densitas & raritas, occlusio & apertio. Cœteri affectus qui vel in figura, numero magnitudine fieri traduntur, aut ex enumeratis humorum vitiis obrigerunt, aut certè chyrurgiam expostulant, sicut & continui solutio. Isti ergo morbi simplices aduersas medicamentorum vires ad sui curationem indicant: ita vt exurgat par affectuum atque remediorum numerus. Exempli gr. intemperiei calidæ opponitur medicamentum refrigerans, & sic de cœteris.

De indicationibus & scopis curationis intemperiei.

CAPVT X.

1. *Quid in alterantis contrarij indicatione sit obseruandum.*

OBSERVA quoad vsum indicationis intemperiei curandæ, non esse sumenda quælibet indicata medicamenta alterantia, nisi priùs ipsorum qualitates tam primas quam secundas examinauerimus. Verbi gratia, cùm indicantur calida tertij ordinis, vt radices acori, helenij, fœniculi: herbæ chamedrios, calamintæ, hyssopi: semina anisi, amini, fœniculi &c. considerendum est ista non solum calefacere, sed desuper exsiccare, incidere, attrahere, inflammare, fundere humores, corpus colliquare: similiter in secundis qualitatibus, quæ per sapores percipiuntur, diuersos effectus producere; nam hæc eadem medicamenta acri sapore moderato tamen prædita vim habent penetrandi, meatus aperiendi, crassos humores attenuandi, &c. insuper videndum quænam sit sympathia, aut antipathia horum medicamentorum cum corpore, & quænam facultas specifica & indicibilis.

Hermetici istas qualitates aspernantur, quum omnia putent nasci à spiritibus salinis, mercurialibus, aut sulphureis. Verùm ista morbis intemperiei non derogant, nec medicamentorum qualitatibus: cum certè non in ipsis solis qualitatibus

subsisten-

ſubſiſtendum eſſe dixerimus, ſed prætereà diuerſas ſubſtantias, ſuccos, liquores in corpore contentos examinare oportet:tum eorum ſubſtantiam tenuem, craſſam, raram, viſcidam;tum ſaporem acrem, acidum,acerbum,vel ſalſum comitantem: & ſic debitè hiſce medicamentis vtemur, pro ratione indicationis natæ, ad perficiendam partis intemperatæ mutationem, è ſtatu morboſo ad contrarium,nempe naturalem & ordinarium.

Aduerte deſuper in intemperiei curatione non ſolùm contrarietatem in genere annotari; vt ſc. licet morbo frigido remedium calidum adhibeatur; hinc enim inartificioſa tantum eruitur indicatio, & plebi nota, ſed & gradus contrarietatis obſeruandus:nam propria cuiuſque partis temperies eſt examinanda,& noſcendum quouſq; à priſtino ſtatu receſſerit. Regula eſt quod plurimum à temperamento deflexit, maioribus expugnandum remediis; quod minùs aberrauit leuioribus tentandum.Itaque æſtuans morbus in frigido corpore maiore vi contrariâ eget:idem morbus calidus,in corpore calido blande refrigerantia poſtulat:frigidus morbus in corpore frigidiore, calida remedia mitiora poſtulat;idem ſentiendum de reliquis. Tum etiam attendere oportet an partis temperies cum illa totius conſentiat,annon? nam ſi pars ægra & totum eiuſdem temperiei fuerit, cum morbo aduerſæ temperiei,quantitas auxilij augebitur. Vt ſi vlcus morbus humidus, parte corporéque ſicco, validius ſiccandum. Vbi verò pars & corpus diuerſi ſunt temperamenti;ita vt tantum madidius corpus, quantum pars ægra ſiccior fuerit, temperata indicabuntur præſidia. Sin ſiccior aliquantò pars fuerit, quàm totius temperatio ſit humidior, vt quàm in tantum intendi ſiccitatem medicamenti, quantum partis temperies ſuperat totius temperamẽtum. Veluti cum tribus gradibus eucrato ſiccior fuerit locus malè ab vlcere affectus; at temperamentum ægri corporis, ſi fuerit numeris duobus eucrato humidius, conſentaneum eſt hanc vlceratam particulam, ſiccius vno ordine poſtulaturum auxilium, quàm quæ pars temperata eſt deſideraſſet, præcipiente id Galeno.

Aliud quoque obſeruandum, vt non ſolum medicamentum intemperiei præſenti quantum fieri poteſt exactè reſpondens opponatur, ſed & ſit appropriatum,& peculiarem cum partis affectæ natura cõuenientiam habeat. Multum enim intereſt an neruus,vel caro,an ventriculus, vel hepar intemperie laboret: cuius namque officium latè ſeſe per corpus fundit, blando naturæque conſentaneo remedio firmari debet, ne fibris roboréque exuta concidat. Si cerebrum ſit calefaciendum, ea quæ cephalica dicuntur præſcribenda, vt betonica, maiorana, roſmarinus; ita thoraci thoracica; cordi cardiaca; ventriculo ſtomachica, hepari hepatica, lieni ſplenitica, vtero hyſterica: & ſic cuilibet membro propria medicamenta exhibenda ſunt. *Lib. 3. Meth. cap. 9.*

20. *Indicationes ſumptæ à cauſis.*

Verùm non tantum in intemperie curanda medicamenta contraria conueniunt, ſed & aliæ cauſæ intemperiem fouentes ſunt remouẽdæ. Itaque ſi vel aër, vel cibus, vel

potus qualitate cum intemperie tollenda conſentiant, vel aliud ex cenſu rerum non naturalium, quod eandem intemperiē inducendi vim habeat, ægro in vſu ſit, illa omnia reiicienda & vitanda ſunt. Vbi enim aëris, alimentorum, ſomni, vigiliæ, excretorum, motus & quietis, necnon animi pathematum vitio aliqua intemperies introducta fuerit, earumdem cauſarum externarum contrariâ conſtitutione exceſſus ille corrigetur.

Hinc ad internam cauſam ſi quæ ſit progrediendum; quæ vel eſt incorporea, & qualitatiua tantum, vel corporea aut materialis, in humore, vapore, aut ſpiritu interno poſita. Rurſus ſi corporea ſit, vel eſt de natura cauſarum antecedentium & mediatarum, vel eſt pro inqua & continens effectus cauſa, ex συναθροισμῷ & congeſtione partis concitata, vel ex fluxione ſiue ἀνα[illegible]μῷ materiæ alienæ parta. Denique cauſa illa materialis aut ſola ſuâ mole, pondere aut quantitate noxia eſt, quam plethoram ad vaſa vel ad vires vocant, vel eſt cum quantitate qualitas vitioſa iuncta, quæ cacochymia dicitur, vel eſt cum motu & turgeſcentia.

His poſitis indicationes curatorias elicimus: nam ſi cauſæ internæ morbo intemperiei iungantur, rurſus videndum an intemperies ſit fiens vel facta, illa niſi à cauſa ſua foueatur mox euaneſcit; hæc etiam ſine cauſæ ſuæ præſentia ſubſiſtere poteſt. Quare in fiente affectu ſola cauſæ prouidentia habenda; at in facto non ſolùm cauſæ; ſed etiam effectus adhuc ſubſiſtentis, & ægritudinis ab ea cauſa inductæ ratio eſt habenda: cauſæ verò eo ordine tolluntur, quo ſeſe conſequuntur; ita vt ab eo incipiatur quod τῇ γενέσει primum, τῇ ἀναλύσει vltimum fuit; ab eo ad proximum accedatur, atque ita ordine pergatur, vſque dum ad optatum finem peruenimus.

3. *Exemplum de indicationibus febris putridæ.*

Exemplum huius methodi habemus apud Galen. loquentem de indicationibus febris putridæ curatoriis; vbi reſpicit ad proximam cauſam febris putridæ, quæ putredo vulgò ſtatuitur; cauſæ verò antecedentes complures, è quibus aliæ ſunt cauſæ & ſymptomata, vt prohibita tranſpiratio: (quæ eſt expulſio vel diminuta, vel abolita tertiæ coctionis excrementorum fuliginoſorum, indeque calor excitatus putredinis eſt author) aliæ cauſæ ſunt & morbi, vt obſtructio, adſtrictioque, à quibus tranſpiratio prohibetur: aliæ ſunt cauſæ tantum, vt quæcunque obſtruunt adſtringuntque poros, tum obſcuros cutis, tum manifeſtos interiores. Galenus verò obſeruat in obſtructione curanda, id quod factum eſt, per ea quæ obſtructa liberant; quod futurum eſt inhibent, quæ affluxum obſtruentium ſuccorum compeſcunt. Quod verò vltimum in ipſa reſolutiua methodo eſt inuentum, id primum omnium in curatione eſt peragendum. Ergo in therapeia febris putridæ ante febrem ipſa putredo demenda eſt, vt continens cauſa: ante putredinis curam liberandus tranſpiratus, expedienda obſtructio vaſorum, adſtrictioque cutis: ante obſtructionem denique & adſtrictionem plethora, & cacochymia detrahenda eſt. Quare febris putridæ therapeia

Lib. 11. Meth. cap. 10.

therapeia inchoanda est ab obstructione,& adstrictione, & à causis vtriusque.

Obstructioni contrarium opus est apertio, adstrictioni relaxatio: obstructionis causis, vt plethoræ contrarium opus est vacuatio per phlebotomiam, vt cacochymiæ per purgationem: hæc vt facilior sit, cacochymiæ eiusdem alteratio præcedere debet, vt crassioris attenuatio,tenuioris moderata incrassatio, durioris emollitio, lentæ detersio; hanc alterationem sequitur humorum coctio, & purgationis facilitas: quorum operum remedia plurima sunt interna,vt Iulepi, apozemata,pulueres, electuaria: siue externa,vt fotus,balnea,litus; ab illis enim remediis dum obstructionum causæ expediuntur, perspiratio restituitur, putredoque fiens inhibetur,factaque mitificatur; & proinde febris curatur.

Lib. 11. Meth. cap. 10.

Verùm vt ad temperiei excedentis curandæ indicationes redeamus, si qualitatiua & immaterialis sit, iisdē remediis tollitur quibus ipsa intemperies, alterantibus scilicet propriis. Materiales verò quia motu,quantitate, & qualitate peccare possunt, ideò præpostero motui alter opponendus, qui in aduersum trahat,& reuellat, aut ad propinqua deriuet fluentem materiam. Humorum exagitatio sedantia & reprimentia indicat; defluxio tum inhibentia,tum repellentia. Quantitati autem & repletioni inanitio & vacuatio conueniens debetur;vt qualitati vitiosæ contraria alteratio: crassitiei opponitur attenuans medicamentum: tenuitati incrassans: duritiei emolliens: mollitiei indurans: lentori detergens & expurgans: acrimoniæ illinens & glutinosum frigidum. Quicunque ergo leges vacuationis, reuulsionis, & deriuationis obseruauerit, & alterandi rationem sciuerit, is omnes intemperierum curandarum radicationes facilè comparabit.

De indicationibus morborum occultas qualitates consequentium.

CAPVT XI.

MORBI totius substantiæ vt vocant,seu occultarum qualitatum, contraria postulant remedia alexiteria, & alexipharmaca,experientiâ plerumque comprobata,quæ supra retulimus:& venenata causa in contentis humoribus inhærens ex corpore tollendâ; & si ea in corpore generetur, vt in febribus malignis contingit; humor corruptus accindi purgatione per aluum, vomitum, aut poros cutis: reliquus qui corrumpitur emendari debet.

Sect. 2. cap. 4. ad fin.

Venenum quouis modo propinatum euacuari vult, vomitu, vel secessu, deinde antidota exhibenda,& symptomata demulcenda.

Si verò cum aëre attractum sit, aut vltra iecur penetrauerit, per sudorifica expellendum est.

Quæ morsu venenatorum animalium communicata, aut per cōtactum quocunq; modò intra cor-

pus demissa; quamprimùm extrahenda, ne intrò subeant: ideóque cucurbitulæ, & attrahentia tam à proprietate, quàm manifestis qualitatibus conducunt; galli, vel gallinæ podex, pulmones animalium recèns mactatorum, cauteria actualia, & potentialia, dolorifica & acria, vt allium, cœpe, & theriaca adhibenda carnis læsæ portio exscindenda, & membrum scarificandum, vinculum superiore loco admouendum, ne venenum intus serpat. Cor antidotis & cardiacis muniendum.

Quæ verò ad venena singulatim curanda conferunt repete ex propriis Dioscoridis, & Santis Ateuini tractatibus, & ex authoribus, qui tractatus de febribus malignis, & pestilentibus, de lue venerea, elephantiasi, rabie canina, ediderunt.

Verùm paulò latius proponendæ sũt indicationes vacuationis, reuulsiones, & humorum concoctionis, vt curatio intemperiei cum materia magis explicetur, & insuper istarum indicationum leges conferent in aliis morbis organicis, vt obstructionibus, tumoribus, vulneribus, & similibus, quos humorum excedens quantitas, vitiosa fluxio, aut congestio pepererit.

De indicationibus & scopis vacuationis in genere, & de ea quæ fit per medicamenta purgantia, iuxta Hippocratis & Galeni doctrinam.

CAPVT XII.

1. *Indicationes ex plenitudine ortæ.*

ILLE remedia promptè inueniet qui causas morborũ perspectas habuerit, vt inde præcipuas indicationes eruere valeat: causæ verò intemperiei humoralis ad duas potissimùm reducuntur, plethoram & cacochymiam: illa quidem vel est ad vasa, vel ad virtutem; ad vasa est in qua humores adeò exuperant, vt venas quoquouersum inflent atque distendant. Ad virtutem ea est plenitud: quæ ad vires comparatur: etsi enim in ea vasa non tument, nec copiâ distendantur, plus tamen in illis est reconditum quàm vt à natura regi gubernarique possit, quà propter fit vt facultatem aggrauet. Vtraque plethora si diu duret facilè corrumpitur, vt docet Galen. *Lib. 9. meth. c. 5. sect. 2. aph. com. 17.*

Plenitudo ad vasa sanguinis missione curatur: si verò plenitudo quæ ad vires est infestat, non semper sanguis est Galeno teste: licet enim talis plenitudo grauans sit; contingit tamen aliquando, vt crudus humor in corpore sit collectus. *Lib. de curat. per sang. miss. cap. 6.* In quo diligenter est aduertendum, quantùm vires sint robustæ, & quantum humor ipse sit refrigeratus: etenim exolutæ ab huiuscemodi causa vires, adhibitâ sanguinis missione, in extremum recidere malum solent; vt restitui postea nullo modo possint. Alias accidit bile infarctum esse orificium ventriculi cum plethora; vnde cardialgia & syncope, quæ

reuocant

reuocant medici intentionem ad sui curam, per cardiaca & roborantia, posteaad purgantia potiùs quàm phlebotomiam, si materia fluctuet, vel adhæreat ventriculo. At quia in plenitudine ad vires imbecilla facultas opprimitur, ne quâ illinc putredo emergat, confert quidem modica sanguinis missio.

Verùmtamen si morbus nec adest, nec instat, ea plenitudo minuetur commodiùs inediâ, moderatâ exercitatione, atque iis quæ ad coquendum iuuant. Quapropter in sanguine mittendo plenitudinis non solùm species, sed eius tum quantitas, tum qualitas distinguenda erit: plenitudinis autē ad vasa tēsio nota est; ideoque quantū tēsionis sensus augetur, tantum etiam ea plenitudo crescit. Eius verò quæ ad vires refertur, grauitas est indicium: & quanto grauior sibi homo videtur, tanto etiam ipsa plenitudo aucta erit. In priore itaque copiosiùs; in posteriore parciùs sanguis est detrahendus. Quod ad qualitatem attinet, considerandum certè erit, nùm plenitudo sanguinea, biliosa, pituitosa, aut melancholica fit: id quod ex calore dignosces, memor colorem esse humorum indicium; siquidem vniuersum corpus in externo tum calore, tum frigore mediocriter se habeat. In sanguinea namque plenitudine abundantius; in aliis tribus pro humoris exuberantis specie, parciùs sanguis erit mittendus.

Lib. 9. meth. c. 5. & 4. 2. aph. com. 17.

Lib. de curat. per sang. m. cap. 6.

Ea quæ indicant venæ sectionem sunt plenitudo, & humorum motus, coniuncta cum magno morbo præsente, vel impendente. Venæ sectio aut per se, aut ex accidenti ad curationem confert: per se aut vacuat, aut reuellit: ex accidenti verò modo refrigerat, cùm calidiorem sanguinem educit, modo obstructiones expedit, sed eas duntaxat quæ ex plenitudine contractæ fuerant. Vena namque secatur ad causæ antecedentis vacuationem, aut reuulsionem, amotionem causæ cōiunctæ, temperamenti restitutionē, & superstitis materiæ præparationem. Videndum etiam est si vehemens morbus videatur, vigeatque ætas, & virium adsit robur, vt Hippocr. præcipit. *Lib. 4. acut. text. 19.*

2. *Indicatio purgationis ex cacochymia.*

Qui cacochymia laborant sunt purgandi, hæc namque est potissima purgationis indicatio. κακοχυμία est redundantia vitiosi humoris in toto corpore: oportet autem vnicum esse prauum humorem, qui redundat; quoniam si pariter omnes redundarent, iam non κακοχυμία, sed πληθώρα esset: hæc est enim copia omnium humorum æquabilis: illa verò certi cuiusdam humoris, vel serosi, vel biliosi, vel melancholici vitiosa qualitas, quâ is à iusta mediocritate desciscit. Rectissimè verò hoc genus redundantiæ cacochymia græcis dicitur: cùm enim fieri non possit, vt vnus aliquis in corpore plurimum redundet humor, quin idem prauam etiam induat qualitatem; vtrumque excessum tum in qualitate, tum in quantitate hoc homine significare voluerunt. Corporis excrementa & humores superuacui, succi etiam alimentarij si vel intemperiem, vel putredinem sunt sortiti cacochymiæ nomine continentur. Quum ergo hæc vitia humorum neque victu, neque alteratione, neque naturæ beneficio

in pristinũ statum reuocari queant; eorum materia tanquam inutilis expurgari debet, siue cacochymia sit in primis viis, siue in secunda regione corporis, seu venis inguinum & alarum, siue partis alicuius substantiam, vel corporis habitum occupauit.

Eę purgationes ferunt quæ scatẽt impuris humoribus, siue aliqua interna phlegmone, siue vẽtris fluxu, absque magna crudorum humorum defluxione, quæ nauseâ nõ laborãt, quę acuto morbo non vexantur, mulieres sine fœtu, quę sunt firmis viribus, integrâ ætate, corpore quadrato, quę optimo aũltur cibo, quæ habent coctos humores. Quid ergo? senes, pueri, abundantes crudis humoribus, vtentes prauo alimento, corpore obeso, aut gracili, phlegmone laborantes, aut aliâ quauis fluxione, grauisdæ mulieres; quę sũt viribus imbecillis omninò purgantibus abstinebunt? minimè verò; hę enim etsi purgantia validiora non ferant, iuuantur tamen benignis, atque iis quæ leniendo aluum soluunt.

Quemadmodum autem cacochymia in genere purgationem indicat, ita species humoris definitum purgans demonstrat; pituitæ debetur phlegmagogum, bili colagogũ, melancholię melanagogum, humori aquoso hydragogum, mixtis humoribus mixtum. Catharticis autem quæ per os assumuntur subsidiariam afferunt operam glandes enemata mollientia, detergentia, & trahentia, illaque medicamẽta ὑπόμφαλα dictą, quæ ex succo cucumeris asinini cum melle confecta, & vmbilico puerorum, & similium medicamenta recusantium admota, aluum sollicitare possunt.

3. *Quænam in purgatione consideranda.*

Considerandum quoque in purgatione, num humor turgeat, vel non; si turgeat, id est vltrò citróque moueatur, vel per diuersas corporis partes vagatur: aut in vnam solum partem defertur, & in ea sedem figit. Si primum, id est si turgeat purganti medicamento est illicò detrahendus, & quouis tempore turgebit, siue initio, vel agumento, statu, aut declinatione, vt est apud Hippocr. Medicari in valde acutis si materia turgeat, eadem die, tardare autem in talibus malum est. Huius rei causa triplex est, prima ne humores agitati in partes nobiles ferantur, altera ne ob humorum motum caloris febrilis incrementum accedat, in caloris natiui perniciem; vltima ne vires ex illa humorum agitatione dissoluantur, vt testatur Galenus. 4. aph. 10. In comm. aph.

Verùm aduertendum est an ex ista humorum turgentium ante coctionem purgatione, plus vtilitatis quam damni æger percipiat: hinc Hippocr. in acutis morbis rarò, & in principio medicamentis purgantibus vtendum est, & hoc cum prę meditatione faciendum. Paulò ante dictum erat: concocta medicari, & mouere nõ cruda, neque in principiis si non turgeant, plurima verò non turgent. Nunc autem, quod per initia acutorum morborum, aliquando contingit purgare, nos docet Hippocr. & rarò, quia in morbis acutis non est purgandum nisi materia turgeat, rarò autem turgeat, propterea quod conclusa sit & fixa: adeò vt vix è parte in partem fieri possit; vel si ita sit vt orgasmo concitentur 1. sect. 24. 22. 1.

citentur ſucci, corpus non eſt εὔβρουν ſeu permeabile. Igitur rarò purgandum. Hoc argumentum improbat Hollerius, licet à Galen. probetur ad finem commẽt. huiuſce aphoriſmi, opponit itaque inde ſequi in peracutis eſſe ſæpiùs purgandum quàm in acutis; quia ſæpius in illis turget materia nempe bilis, quæ calida eſt & ſpirituoſa, ideóque à calore & ſpiritu facilè agitatur. Obiectionis huius reſponſio eruitur ex Galeno: neque etiam ſi quid iſtorum adſit (loquens de humorum orgaſmo, quaſi diceret, etiam ſi humores in principio acutorum turgerent) ſatis eſt æger ad purgandum paratus. ratione habitâ conditionum poſtea referendarum, quæ in conſiderationem ante purgationem venire debent. Neque etiam morbus dat nobis otium idoneæ præparationis; quare non ſequitur vbi ſæpiùs materia turget, ſępiùs eſſe purgandum. Altera ratio cur in acutis rarò purgandum, quod hi febre ſtipati calidorum pharmacorum vi ingraueſcant. Tum etiam rarò purgandum, quòd acuti ferè excretione criticâ finiantur: quos autem in morbos perfecta incidit criſis, rarò locus eſt purgationi.

ſub finem comm. apho. cit.

Et in principio medicamentis purgantibus vtendum eſt: nam vt docet Galen. mutatio ſymptomatum materiæ ferocientis magis elucet in principio morborum, quàm cum prouectiores ſunt; nam initio turgent humores, vires firmæ ſunt, necdum febris ab æſtu incanduit. Neque obiicias ex aphoriſ. 22. non eſſe purgandum ineunte morbo: non enim hoc dixit, vt principium morbi ad purgandum minùs aptum indicaret, & potiſſimùm cum materia turget: ſed quia materia in principio ſolet eſſe contumax, quapropter maior vis eſt auocandi à purgatione in materiæ hoc tempore contumacia, quàm inuitandi ad purgationem in naturæ robore.

in prorrh.

7. ſect.

Et hoc cum præmeditatione faciendum: imprimis vide an ſit purgandum, quod ex natura morbi & cauſarum indicabitur: nam ſi adſit plethora phlebotomiam exercebis, ſi cacochymia pharmaciam. Tum tempus purgationis elige, vt in acutis non vltra ſecundum diem protrahitur, Galeno præcipiente: & obſerua quonam tempore futura criſis. Denique perſpiciendum eſt an corpus ſit paratum ad pharmaciam: nam quicunque multâ cruditate laborant, vel qui tenaces & craſſos cibos ſumpſerunt, aut flatibus diſtenta habent hypochondria, aut ſupra modum calida aut ignea exiſtunt, & hoc ipſo in loco eſt aliqua viſcerum inflammatio; omnes ij haud quaquam ſunt apti ad purgationes, & potiſſimùm ſi valenter purgantibus conſtent, quales veteres præſcribebant; nunc verò benignis catharticis vtimur, vt ſennâ, rhabarbaro, caſſiâ, mannâ, tamarindis, ſyrupo roſ. ſolut. iiſque in principio acutorum, quibus Hippocr. carebat.

Secundò ſi humor turgens moueatur & vergat ad aliquam determinatam partem, vel eſt in fluxu, vel iam influxit: qui adhuc fluit licet non ſit coctus à principio tamen purgandus, vt reuulſione eius motus inhibeatur. Nã ab Hippocr. ſcribitur: hos ſi ab initio purgare volueris, id ante quintum diem facito, vbi venter murmurauerit, fuerintque excrementa bilioſa ſcammoniâ mediocriter ſub purgato. Quantum verò attinet ad aliam

4. de vict. acut. tex. 64.

ſanatio

ſanationem, quam minimè exhibebis, tum potus, tum ſorbitiones, vt meliùs æger habeat, niſi decimam quartam fuerit egreſſus. Galenus in comm. inquit, Quâ oratione morbum ante decimum quartum diem coctum eſſe non poſſe ſignificatur. *Com. 76.* Purgat igitur Hippocr. materiâ etiā crudâ ante quintum. Quin & paulò infra ait Galen. vel ſtatim ab initio priuſquam in aliquam partem firmati ſint humores, medicandum: vel poſtea cùm concocti fuerint. Quam ob cauſam & prima interdum die, & ſecunda, & quarta, & interdum quinta medicati ſumus. His in locis fit ſermo de purgatione reuellente fluentes ſuccos, quam in principio præſcribere expedit.

Tertiò quieſcens humor neque turgens ſi in aliqua parte conſederit, vel in primis venis continetur, vt in ventriculo, meſenterio, inteſtinis, partibuſque vicinis, dolore æſtu, nauſeâ, amarore aliiſque ſignis manifeſtus: hic etiam ſi crudus ſit quia loco mobilis in principio expurgari poteſt, leni adhibitâ præparatione. Vel extra primas venas cōtinetur, idq; contingit vel in morbo benigno & ſalutari, vel in ancipiti, vel lethali.

In morbo ſalubri humores membro impactos Medicus purgare nō debet, niſi concocti fuerint, vt monuit Hippocr. *Aph. 22. 1. ſect.* nam tunc auxiliantem naturam habemus, quæ antequam euacuet, concoquit primum, dein digerit & expellit: ad huius imitationem cùm ſit inſtituta purgatio artificialis, concoctio præcedat oportet, & potiſſimum ſi nihil vrgeat. Concoctâ ergo materiâ, quod circa ſtatum morbi contingit, vel mouet criſim natura perfectè, vel imperfectè, vel nullo modo: ſi primùm, quæ iudicantur & iudicata ſunt integrè nec mouere, nec aliud quidquam nouare, vel medicamentis, vel aliis irritamentis, ſed ſinere oportet. *Aph. 20. 1. ſect.* Si ſecundum quod non perfectè purgauerit natura, arte ſuppleri debet, nam quæ à morbis poſt criſim relinquuntur, recidiuos morbos facere ſolent. Verùm ſi natura nihil moueat; tum moueat Medicus horâ motus eius, vt docuit Auicenna. Hora motus naturæ eſt vigoris pars vltima, vt plurimùm: aliquando prima pars declinationis vniuerſalis. *Aph. 12. 2.* In his autem morbis qui per criſim non terminantur, non tantum in illis temporibus quādo perfectè cocta eſt materia purgandum, ſed in incremento cùm manifeſtè & parum concocta, & in fine principij cùm obſcurè cocta eſt, hanc etiam quoquo modo vacuare licet. Quod enim iuſſit Hippocr. concocta medicari, non ſolùm perfectè, ſed & quouis modo cocta, complectitur; mox ea dumtaxat à medicatione ſecludens, quæ à principio omninò cruda ſūt. In hiſce autem morbis nullâ criſi finituris, promptior & expeditior fiet purgatio in diebus decretoriis; paribus verò & non criticis, tutior.

In morbo ancipiti ob imminens periculum materiæ multæ venenatæ, aut malignæ non turgentis, etiā in principio & cruditate purgare ſolemus: & licet tunc natura quidpiam incommodi patiatur, non enim fieri poteſt quin vnà cum humoribus prauis benigni etiam detrahantur: ſed quia maius ſubſequetur commodum ex naturæ in ſuffocationem & interitum ruentis leuamine, idcircò tutius id præſtamus. Dices cocta medicanda non

cruda;

cruda; ita tamen vt quædam cautiones adhibeantur. Certum enim est, id naturæ non relinquendum ad coctionem quod coqui nequit, priusquam pepasmum illa moliatur frustra. Id autem potest contingere primò ob substantiam humoris coctioni ineptam: vehemens enim putredo non fiens sed facta, ita illius naturam corrumpit, vt mitigationis spes nulla supersit: sed quamprimum hæc materia putrefacta est à corpore abiicienda; vt contingit in febribus pestilentibus, in quibus natura ob excellentem putredinem, coctionem nullatenus aggreditur. Vel secundò ob quantitatem nimiam: vt enim flamma copiosiori oleo extincta, sic calor natiuus nimiâ humorum mole oppressus suffocatur, nec coctiones perficere valet. Vnde in principiis morborum solemus venæ sectione, aut minorante medicamento portionem redundantis materiæ auferre, quò facilius residuum superare queat. Tertiò ob adiunctam quandam humori malignam & deleteriã qualitatẽ, vt patet de atra bile, succis venenatis, & similibus, quæ extra coctionis regulam posita sunt.

Qui morbus vt plurimùm lethalis existit, potest ferre medicamentum expurgans præhabitâ prædictione: qui verò semper lethalis, nec purgationem, nec aliud generosum remedium expostulat, aut sanè sine prædictione non exercendum.

De indicationibus & scopis reuulsionis, & deriuationis.

CAPVT XIII.

1. *Quid reuulsio, & quot sint in ea consideranda.*

MOTVS humoris respectu reuulsio indicatur, etenim vnũ profluentis sanguinis remedium est reuulsio; idque siue foras, vt ex naribus, aut ex vtero, siue in partem aliquam abscessum facturus erumpat. Est autem reuulsio illabentis humoris in cõtrarium tractus. Hóc quippe nihil celerius fluxionis impetus cohibere potest: Mathematicis contraria sunt quæ eiusdem lineæ extrema tenent; omnesq; motus qui ad ea fiunt contrarij dicuntur. Medici verò contraria definiũt, quæ eiusdem lateris recto progressu longissimè distant; media quæ medio modo. Hinc colligitur in reuulsione perficienda considerandã esse rectitudinem, & vasorum communitatem: laudantur humorum cursus quicumque in directum feruntur; qui verò obliquè in transuersum vitio dantur, tanquam violatæ naturæ & perturbationis indices. Hippocr. obseruat in rectum factum laterum dolorem, præcordiorum distensionem, lienis tumores, sanguinis ex naribus eruptiones: natura namque superuacuos humores in rectum expellere conatur, debétque Medicus hanc, vtpote cuius minister est in suis euacuationibus imitari. Galenus naturam euacuatione è directo factâ omnes affectus persanare demonstrat. Dextra autem dextris, & sinistra sinistris consentiunt, & rectitu-

Lib. 6. epid. par. 2. tex. 12.

Lib. de cur. per sang. missio. cap. 15.

dinem habent: ita vt dextro latere affecto dextræ quoque partes efficiantur & non finistræ; vt in paralysi mediæ corporis partis, generatione marium in dextra vteri parte, & dextro testiculo, ob consensum hepatis in dextra parte collocati, maiorem caliditatem influentis: deinde quod videamus partes duplices factas fuisse propter illum consensum, & vasorum communionem, quæ maior est cuiusque lateris cum seipso quàm cum altero.

Communitas autem vasorũ quæ nihil aliud est, quàm consensus per vasis ductum à secto loco ad venam quæ partem alit, sic stabilitur. Cùm corpus nostrum in partes supernas & inferas, atque in dextras & sinistras separatum sit; meritò à Græcorum præstantissimis in quatuor partes, seu quadras cogitatione distinguitur: ita vt à capite ad Iecur medium quasi locum tenens, duæ sint quadræ, scilicet dextra & sinistra, à Iecore verò deorsum aliæ similiter duæ; quarum vnam non excedunt in reuulsione ob vasorum consensum & communitatem, quæ in illis potissimum reperitur, ob id, ab vna quadra in aliam in vena reuulsionis causâ secanda, non fit transitus. In eadem itaque quadra subsistentes, vnam oppositionem obseruant, quam retulit esse quadruplicem Galen. scilicet ab inferioribus ad superiora, à dextris ad sinistra, ab anterioribus ad posteriora, ab internis ad externa, & contra. In eâque oppositione quantum fieri potest, propter corporis & vasorum constitutionem, distantiam maximam inquirunt.

Lib. de reuulsione.

Auicenna inter Arabes istud non obseruat præceptum, qui constituit quatuor corporis Diametros, inter quos vult illum primum in reuulsione eligendum, in quo maxima reperitur distantia: sic enim motus motui magis opponitur: verbi gr. in pleuritide venam malleoli eiusdem lateris secat secundum Diametrum longitudinis distantissimum; deinde brachij oppositi venam secundum diametrum latitudinis; demum ab eodem brachio sanguinem educit, vacuationis & deriuationis causâ. Ex quo fit vt non tantum quadras, superiorem & inferiorem scilicet, sed etiam diametrum longitudinis & latitudinis transcurrat: & proinde rectitudinem, aut vasorum communionem non aduertit.

Præterea sciendum est triplici de causa sanguinem mitti, nimirum ad reuulsionem, quæ longissimam contrariamque partem desiderat: deriuationem, quæ ex vicinis locis euacuat: & ad euacuationem localem, ex ipsa parte affecta immediatè factam; quibus quartam ex vtrisque compositam adiungimus, euacuationem reuulsoriam & deriuatoriam simul.

2. *Quot reuulsionis modi.*

Verùm cum humoris defluxus reuulsionem aut deriuationem indicet, reuulsionis vnus non est modus: varia enim est fluxionis humorum ratio, cuius causâ illa suscipitur. Aliàs enim nondum fluunt humores, sed futurum est vt fluant corpore pleno existente, & parte debili excipere solitâ. Aliàs fit fluxus & fieri incipit: aut partim fit, & partim factus est.

In omni porrò reuulsione tria spectantur: primùm debita distantia & oppositio, quia reuulsio est mo-

tus materię fluentis in contrarium: quare terminus ad quem attrahitur materia, cum termino loci vnde fit attractio, proportionem & debitam distantiam obtinere debet. Secundum vt conseruetur commodus venarum consensus per quas fiat reuulsio. Tertium vt rectitudo adsit quam Hippocr. *κατ' ἴξιν* & *κατ' εὐθυωρίαν* vocat, quæ triplex est secundum aliquos, fibrarum & vasorum per quæ fit attractio; quæ certè est necessaria, non quod fibræ trahendo iuuent, sed quod excretrix facultas in ista fibrarum rectitudine expeditiùs suam actionem obeat; plus enim sanguinis ab iis partibus in quas diriguntur, aut rectæ fibræ perueniunt, quàm ab aliis prolicitur.

Secunda rectitudo est lineæ secundum longitudinem, latitudinem, vel profunditatem: longitudine, vt cùm supernæ partes laborant ad infernas rectâ lineâ euocamus: in latitudine, vt si dextra manus fuerit inflammata, sinistram secamus; & in dolore capitis vena frontis secatur.

Tertia rectitudo motus naturalis secundum situs differentiam ante, pone, ad dextram, ad sinistram, sursum, deorsum, intrò, foras, quam vltimam contrarietatis situs differentiam Galen. commemorat, præter illas tres in aphorismis allatas. Quę omnes rectitudines non semper obseruantur, sed quò plures eò melius & vtilius.

Lib. de reuulsione 5. Aphoris. 68.

Nunc oportet videre quid sit agendum in quolibet fluxionis tempore: 1. in illo fluxu qui futurus est, & in quo præcautionis gratia reuulsio adhibetur; nulla est habenda ratio terminorum, & partis in quam fit fluxus; sed tantum loci à quo. Quare tunc satis est distantiam loci obseruare in detrahendo sanguine, nec reliquas conditiones admodum curare.

2. Quando verò materia incipit fluere, tunc debet aduertere Medicus terminum fluxionis à quo, & ad quem fluit, quò curet diligenter, vt motus reuulsionis sit continuus & perpetuus vsque ad locum affectum: nam præter distantiam debitam annotari debet venarum consensus, tum fibrarum rectus ductus, tum rectitudo lineæ, motusque debitus ab vno situ ad alium.

Rectitudinis omnes differentiæ in reuulsione non seruantur, vt variis exemplis monstratur. Cum dolor capitis posteriorem partem occupat, secanda est vena in fronte iuxta Hippocr. In qua reuulsionis specie, rectitudo situs ante pone seruatur, debita etiam distantia, & rectitudo lineæ in latitudine, non tamen rectitudo fibrarum, & consensus obseruatur. Cùm autem fit reuulsio ab vna manu ad aliam, concurrit rectitudo in situ à dextro in sinistrum, tum lineæ quoad latitudinem, debitaque distantia, venarum consensus, non tamen ductus fibrarum. Si inflammatio fit in parte anteriore pedis dextri, fit reuulsio ex saphena pedis sinistri, in qua seruatur perpetuus ductus fibrarũ, & consensus venarum: nam in bifurcatione venæ cauę rectà descendunt propagines vtrinque ad inguina & crura: hinc fibræ horum ramorum consentiunt: quod non contingit in venis subclauiis, vnde venæ brachij emergunt, ob nimiam illarum incuruationem. Galenus dum agit de inflammationibus in glandosis carnibus subsistentibus præcipit, si plethoricum sit corpus

Aphor. 68. 5. sect.

13 Meth. cap. 5.

ſanguinem mittere venâ incisâ, aut membris iis, quæ læſa non ſunt ſcarificatis: manu enim laborante, ſcarificabis crura:altero crurum male habente reliquum.

3. Denique in ea fluxione,in qua aliquid iam effluxit,& fluxurum eſt continuè,tum reuulſionem facimus auertendo, deriuando, & euacuando à loco affecto; quod non requirit maximam diſtantiam,vt in pleuritide præcipit Hippocr. & Galen. ſi dolor ſurſum penetrauerit vel clauiculam, vel mammam, vel brachium,venam brachij internam ſecare oportet,qua dolor afficit parte. In quibus ergo affectibus reuulſio deriuationi iuncta expetitur,in hiſce ſufficit mediam eligere diſtantiam,potiſſimum ſi principio morbi exerceatur, cùm fluxiones vrgent. quod in doloribus & inflammationibus partium internarum eſt obſeruandum ex Hippocratis ſententia; in dolore enim proximum ventrem ſecabis; cum enim fluxionis impetus magnus ſit,dolorique acerbo iunctus,latiorem & propinquiorem venam ſeligimus, quò citiùs fluxus ſiſtatur, & humoris illabentis portio vnâ & eadem opera euacuetur. Prætereà ex venæ eiuſdem lateris ſectione in pleuritide, retrahitur humor in contraria, ſecũdum illam oppoſitionem quæ eſt intus & extra,quæ inter cubitũ & pleuram intercedit,atque etiam illa quę ſurſum & deorſum eſt comperitur: ramus namque axillaris è quo vena brachij emergit ſuperior eſt quàm latus ad cuius nutritionem ipſa caua, vbi cor tranſcendit, venam azygon ſine coniuge dictam, & intercoſtalem tranſmittit. Deinde maxima obſeruatur vaſorum communitas thorachicorum cum intercoſtalibus, vnde tantam pleuritici opem ſentiunt ex ſecta vena eiuſdem lateris.

4. de vict. acut. tex. 73.

In quadrarum diſtinctione rectitudo & communitas vaſorum exactè conſideratur :nam ſi affectus ſit in ſuperioribus, verbi grat. cùm ſãguis è nare dextra liberaliùs fluit, dextra cephalica aperienda eſt ad reuulſionem ; non ſiniſtra quia ſic deficere. Rectitudo,non dextri maleoli, quia non ſeruaretur vaſorum communitas; multo minùs ſiniſtri, defectu rectitudinis, & communitatis violatæ. In partibus autem mediis quales ſunt hepar,meſenterium, renes, lien, tam per ſuperiorem quàm per inferiorem regionem fit reuulſio, ſeruatâ tamen rectitudine, & fluxus origine:ſi enim lien materiam ad renem dextrum demittat;tum ratione fluxus originis,neglectis aliis venam cubiti ſiniſtri ſecabimus, vel cucurbitulas & ſcarificationes ſiniſtri lateris inſtituemus. Cum verò fluxionis origo & incognita, habito reſpectu termini ad quem,facienda erit reuulſio ſeruatâ vna oppoſitione, in qua aderit vaſorum communitas & rectitudo, quod ſæpè fit intra vnam corporis quadram, in qua maxima ad reuellendum diſtantia eligitur, ſi corporis conſtitutio & affectio id permiſerit.

Reuulſionis quantitas fluxus quantitati, & virtutis tollerantiæ reſpondent : inflammationibus incipientibus reuulſione vtimur ; at iiſdem vigentibus deriuationem facimus.Modus reuellendi hac cautiant obſeruabitur,cauendo ne materia maligna per membrum nobile trahatur:ſic in bubone peſtifero qui inguina inuaſit, non ſecamus baſilicam, ſed ſaphenam ; ſi conſederit

in axilla,in brachio eiusdem regionis vena aperienda erit. Si emicet in thorace anthrax saphena illico pertundenda venit.

Vbi larga euacuatio exerceri non potest timenda ex proximo loco est: parca enim non inanit putentem humorem fluxionis causam, sed agitatione & vicini loci inanitione proritat defluxum;quo nomine crura ad menses ciendos, & ad hæmorrhoïdas scarificantur. Quare Paulus in coxendice sanguinea non accedit ad crus, nisi secto prius cubito: ne ex insufficienti inanitione vicini loci maiorem concitaret defluxum.

Lib. 3. c.77.

3. *De deriuatione & vacuatione particulari.*

Cum Medici reuulsionem fecerunt, si quid adhuc supersit fluxi ad partem humoris, quod nondum illi sit impactum, ad vasa vicinæ partis affectæ deriuant. Vnde deriuatio nihil aliud est, quàm humoris in propinquioribus partium venis subsistentis per vicina loca tractio; quæ est sub motu locali, in eaque non adest oppositio, & distantia, sed potiùs propinquitas cum vasorum communitate,de hac sic loquitur Galen. hanc solet Hippocr. nominare quando humores qui per non conuenientem regionem cœperunt ferri,ducimus non per eam, neque per distantissimam, sed per aliam propinquam : vt si per lotij vias exire tentauerit vitiatâ vesicâ, aut renibus : tunc enim per aluum deriuare satius fuerit. Quemadmodũ etiã si per aluũ vitiatis intestinis ferri inclinauerit: cõtra in istis succum euacuãdum ad vrinarios meatus dirigemus. In mulieribus verò nonnunquam ad vterum, aut è cõtrario interdum vteri profluuium ad vrinæ vias ac aluum deriuabimus. Ita Galen. quod per vterum vxoris Boëthi ferebatur, deriuabat ad vesicam & renes decocto azari.

6. epid. com 2. text.7.

Superest vacuatio particularis, quæ loci affecti peculiarem plethoram exhaurit, reuulsionique & deriuationi succedit, quotiescumque illorum operâ non potuit ex toto impediri collectio humoris in parte. Fit autem dupliciter, vel per proprios partis meatus, vt cum pituitosam cerebri repletionem, per palatum aut nares educimus : thoracis aut pulmonum materiam per sputum : vesicæ sordes per vrethrã: vterum per illius venas & orificia : ventriculum per os & œsophagum: cutem per poros expurgamus. Vel fit insensibili materiæ in vapores aut ichores attenuatæ resolutione, fotibus admotis, linimentis,emplastris attrahentibus & incidentibus; vel sensibili partis resolutione, vt cùm bubonem ferro vel caustico aperimus : thoracis empyema sectione inter quartam & quintam costam celebratâ curamus ; ipsam pleuræ vomicam suppuratam,& ad exteriora tendentem admotis cucurbitulis educimus,deinde incidimus,& scarificamus : vesicam vrinâ distentam,quę ob tumorem vel calculum canali impactum effluere nequit, sub perinæo secamus, & ægrum ab imminenti mortis periculo vendicamus : partem gangrænâ affectam multis & profundis scarificationibus exhaurimus. In quibus omnibus oportet indicationes tam à morbis & causis morbificis,quàm à substantia,temperamento,sensu,conformatione, & connexu partium affectarum diligenter

considerare, vt ista particularis vacuatio rectè instituatur.

Reuulsiones, deriuationes, & particulares vacuationes fiunt variis modis, & instrumentis, quæ vel materiam sensibiliter educunt, vt venæ sectione, arteriotomiâ, scarificatione, vomitu, deiectione, sudorum, vrinarum, mensium, & hæmorrhoidum prouocatione, causticis, siue fontanellis, setonibus, vesicatoriis, ferro secante, & candentetum quæ materiam aliò transferūt, vt cucurbitulis, frictionibus, ligaturis dolorificis, phœnigmis, fotibus, epispasticis; quæ in corpore cacochymico, aut plethorico non sunt tentanda, quin priùs vacuatio generalis præcesserit, ne humores vi illorum remediorum tracti in partes copiosiùs influant, aut exagitati accendantur.

De indicationibus ac scopis humorum præparationis, & concoctionis.

CAPVT XIV.

1. *De coctione humorum.*

SIMPLEX intemperies vix diu solitaria subsistit, quin sibi alicuius humoris superuacui prouentum faciat, & ex simplici composita euadat: hæc verò emendari non potest, antequam vitiosus humor fuerit expurgatus, & ad purgationem ritè præparatus & coctus. Est autem præparatio duplex, vna corporis, humorum altera: vtraque rursum aut naturæ, aut artis beneficio fit, naturæ quidem in concoctione, quâ sensim inutiles, & superuacui humores, insiti caloris vi mitificantur & domantur. Vulgata est apud Hippocratem & Galenum πέψεως & πεπασμοῦ differentia, vna est rei naturalis, idest, rei coquendæ in coquentis naturam mutatio, & dicitur πέψις. altera πεπασμὸς, id est, maturatio rei præter nat. quæ vt causa morbifica à natura vincitur, & mitificata naturæ vi, ad excretionem est parata, & coctionis particeps dicitur. Quamuis enim partibus solidis non assimilatur, attamen quoddam vestigium partis alterantis refert: vtriusque verò coctionis sola natura est causa, hoc est virtus partium solidarum; ideò quæ coquuntur, & mitificantur, non causis efficientibus, sed solâ materiâ differunt. Nam πέψις est propriè eorum quæ assumuntur in corpore alimentorum: πεπασμὸς autem eorum quę è corpore excernuntur. Quamdiu sani sumus est in nobis multitudo boni alimenti, ac succi in naturam nostram mutabilis, & paucitas excrementi. Cùm ægrotamus contra fit: vt igitur dum valemus indigemus πέψει, sic etiam dum ægrotamus, indigemus πεπασμῷ, qui consistit in materiæ morbificæ alteratione & concoctione. Coctio ergo humorum & præparatio viarum corporis potissimùm vi caloris natiui perficitur. Etsi enim alterantia & præparantia medicamenta iuuēt coctionem, non tamen propriè coquunt,

quunt, sed per accidens tantum fractis, aut mutatis qualitatibus illis humorum, quæ calori natiuo obsũt. Vt ergo ad coctionem dicitur Medicus, vacuantibus, alterantibus, & præparantibus vti; sic potissimùm calorem natiuum illius authorem iuuare.

Hoc autem dupliciter fieri potest, vel augendo illius substantiam, quę in humido benigno & spirituoso posita est, vel illam fouendo tãtum, & dissipationem illius impediendo: quemadmodum in puris confectione iuuatũr temperatis, & emplasticis quæ substantiæ effluuium impediunt; in interiori verò putredine calorẽ natiuum recreamus, moderatâ calefactione, bonis alimentis, & quiete; & tamdiu insistendum quòvsque materia cocta per crisim, vel artificiosam purgationem excernatur: prima autem præparatio coctionem seu pepasmum antecedit, & tollit omnia quæ vel quantitate, vel qualitate peccant, & coctionem remorantur. Quare ars hac in re naturam adiuuat, vt & coctiones citiùs eueniant, melius est, vt Galen. ait, per initia euacuare, vt minore factâ materiâ, natura reliquum faciliùs coquat; quod plerumque cõmodissimè venæ sectione perficitur, nisi adsit in ventriculo cacochymia peculiaris, quæ nauseâ significatur. Humoris verò crudi vacuationem præcedit tum corporis, & viarum eius, tum humorum præparatio, quâ quidem non verè coquũtur, sed succi feruidi & acres temperantur; crassi attenuantur, duri molliuntur, lenti deterguntur, & corporis exasperatæ viæ leniuntur, clausæ patefiunt, aperiunturque: atque in his posita est humorum pręparatio & mitificatio.

2. aphor. 29.

2. *Bilem præparantia medicamenta.*

Si humor sit tenuis & calidus, qualis est bilis ferociens & turgens, vt quoquouersus impellatur, non solùm vacuationem postulat, sed & præparationem quę ipsam coërceat, vt faciliùs in aluum deducatur. Indicatur ad id præstandum medicamentum frigidum, non tenuis substantiæ, ne nimis exagitet, neque tamen crassæ, quod hæc vacuationi obsit, sed quodammodo mediæ, cui etiam austeritatis quiddam sit adiunctum: itaque medicamentum huiusmodi sapore austerũ & acerbùm existit, quod cum sit adstringens humorum impetum sistit; vt verò terrenum humores incrassat; ad hæc faciunt.

Radices sua frigiditate incrassantes bilem, cichorij, tormentillæ, pentaphilli, lactucæ, portulacæ, arnoglossi, altheæ, herbæ violarum, portulacę, scariolæ, endiuiæ, lactucæ, papaueris, lupuli, acetosæ, plantaginis, lenticulæ aquaticæ, salicis, folia hepaticæ. Semina cucumeris cucurbitæ, melonum, citrulli, quæ dicuntur frigida maiora, acetosæ, endiuiæ, lactucæ, portulacæ, hordei, bombacis, plantaginis, psyllij, papaueris albi. Fructus, cydonia, Iuiubæ, sebesten, oxyacantha, ribes, mali punici, citria, pyra, pruna dulcia, mora, flores violæ, rosarum, nympheæ. Aromata sandala: Gummi arabicum, tragacanthum. Animalium partes spodium, cornu cerui: Marina, corallum, terra sigillata, bolus armena.

Compofita bilem præparantia: aquæ violarum, nymphex, rosarum, portulacæ, papaueris. Succi cydoniorum, granatorum. Syrupi, viola-

cus, Iuiubinus, granatorum, cydoniorum, nympheæ, papaueris. Saccharum rosatum: conseruæ violarum, nympheæ. Condita cydonia, lactucæ, ribes, oxyacanthæ; electuarium diatragacantum frigid. trochisci de spodio.

Quod si aliquando bilis crassior extiterit, & vitellina, attenuantia & detergentia quærenda, eáque frigida, qualia sunt: radices cichorij, oxylapati, acetosæ, graminis, asparagi: folia capillorum veneris, cichorij, endiuiæ, dentis leonis, scariolæ, agrimoniç, acetosæ, hepaticæ: semina frigida maiora, acetosæ, endiuiæ, hordei: fructus limonum, citri, arantiorum, pomorum, cerasorum: flores cichorij. Gummi, camphora: liquores, acetum, aggresta. Composita, aquæ cichorij, endiuiæ, acetosæ, graminis: syrupi capillorum vener. cichorij simpl. de acetositate citri, de succo acetosæ, de pomis simpl. syrupus acetosus, oxysacchara. Conseruæ flor cichorij. Cerasa condita. Puluis diatrion santalon, diamargaritonis frig. diarrhodonis abbat. Spiritus vitrioli.

3. *Abstergentia.*

Verùm quia calidi & frigidi humores sunt sæpiùs lenti & viscidi, detersionem subindicant: abstergere est exsiccare & excutere lentos & excutere lentos & glutinosos humores visceribus impactos, aut internis meatibus, cutísque poris prçter nat. adhærescentes, ipsósque eluëre, prætereuntésque secum rapere & deducere. Quod igitur abstergit intimè penetrat, tenui & nitrosâ substantiâ constat, & vi siccandi pollet, exprimendo aut resoluendo: expressio fit à frigido, resolutio à calido. Quod ergo abstergit vel sibi iungit caliditatem & siccitatem, & ignis elementum participat: vel siccitatem cum frigore, quod terræ proprium est. Denique abstergentia excutiunt humores vel abluendo, vel maturando, vel dissoluendo: quædam igitur abstergunt cum tenuitate substantiæ, siccitate, & calore resoluente; & talia sapore amaro, aut salso sunt prædita: alia verò temperamento frigido donata, vt cichorium, & intyborum species; sed efficaciora calida ordinem tertium non superantia, vt absynthium, Eupatorium Mesue, ageratũ dictum, centaurium, aristolochia. Mel verò abstergit, quia obtinet partes à calore attenuatas, vnde acre est, & altiùs penetrat, ac resoluit: habet desuper partes aëreas & aqueas optimè mixtas & temperatas à calido, vt ostendit eius viscíditas, cuius ratione vim habet lubricãdi, vt patet in oleo, & pinguedine. Mel igitur abstergit penetrando, exsiccando, resoluendo, & obliendo. Idem ferè præstat resina terebinthina, & similia, in quibus reperitur tenuitas substantiæ, & calor, & glutinositas: in hoc tantum à melle discrepantia, quod illorum pars terrea magis est adusta, & ideo sapore amaro donantur. Sic etiam mel per vlteriorem coctionem fit amarum, terrenis huius partibus exustis. Saccharum quoque eadem ratione abstergit, sed imbecilliùs, non enim parem cum melle acrimoniam obtinet, ob copiam humiditatis, & aëreæ substantiæ; vnde si applicetur vlceribus oculorum non vellicat vt mel. Cremor hordei abstergit, quia cum tenuitate substantiæ penetrat, exsiccat, & propter aqueam humiditatem abluit, & abluendo expellit

quod

quod exſiccauit:nec diſſimili ratione acida omnia abſtergunt, & mordicant propter partes terrenas à calore exuſtas. Alia denique ſunt quę minùs propriè abſtergunt, ob aſperitatem & inæqualitatem partium, quæ id præſtant veluti ſcopæ corradendo, vt puluis margaritarum, corallorum,pumicis, ſpongiæ vſtæ: habent enim maximam vim exſiccandi,& propter partium exiguitatem penetrant,& ratione aſperitatis corradunt, & attrahunt ſordes inhærentes. Tale quidpiam facit parietaria,cauda equina, & ſimilia;lomentum etiam fabarum, orobi, lupinorum: abſtergunt hæc exſiccando, & ob ſubſtantiæ raritatem imbibunt ſuccum in parte infixum, conferuntque ad abſtergenda vlcera ſordida.

Abſtergentia ſimplicia ſunt hæc: radices ariſtolochiæ,ari,aſparagi,aſphodeli, bulbi, chelidoniæ: folia, anagallis, abrotanum, aſparagus,alplenos, atriplex, abſinthium, beta, chamępytis,caſſutha,lichen,marrubium,parietaria,ſalicis folia. Semina, faba, orobus, lupini, hordeum, ſemen vrticæ. Fructus, amygdalæ amaræ. Succus limonum. flores,fabarum, tiliæ. Liquores,mel,ſaccharum. Lachrymæ,mirrha,therebintina;ſal nitrum, ærugo;lixiuia omnia, ſerum lactis, ſapa: fel animalium. Theriaca diateſſaron.

4. *Aperientia.*

Aperientia medicamenta indicātur,cum adſunt humores craſſi & viſcidi profundiùs latentes, obſtructionem cauſantes, qui egent attenuantibus & incidentibus;ſubſtantiâ conſtant mediocri; ſed tamen calidâ,vt altè penetrent,nec ïnmodicè ſiccâ, vt commodiùs relaxent, nec vias coarctent: vnde emollientia cum aperientibus immiſcentur. His cognata ſunt attenuantia & incidentia, quæ diuidunt, diſſoluunt, extendunt,& comminuunt viſcidos humores; quod vt faciliùs exequatur eligenda, quæ ſunt tenuis ſubſtantiæ, & tertio gradu calida, guſtui mordicantia, ſalſa, aut amara: aliàs verò minùs calida, vtſunt acida, & frigida attenuantia; ſuccus ſcilicet limonum, acetum, oxymel: aliàs ſunt detergentia,& deobſtruētia frigida, de quibus ſupra dùm ageremus de bilis craſſæ, & vietllinæ præparatione. Cùm ergo magna corporum, & materiæ obſtruentis varietas interſit; nunc calidioribus, nunc minùs calidis,nunc tenui,nūc minùs tenui concremento conſtantibus obſtructiones tollantur, coniunctim hæc ſub aperientium titulo proponimus. Sunt autem aperientia ſimplicia.

Radices quinque aperientes,apij, ſcilicet, fœniculi, aſparagi, bruſci, graminis,cichorij,eringij,gentianæ, filicis,rubiæ,centaurij magni, azari, capparum,tamariſci, fraxini,altheę, liliorum. Folia maluæ, violarum, Mercurialis, ziz imbrij aquat. Betulæ, abſynthij, eupatorij, fumariæ,hepaticæ, quinque capillarium, chamępiteos, chamedrios, cuſcutę, marrubij, calaminthæ, pulegij, origani. Semina aniſi,fœniculi,ameos, agni caſti, cicerum rubrorum, lupinorum. Fructus, amygdalæ amaræ, cappares, nuclei perſicorum, malorum armeniacorum. Flores ſpicæ, ſtechados,hyperici. Aromata, cinamomum,cubebæ. Gummi, myrrha, ammoniacum. Liquores acetū, ſuccus limonum,mel.

Compoſita aperientia, aquæ fœ-

niculi, petroselini, betonicæ: oleum anisi; syrupus bizantinus, de quinque radicibus, oxymel simpl. & compos. syr de stœchade, syrup. de fumaria, syrup. de arthemisia, syr. de althea, syr. capillor. veneris, de prassio. puluis diacalaminthos, pleres arconticon, dianthos, aromaticum rosat. diacurcuma, litontripticon, theriaca, mithridatium; magisterium tartari, seu tartarum vitriolatum.

5. *Pituitam acidam & vitream præparantia.*

Pituita acida & vitrea cùm sit frigida humida, crassa, lenta ac glutinosa; medicaméta contrariis qualitatibus prædita insinuat: ratione frigiditatis ac humiditatis calefacientia, & exsiccantia indicat, ratione crassitiei attenuantia: attenuant autem ea quæ intra poros materiæ crassæ se insinuant, & calefaciunt: respectu lentoris & viscidiratis incidentia, & detergentia requirit, & quę mediocris sunt consistentiæ: quæ sunt:

Radices acori veri, calami aromatici, zedoariæ, galangæ, cyperi, enulæ campanæ, Iridis nostratis, chinæ, sarsæparillæ. Ligna guaiaci, sassafras, cortices guaiaci, citri sicci. Folia saluiæ, betonicæ, maioranæ, serpilli, lauri, hysopi, absynthij, menthæ, thymi, centaurij minoris. Semina anisi, petroselini, dauci, fœniculi, apij, seseleos, carui, cumini, cardui benedicti; Baccæ Iuniperi, lauri fructus, passulæ, ficus. Flores anthos, stœchados, lauendulæ. Aromata, cinamomum, macis, caryophylli, zinziber, xyloaloes. Animalium partes, castoreum, moschus, mel. Marina, ambarum.

Composita, aqua vitæ, cælestis, imperialis, cinamomi, theriacalis, saluiæ, betonicæ, apij, &c. olea anisi, fœnic. caryophyllorum Syrupi de absynthio, de stœchade, de hyssopo, capillorum vener. oxymel scillitic. conseruæ zinziberis: mel anthosatum, rosatum. Condita radicis enulæ campanæ, cortex citri condit. nuces conditæ. Conseruæ florum saluiæ, anthos. Confectiones theriaca, mithridatium, Alchermes, de hyacinto. Puluères aromatici rosæ diambra, dianthos, de gemmis, diairis. Trochisci gallæ moschatæ, de myrtha, de absynthio: tartarum vitriolatum.

6. *Pituitam salsam præparantia.*

Pituita salsa quæ ob salsæ serosæ humiditatis participationem talis est, etiamsi nullam putredinem cótraxerit, acris est & calida, modo tenuis, modo crassa, & proinde contemperantia, & detergentia frigida indicat, qualia sunt.

Radices altheæ, glycyrrizæ, graminis, brusci, asparagi, lapati acuti. Herbæ cichoraceæ, capillares, violariæ, parietariæ, senecionis, pimpinellæ. Semina frigida maiora, & minora. Fructus sebesten, prunorum, iniubarum, passularum corinthiacar. Mororum, fragarum, hordeum. Flores cordiales. Composita sunt syrupus de althea, violatus, papauerinus, de pomis, capillarium: Puluis diatragacanti frig. diamargaritonis frig. diatriasantali, analepticus. Cóserua maluæ, altheæ. Aqua stillatitia crithmi, seu fœniculi marini.

7. *Melancholicum humorem præparantia.*

Melancholici humoris variæ sũt differentiæ, vel enim est naturalis, vel præter nat. ille est pars sanguinis crassior, nigrior & magis fæculenta, frigida & sicca in primis qualitatibus, quæ proinde calida & humida medicamenta subindicat: in secundis crassa & terrestris, vnde attenuantia, & incidentia postulat; & quia suâ crassitie obstructiones & infarctus viscerum, ac mesenterij progenerat, aperientia & infarctum expedientia iungenda.

Simplicia melancholiam naturalem præparantia: Radices eringij, buglossæ, enulæ campanæ, apij, fœniculi, scorzoneræ, liquiritiæ. Cortices medianæ fraxini, tamarisci, radicis capparum, cortices citri. Folia borraginis, buglossæ, fumariæ, lupuli, melissæ, cuscutæ, ceterach, capillor. Veneris, absynthij minoris. Semina apij, anisi, agni casti, citrulli, kermes. Fructus cappares, passulæ, poma odorata. Flores tamarisci, genistæ, anthos, violarum. Aromata, cinamomum, crocus. Gummi lacca. Mineralia Chalybis limatura, lapis lazuli. Composita, aquæ buglossi, fumiterræ, lupuli, melissæ, syrupi de fumaria, de scolopendria, de pomis, de bizantijs, de quinque radicibus. Conseruæ flor. violarum, borraginis, caryophylatæ. Condita radicum enulæ campanæ, cortices citri conditæ, radices buglossi. Confectio Alchermes. Pulueres electuarij de gemmis, diamoschi dulc. lætificantis Gal, diambræ. Trochisci de capparibus, de lacca, de absynthio.

Melancholia præter nat. siue adusta, siue atrabilaris, humor est in primis qualitatibus feruidus admodum & siccus, hinc indicat remedia refrigerantia & humectantia, qualia sunt descripta ad bilem alterandam: verùm in secundis crassus admodum est, obstructiones inuehit; quare attenuantia & aperientia dicta ad humoris melancholici naturalis præparationem erunt miscenda, cum humectantibus & refrigerantibus, addendo quę ipsius succi malignitatem reprimunt, & splendorem spiritibus conciliant, quos suo atro colore obtenebrare solet.

Simplicia humectantia & refrigerantia atram bilem sunt: Radices borraginis, buglossi, liquiritiæ, scorzoneræ. Folia melissæ, fumariæ, lupuli, Veronicæ fœminæ, lapati acuti, lactucæ. Semina granorum kermes, citri, quatuor frigida maiora. Fructus poma, ribes. Flores borraginis, buglossæ, violarum, nymphea. Composita, aquæ borraginis, violar. buglossæ, nympheæ. Syrupi pomorum redolentium, violati, nympheæ, buglossi. Conseruæ flor. viola. & iam dictorum. Condita radices buglossæ, caulis lactucæ.

Reliquorum humorum differentiæ sunt sensim persequendæ, vt debita medicamenta iuxta varias indicationes perquiramus. Iam superesset vt purgantia in particulari proponerem, de quorum natura consulendus est Mesue, qui in descriptione catharticorum simplicium cæteros superare videtur.

Conclusio de serie & ordine multarum indicationum & scoporum, sub exemplo curationis intemperiei cum materiæ affluxu.

CAPVT XV.

INVENTIO remediorũ proficiscitur per indicationes ab indicantibus erutas; cognoscenda si quidem sunt indicantia veluti loci ex quibus eruuntur methodi medendi argumenta: indicata verò sunt veluti intentiones & scopi. Atq; vt locorum perhibentur axiomata, ita indicantium sunt regulæ generales, tum ad inuenienda & disponenda præsidia, quas proposuit parens colendiss. Inuentionis regula est, contrariorum contraria sunt remedia; & naturalia similibus conseruanda. Dispositio collocat vnumquodque suo loco per ordinem, vt quid primum, quid postremum sit faciendum appareat.

Iacobus Fontanus lib. 3. Meth. gener. part. 3. cap. 6.

Exempli causa propono mihi curandam intemperiem cum affluxu materiæ: summum rei genus est intemperies, humori fluenti iuncta; ex quo prolicimus indicationum summum genus, fluentis nẽpe humoris euacuationem, & intemperiei alterationem: nam contraria contrariis sunt semouenda; sed affluxus omnis vel partim iam fit, vel partim factus est; vnde aliæ indicationes enatæ sunt, videlicet fluentis euacuatio, & auersio ex loco opposito; & fluxi euacuatio ex propinquo. Ex quo rursum duplex fluxionis locus deprehenditur, alter à quo, alius ad quem fit affluxus: hic recipiens, ille mandans dicitur; in quo multa considerantur, mandantis scilicet robur, & excipientis imbecillitas, materiæ copia, tenuitas, acrimonia, salsedo, & vasorum latitudo: è quibus totidem prodeunt indicationes; quarum prima est vt vis membri mandantis refrenetur: secunda vt membro recipiẽti robur addatur: tertia vt materia multa per euacuationem subtrahatur, tenuis verò incrassetur, acris, aut salsa mitificetur: quarta vt vasa latiora constringantur. Postremo fluxu cohibito, si intemperies aliqua ex materiæ fluentis conditione, vel aliter membro relicta sit, ea immutanda, & membrum roborandum.

Multa ergo indicantur præsidia ad finem propositum comparandum; imprimis euacuandum, & reuellendum per contrarium præsidium causæ fluenti; vbi videndum si iungatur plethora, vel cacochymia: postmodum fluxa per partem vacuanda. Regula methodi est, generalia remedia topicis præponenda. Medela prius adhibenda parti succos ministranti, deinde alteri recipienti. Verùm quia vnus scopus exempli gr. vacuatio, & reuulsio per varia præsidia comparatur, nempe per purgationem, sanguinis missionem, cucurbitulas, synapismos, & vesicato

veſicatoria: iſta ſuo loco diſponenda per regulas & canones methodi; nec deſiſtendum quin ſcopum fueris conſequutus. Reliquas indicationes Galenus perſequitur, in curatione ſolutionis continui in parte carnoſa, oſſe, neruorum de morbis formationis, obſtructione ſcilicet, morbis in numero, magnitudine, ſitu, & ſimilibus.

In fine artis Med. à cap. 89. ad 99.

Atque hæc exempli cauſa propoſuiſſe ſufficiat, non perſequendo vltrò cœteras morborum indicationes, vt conſtet quomodo Medicus dogmaticus ex ipſa rei veritate, & experientia ratione directa, ſuas curationes perficiat, ad humani corporis vtilitatem, ad quæ non vtitur principiis Hermeticorum à Chymicis huiuſce tempeſtatis receptis, & ad medicinam introductis: nam vt rectè Crollius inquit, perplexitate & obſcuritatibus quibuſdam, non omnibus obuiis Chymicæ medicinæ theoria Paracelſica, adhuc eſt obuoluta, vt neglecta manuum denigratione, ipſa remedia, eorumque præparandi modum à Paracelſo, & Chymiatris; curandi verò Methodum indicationibus & inuentionibus ſuis conſtantem ab Hippocrate, & recentioribus mutuantur. Hac enim viâ duæ hæ veteris & nouæ medicinæ ſcholæ, ſine contradictione combinari, & in Medico ſine errore ſcandaloque notabili rectè conſiſtere poterunt. Verùm remedia noſtra longâ experientiâ probata penitus abrogare non eſt æquum, vt faciunt Hermetici, quia non carent vtilitate, vt ſuo loco eſt demonſtratum.

In præfat. baſilic. Chym. ſect. 6.

Soli Deo vni trinoque honor & gloria, & beatæ Mariæ Virgini Deiparæ.

FINIS.

D. GABRIELIS
FONTANI,
MEDICINÆ DOCTORIS.
MASSILIENSIS, IACOBI FILII,
APOLOGETICON
ADVERSVS VAN HELMONTII IACTANTIAM.



CELEBERRIMIS
ET CLARISSIMIS
MEDECINÆ DOCTORIBVS COLLEGII REGII MASSILIENSIS AGGREGATIS.



ON perexigui laboris fuit (Clarissimi artis Asclepiadicæ Proceres) Doctores Medicos in vnum collegium aggregare: quod vt Massiliæ statutis priuilegiis sancitum erat, ne quis ad Medicinæ praxim exercendam admitteretur, nisi priùs quoddam suæ eruditionis & approbationis specimen subiisset. Illud idem edicto regio fuit nuper confirmatum; vt quisquis hanc ciuitatem appulsurus, licet doctoratus gradum adeptus fuerit, rursùs ad examen theoricum & practicum, in ciuilis consilij basilica induceretur. Nec sine causa illud Critirium susceptum & promotum fuit, vt scilicet imposterum, qui ciuium sanitatis curam gererent, ab ignorantiæ labe immunes, reipublicæ necessitati, & ciuium vtilitati confidenter & inculpatè inseruirent. Massilia vrbs antiquissima, in qua Phocensium academiæ floruerunt; & quæ Crinam Medicum fortunatissimum habuit, qui referent Pli-

nio vrbis mœnia ſuis opibus conſtruenda curauit :hoc ſeculo excellentes & expertiſſimos medicos, Hippocraticæ & Galenicæ Medicinæ, à multis ſeculis approbatæ, & receptæ cultores eximios liberaliter proferet. Medicis verò aggregatis hoc in collegio tota ciuitas multum congratulari debet, & præcipuè Decano doctiſſimo, ac meritiſſimo Domino P. de Bontemps Medico regis conſiliario, qui per diploma regium conſilij ſecretioris, collegium Maſſilienſe inſtaurauit, ad publici vtilitatem, & poſteritatis gloriam. Vos igitur Collegæ eruditiſſimi, tãquam diui Apollinis filij nihil incompertum habetis, nihil à vera Medicina alienum admittitis, ſcilicet priſcorum Medicorum, quæ theorematis ratione certâ & experientia firmatis innititur, quibus veſtra experimenta in dies adiungitis. Ætatis enim noſtræ viris, quædam inuenire, & inuentis addere fas eſt. Nouatores attamen initia phyſicæ inaudita, rationibus ſophiſticis innixa, progreſſum Medicinæ nouum propalantes reiicere, ac refutare debetis; non ſecùs quàm Agyrtas, circulatores, & Empyricos, qui dum Medicos agunt, vel his ſimiles ſunt qui in tragœdiis introducũntur: Reges enim ſimulant, cùm homines flocci ſint, vel pſeudoſyderibus, qui ſtellas micãtes & beneuolas referunt, cum Cometæ ſint pernicioſi, terræ qui pinguedinem abſumendo, famem, nec rarò peſtem adferant. Perperam Helmontius doctrinam Galenicam condemnat, tanquam Ethnicorum deliramentum, & ideo humores eſſe exitiales ignorantias, ignauias, turpitudineſque à mendaciorum parte introductas, & à ſequentium laxa credulitate celebratas proclamat quod cùm vera ac ſolida Medicinæ principia, longâ ſeculorum experientiâ probata, funditùs

euertere

euertere & obliterare videatur ; mihi consentaneum visum est, vt per vera & firma Medicinæ ac physices fundamenta, illius nouatoris erroneis & fallacibus initiis obsisterem : eiusque argumenta facilè diuellendo, calumniatoris versutias, simulque Draconis nobis æmuli audaciam totis viribus exterminarem, sub vestri fauoris vmbella. Suscipite ex animo & libenter meas lucubrationes, votisque vestris respõdentes affectus, vos omnes qui filij legitimi Hippocratis censemini, hoc apologeticum accipite.

Vester G. FONTANVS Medicus
vobis singulis addictissimus.

IN VAN-HELMONTIVM DOCTRINÆ GALENISTARVM OPPVGNATOREM.

PRINCIPIIS obstat ridenda Helmontius arte:
Qua putat ægroti membra leuare sui;
Principiis obstat: sed quî? dum prima medentum
Nititur imprudens dogmata subruere.
O Caput elatum nimio nouitatis amore!
Nil cruor, exclamat, nil Medicina iuuat,
Vena nihil, nil stercus habet, nil lingua perusta,
Quo secreta mali semina coniicias.
Pharmaca cuncta negat, doctosque Machaonas omnes
Quos coluere patres, improbat arte nouâ
Scilicet auxilium, quo non præsentius vllum,
Ipse dabit membris, quæ coquit ignis edax;
Pocula nulla feret: properâ sed morte leuabit,
Quæ requies miseris, sitque medela malis.
At procul hinc mens cæca boni, procul illa facessant
Dogmata, queîs lucem noctis alumna dedit.
At procul hinc ars tetra; scholas quæ claudere tentans
Galeni, letho pandere tendit iter.
Fontanus potis est, nostro celeberrimus æuo
Quos alter morti liquerat, eripere.
Ne dubites: annis cum iam plus mille sepultum
Galenum tumulo suscitet arte suâ.

G. C. O. D. I.



APOLOGETICON

ADVERSVS VAN-HELMONT,

CIRCA IACTANTIAM PASSIVÆ DECEPTIONIS, SCHOLIS Humoristarum imputatæ.

CAPVT I.

Quatuor humores Galenistarum, non esse fictitios.

PRÆFATIO.

In qua basis fundandi humorum Quaternarij stabilitur.



RINCIPIA scientiarum sunt bases & fundamenta conclusionum deinceps in illarum progressu probandarum:hinc Helmontius, vt humores è medio tolleret, supponit dogmata in principio sui tractatus,vulgari & receptę humorum doctrinæ prorsus repugnantia, quæ in suis physicis initiis, & ortu medendi amplissimè demonstrauit,
§. 3. non esse quatuor elementa in natura, & per consequens, si tantum sint tria non posse congredi quatuor. Disruptum itaque quaternionem, non posse quatuor elementales impares congressus causare, temperies,mistiones, cõtrarietates,odia, lites,&c.docuit fructus, quos vetustas credidit corpora mista, conflataque ex congressu quatuor elemẽtorum: materialiter ex vnico elemento esse. Denique etiam illa tria §. 4.
elementa naturaliter frigere, nec vsquam esse in rebus calorem natiuum,nisi ex lumine,vita, motu,& blas alterante. Adeoque calorem in elementis esse merum relolleum. Quod ita exponitur à Paracelso, scilicet non esse accidens elementale, sed aliquid vltra primum, & virtus principiorum.

Supponit item actualem humiditatem omnem esse aquæ: virtualem verò ex seminum proprietate. §. 5.
Siccitatem similiter, esse per se in aëre,& terra: in fructibus verò, ratione seminum, & coagulationum. Falsam ergo hactenus doctrinam, celebratam de elementis, mistionibus, qualitatibus, temperamentis, dissidiis,gradibus in ordine ad morbos,horumque sanationes.

Proposuit quoque, in natura non esse contraria. Sanitatem opponi morbo, relatione integri ad §. 6.
defectuosum. Remedia morbum tollere,non vi contrarietatis,vt neque propter nudam similitudinem. §. 7.

ſed propter merum bonitatis donum reſtaurans naturam adiuuando,quæ alioqui ſui ipſius eſt medicatrix: atque hæc ſunt quæ ſupponit ad deſtruendum quaternarium humorum numerum.

Ego vero veterum doctrinam ſequutus & amplexatus, ex fontibus Hippocratis,& Galeni, cenſeo quaternarium humorum numerum eſſe veriſſimum,ex quibus ſanitas conſtat, & morbi exoriuntur. Hippocrates humidi formas quatuor in corpore reperiri demonſtrat:hæ verò ſunt, pituita, ſanguis, bilis, & aqua; nomine verò aquæ intelligit melancholicum ſuccum, dum ſubſequenti ſermone, docet eſſe quatuor iſtorum humorum fontes præter ventriculum, inquit, ſanguinis quidem certè fons eſt cor, pituitæ caput,aquæ lien, bilis locus in Iecore.Horum humorum ideam, & qualitates rectè depingit Galenus in breui denotatione dogmatum Hippocratis: & alibi declarat humani corporis ex quatuor humoribus cõſtitutionem, iuxta Hippocratis mentem Philoſophorum veterum ſententia fuit cuncta ad vnum elementum reuocari;ita Medici nonnulli vnum humorem in corpore collocabant,referente Hippocraté lib. de natura hominis ſiue huius libri author ſit Hippocrates, ſiue Polybus. Quidam dicunt hominem ſanguinem tantum eſſe,alij bilem, nonnulli pituitam. Ita quidam hunc, alij illum humorem priorem ponebant,vnde alij naſcerentur: nam vi caloris ac frigoris, naſci ex eo humore amarum,dulce, &c. Hoc eſt per ſolam congregationem & ſegregationem plurima entia prouenire dicebant, nec propterea mutare ſpeciem ac vim.Hoc argumento ducti: quod transfertur in reliqua, primum principium eſt reliquorum; vt ſanguis præ calore in bilem abit; præ frigore in pituitam. Sic exiſtimabant ſe vnum poſuiſſe tantum; quod ſolis accidentibus mutatis alia ſub facie ſe conſpiciendum præberet. Quæ tamen ita ſeſe habere minimè videntur.

Lib. 4. de morb. initio.

In 1 claſſ. lib. 8. de decret. Hippocr. & Plato. cap. 5.

Hippocratis text. 3. lib. de nat. hom.

Demonſtrat ergo Hippocr.ſi homo vnum eſſet, nunquam doleret: nam dolor fit ab aduerſario agente: at vni nihil eſt aduerſum. Nõ enim quicquam eſſet ex quo doleret, ſi vnum exiſteret. Quod ſi etiam daremus, cùm ſeipſum affecerit, ac afflixerit, vnico ſane remedio id redintegrabile eſſet.nam vnicum erit quod labefactabitur & ſimplex,vnicam etiam ſolum habebit cauſam doloris.

Etenim cum vnum vni duntaxat ſit contrarium: etiam curatio quæ eſt reſtitutio priſtinæ naturæ, per contraria fiet. Vnicum itaque remediũ omnibus ſatisfaciet.Quod falſum eſt:nam varij ſunt morbi,& eorum cauſæ; vnde & varia eorum medela. Atque hæc argumentatio, contra Helmontium contorqueri poteſt,qui vnicum humorem;cruorem ſcilicet eſſe voluit. Humorum diuerſitatem oſtendit in homine varia temperamenti mutatio; quod ſit ex dominatu diuerſorum principiorum. Si homo vnico ſolùm conſtet humore:igitur nullum anni tempus,aut ætatis dabitur, quibus alios humores demonſtres in corpore humano eſſe. At conſequens eſt falſum: nam nulla ætas, nulla anni pars, vbi ſolus ſanguis dominium habeat. Nec enim ex puro ſanguine, homo genitus & nutritus eſt: ſed ex tota maſſa, cui quatuor inſunt humores.

Iure

Iure merito Hippocr. statuit non esse necesse generationem fieri ab vno; quî enim quod vnum est, ex se aliud quid generarit, nisi alicui alteri commixtum fuerit? axioma constans est: quicquid generatur mixtionem subire debet. At vnum sibi non remiscetur. Igitur ex vno nihil generatur.

Cùm enim mixtio iuxta Aristotelem sit miscibilium alteratorum vnio: vel subtiliùs ex Scaligero lib. de subtilitate motus corporum minimorum ad mutuum contactum, vt fiat vnio. In mistione quæ remiscentur, integra non manent, alioqui esset compositio, nec debent omnino interire, quia non esset mistio, sed generatio: aliæ plures conditiones requiruntur, quas hîc breuitatis causa omittimus. Innuit ergo Hippocr. generationem non fieri per concretionem & discretionem transmutabilium: sed per totius substantiæ alterationem, quã solæ primæ qualitates faciunt: hæque solis quatuor elementis insunt. Quare homo constat ex his quatuor; nam in cunctarum rerum naturalium procreatione opus est rerum multarum μίξει ac κράσει eorum quæ mixta sunt: quo itaque modo vnum generationis principium erit? nam crasis non est vnius, sed plurimorum diuersorum conuenientium in vnum effectum.

Exercit. 101.

Hippocrates primus docuit ex elementorum mixtione temperamenta fieri, ac corpora cuncta. Cõsequenter hominis materialia principia ponit quatuor humores, elementis quatuor respondentes, quibus natura corporis humani constituitur, & per ea ægrotat, vel sanitate fruitur.

His ita præpositis, quia hoc seculo hæc veterum opinio Hippocratis & Galeni, funditus eliminatur ab Helmontio Galenistarum hoste infensissimo, & Paracelsi sectatore, nostri muneris fuit, huiusce viri argumenta examinare, & diuellere, ne scilicet ita falsa esse nostra principia quis putet? vt ipse Helmontius demonstrare conatur; adeo vt nos ignaros, ac multum deceptos hac in parte profiteatur: postquam Paracelsi inconstantiam arguerit.

Argumenta Van-Helmontij à capite ad calcem seriatim dissoluuntur. §. 8.

1. §. 9. PRimò probat Helmontius quatuor humores Galenistarum esse fictitios hoc argumẽto; *Quod à formæ priuatione non detur immediatus regressus ad habitum: attamen ex quatuor humoribus carnem constitui, hancque rursus in eosdem quatuor resolui asseruerunt: decernunt nempe, è cibis fabricari chylum homogeneum quidem in stomacho: qui tamen separatis alui excrementis, semper quatuor humores præter vrinam, vnicâ sanguificationis actione: nunquam verò vnicus, duo, tres, quinque, aut plures fierent. Idque sic statuerunt, per elementorum quaternarium credulitter abductæ. Vnde consequens saltem, hanc quadrifariam repartitionem vnius Chyli, non quidem à diuersis ciborum varietatibus deriuare:*

" *uare : sed prorsus essentialiter depen-*
" *dere , ex ipsa sanguificationis entele-*
" *chia propria. Quod non caret suâ ab-*
" *surditate : Quod scilicet vnius actus*
" *naturalis esset quadruplex scopus, es-*
sentialiter differens.

Respondeo, à priuatione ad habitum non dari regressum, simpliciter quidem, sed secundum quid redire, quatenus antea potentiâ fuerant quæ resoluuntur ex composito, & in aliquid analogum resoluuntur:licet non sit necessarium, vt carnes dissoluantur in quatuor humores ex quibus compositionem receperunt; non enim omnia mixta resoluuntur in ea ex quibus componuntur. Sic carnes nunquam in sanguinem, & semen generationis nostræ principia redire possunt.

text.14. Ergo diuinus Hippocrates lib. genuino de nat. huma. optimè cōcludit,intereunte humano corpore, vnumquodque ad suam redire naturam, humidum ad humidum, siccum ad siccum ; quod calidum,frigidum ad frigidum ; quæ tamen partes calidæ,frigidæ,quæ,apertè in corpore humano conspiciuntur, nō sunt elementa naturæ humanæ, sed ea potius, inquit Galen. in comm. quæ has constituunt. Ea verò sunt ignis,aër,aqua,& terra,de quibus in lib. de elementis iuxta Hippocratis mentem disseruit. Quod sic intelligendum venit;cùm moritur homo, singula migrant ad suum elementum,è quo profluxerant. Compositum omne vt generatur, ita etiam interit, id est dissoluitur in ea ex quibus componitur, reditque eò vnde ortum est: atqui cuncta componuntur secundum substantiam ex quatuor elementis. Igitur in sua corruptione in eadem dissoluuntur. Quod verum est de componentibus immanentibus secundum speciem : alia verò quæ secundum materiam tantum (vt ouum pulli formationem) aut alimenta humorum promouent,non remanent,nec producuntur denuò per resolutionem eorum quæ genuerunt.

Hippocrates text. 18. lib. de natur. hum. inquit : corpus autem hominis continet in seipso sanguinem, & pituitam, & geminam bilem,nimirum flauam,& nigrā: quibus natura corporis constituitur, & per quæ ægrotat ac sanitate fruitur. Quem librum Galenus initio commentarij germanum esse profitetur. Vbi Hippocr. materialia principia ponit quatuor humores, elementis quatuor respondentes. Non loquitur de excrementitiis, sed de nutritiis,qui in mero sanguine sunt humoribus: illi enim per aliud giguntur : hi intrinsecè fabricantur corpus humanum;ita vt eius natura inde constituatur. Hæc quatuor sanguini insunt,vt lacti inest butyrum, caseus, serum. Non enim est simplex sanguis,vt oculis videmus.

Ad id verò quod dicitur ab Vanhelmont : quadrifariam repartitionem vnius chyli : *Non qui-* " §.9.
dem è diuersis ciborum varietati- "
bus deriuare: sed prorsus essentialiter "
dependere , ex ipsa sanguificationis "
enthelechia propria. Quod non caret "
suâ absurditate. Quod scilicet vnius actus naturalis esset quadruplex scopus essentialiter differens.

Respondemus, quod ex variis partibus eiusdem chyli,tum ob diuersitatem ciborum quibus vtimur, tum ob varietatem alterationis diuersarum eius partium, sanguis qui inde generatur, non planè eiusdem existit naturæ.Quoniam & ex eiusdem agentis pari applicatione ad

dissimile patiens,& inæquali applicatione operantis ad homogeneæ materiæ diuersas partes, differentes effectus produci necesse est. Quare dum vi caloris Iecoris crudiores chyli partes in pituitam transeunt, aliæ simul benigniores & magis temperatæ in sanguinem vertuntur;aliæ in bilem,vel flauam,vel nigram,quatenus in chyli,succi heterogenei materia continentur, cuius partes pro dissimili ipsarum constitutione, ab æquabili Iecoris calore disparem mutationis modum subeunt, vt ostendit Dom.Merindolus Aqui-sextiensis professor doctiss. & præceptor.

Lib. 3. *tract.*1. *theor.c.*2.

11. §. 10. Secundo Helmontius commonstrat nos deficere in probanda humorum quadruplicitate, & quaternione elementorum alibi exploso :

§.11. *Vt inuitum sanguinem sub numerum quaternarium cogamus, ad obedientiam trium elementorum,tantum existentium :*

§.12. *licet ex vnico duntaxat illorum, ipse sanguis materialiter fiat. Quasi singula, quæ ex elementorum connubio oriri creduntur, quatuor heterogeneas partes, necessariò proinde habere deberent, elementis suis totidem conformes. Cum alibi ostenderit, quædam corpora nil habere alteritatis,ne quidem in sale,sulfure, & mercurio : alia autem tantùm duas tandem proferre heterogeneitates.*

Ad hæc respondeo nos supponere quatuor esse elementa,ex quibus corpora mixta conflantur ; neque materialiter ex vnico tantum elemento componi, & in nobis inesse calorem igneum,cœlesti tamē analogum : vnde non mirum est cùm diuersa posuerimus principia, inde varias conclusiones eliciamus. Nēpe vt quatuor elementa omnium mixtorum sunt communia principia : sic quatuor humores sanguineorum animantium propria. Si itaque his absoluitur natura hominis ; igitur hæc erit eius materia ex qua constat. Nam humores continentur in solidis partibus : quæ & ipsæ ex humoribus natæ fuere in vtero materno. Nam menstruo sanguini insunt, vt à nobis suo loco est demonstratum. Proinde alteritates, & heterogeneitates humorum commonstrant multa, non solum corporis humani multiplex tēperies, in quo est calidum, frigidum,humidum,& siccum,& proinde correspondentia cum quatuor elementis, sed ætatum & tempestatum varia constitutio, quæ humorum diuersitatem in corpore nostro, pro diuersa agendi ratione ingenerat:nempe in adolescentia, florente ætate, aut inclinante, ac senectute; indeque sanguis mistus ex quatuor humorum temperie conflatus, eorumque variâ proportione constās, à Dogmaticorum schola asseueranter tenetur. Neque inficiatur Helmontius cap.2. eiusd. tractat. §.15. totum integrale subsistere ex partium heterogenearum vnione:quod axioma competit sanguini, in quo alteritates, & heterogeneitas reiicere non decet, vt deinceps clariùs demonstrabimus.

Tertiò refutat Helmontius scholarum argumentum seu inductionem à simili stabilitam : *Aiunt inquit,in lacte reperitur serum, caseus, & butyrum, idest, tria distincta ergo in cruore erunt necessariò quatuor ; eò quod in aliquorum cruore notent quatuor diuersa. Sæpè namque aquam supernatantem notant, quia flaua & subpallida est,eam ideo bilem flauam, siue fel nominant, (licet non amaricet, careatque essentiali fellis proprie-* III.

§.13.

tate) sedimen verò circa fundum, ponderosius, ac nigrius quandoque, vocant bilem atram : medio autem interstitio, rubrum notant sanguinem, in quo dum fibras albidas animaduertunt, coagulationis gelatinæ matres, eas pituitam dixere. §. 14. *Incisâ enim venâ poplitis puellarum, in tepida, telis aranearum similes apparent eiusmodi fibræ.*

At primum annotare debuissent, inappositam lactis & cruoris similitudinem, nil docere, aut vrgere. §. 15. *Eò quod aqua supernatans cruori, non sit pinguedo colastri, supernatans lacti : quare dispar est agens, vel materia, vel vtrumque. Ac proinde in tanta amborum difformitate, non ritè fundari humorum necessitatem, in cruore. Incuriæ enim scholæ non aduertunt, in cruore nasci partium heterogeneitatem, postquam se disposuerint, ad mox adfuturam corruptionem.*

Respondeo adductam lactis & cruoris similitudinem nostram sententiam apprimè roborare, in eo maximè quod patefacit sanguinem alimentarium & naturalem heterogeneum esse veluti lac : quod bellè demonstrat Galen. afferens, animalia sanguinea ex quatuor humoribus constare, qui in sanguine naturaliter continentur : vbi iactis quibusdam fundamentis : illud rectè decerni nempe varias esse partes in corpore, vt neruos, carnes, ossa, quæ cum sint diuersi temperamenti, ex diuersis etiam portionibus sanguinis efformantur in vtero : ea tamen omnia ex vnica substantia nō sunt procreata ; sed potius sagax rerum opifex natura, quo primum tempore ex sanguine ab ipsa matre in vterum delato, fœtum procreabat, atque efformabat, quod in eo crassius erat, ad solidiora corpora constituenda attraxit, quod verò tenuius, ad molliora, & similiter quod calidu, erat ad calidiora, & quod frigidius, ad frigidiora ? & sanè videtur longè esse magis naturæ consétaneum, & statim ab istis principiis formari fœtum, ac subsequenti etiam tempore vnamquamque particulam, suum habere alimentum, augmentumque ex propria, peculiarique materia. Nam sanguis, vt lac etiam, docente Galeno loco cit. vna quædam res videtur, ratio tamen docet illum non esse vnum, sicut nec lac. Nam in lacte aliquid est, quod omnino serosum ac tenue est: aliquid etiam quod penitus casei speciem refert, crassumque est : & dum hæc simul erant contemperata, lac constituebant, quod inter caseum medium erat & serum : simul autem vt discernuntur, & propria eorum forma inde ostenditur, & præterea docetur lactis naturam vnum non esse vsquequaque, sed ex contrariis, atque differentibus concretum. Quemadmodum igitur in lacte, & serum reperitur, & caseus : sic & in sanguine liquor quidam est, qui sero in lacte proportione respondet : est id quod sanguinis veluti limus quidam ac fæx ipsius est, & caseo in lacte assimilatur. Sed & fibras in sanguine deferri nemo est qui videre non possit: quæ si ex eo detrahantur, iam non concrescit amplius sanguis : qui deinde non parum, illis exemptis, calore ac substantiâ differt ; quippe quum ex eo pars quædam omnino rubra videatur, alia verò potius flauescat, quædam etiam magis ad atrum vergat, nonnunquam verò & aliquod albicans se in illius superficie apertè offert, interdum tamen totus ferè videtur liuens, sæpè adeò nigricat

Galenus. lib. 2. de element. cap 2.

gricat vt, me hercle, purpuram admodum plenam referre videatur. Vnde sanguis minimè vnum erit. Quia si esset reuera vnum: esset nimirum (vt Galeno videtur) in omnibus cùm animantibus, tum hominibus vsquequaque similis.

Ex his ineptè Helmontius colligit, inappositam lactis & cruoris similitudinem nil vrgere, eo quod aqua supernatans cruori, non sit pinguedo colastri supernatans lacti: quasi verò hanc similitudinem eo quo enunciat mōdo, Galenus vnquam proposuisset. Sed eo solum sensu. Quod quemadmodum lac tenuiores, & crassiores partes obtinet; sic etiam sanguis heterogeneis partibus constat; quas non iis qualitatibus induimus, qualiter nobis Van-Helmōt obiicit; vt scilicet existimemus aquam supernatantem citrinam esse bilem flauam, fibras verò sanguinis dum separantur albicantes, pituitam esse credamus; Imò potiùs separatis fibris, totum sanguinem colore ac substantiâ discrepare, & quatuor distinctas substantias humoribus quatuor respōdentes repręsentare.

Instat in cruore nasci partium heterogeneitatem, postquam se disposuerit ad mox adfuturam corruptionem: proindeque ista heterogeneitas accusat contentorum factam in morte disparitatem: at nullatenus viuidorum humorum necessariam connexionem. Quasi verò ista humorum separatorum è sanguine corrupto resolutio, non manifestè ostenderet, humorum naturalium intra sanguinem contentorum disparitatem: cùm omnia resoluātur in ea ex quibus componūtur. Verùm sicut mixta elementis quatuor conflantur, potestate non actu in ipsis permanentibus; sic etiam quatuor humores in sanguine competiuntur non actu, sed potestate solâ, secundum quam heterogeneitatem sanguinis constituunt, sub vna tantum forma, vt clariùs demonstrabitur in respōsione ad 12. argum. §. 44.

Denuò instat: *Quid dicent de illo cruore qui prorsus caret sero? vel qui per totum vniformiter coagulatus rubet? quod frequens est à multis sudoribus, & potus abstinentia. Ergone serum supernatans, vrina, & sudor, relicta in cruore erunt synonyma cum bile & felle? & vnum quid cum* ipsa sanguinis essentia. §. 15. cit.

Respondemus nunquam sanguinem sero prorsus destitui; licet eius portio per venam detracta sero destitui appareat, hoc enim ex accidenti cōtingit, ob assignatas causas. Dicimus etiam serum gigni ex parte chyli tenuiore, quod sit vehiculum alimenti; vnde seri productio non pendet à difformitate agētis hepatis, sed potius à chyli dispositione: & proinde de numero humorum nutritiorum non est; attamen ad scopum naturæ præstat, & magnam affert vtilitatem; deinde suo munere functum, in vrinæ ac sudoris materiā facessit. Non proinde æquiparamus aquam supernatantem, quam sudorem, serum & vrinæ residuum fatemur; nunc butyrosæ parti, lactique supernatante, elemento ignis adæquatæ: atque alias sero lactis, nec etiam vtrumque harum felli assimilamus, vt vult Helmontius: sed tantum dicimus sanguinem esse vniformiter difformem, sicut lac, & vtrumque variis partibus tum tenuioribus, tum crassioribus constare; licet vt sic serum segregatum nōn sit de essentia sanguinis: cùm enim ad alendum cor-

pus non sit idoneum, excrementi nomine donatur.

§. 16. Opponit Helmontius similitudini ex lacte petitæ, illam: *Quam trahit ex herbis, in quibus vnicum saltem succum clarificatum vidit hactenus: vt pariter vnicum cruorem nostri constitutiuum agnoscit. Sanguificationem videlicet simplicem, & vnicam vnius hepatis actionem, vnimocumque, ex indistincto cremore, vnicoque stomachi fermento, factum chymum, profitetur. Quam sanguificationem dicit meram transmutationem alimentorum formalem, nequaquam autem solam dumtaxat heterogeneorum appositionem.*

Fallitur in illa similitudinis oppositione, quod non sit par ratio succi herbę clarificati, & lactis: primò ex eo quod herba simpliciori nutriatur alimento, quàm animal; tum quia in succo herbæ heterogeneitatem partium obseruamus, nempe aquosum quid, pingue, terreum & salinum: ex succis enim herbarum concretis sal spõte emergit.

Quantũ ad sanguificationẽ concedimus vnam esse formaliter, sed potentialiter diuersam: & proinde nõ admittimus illam heterogeneorum appositionem adductam, quasi quatuor humores separati actu in sanguine coëxisterent. Verumtamẽ humores in massa sanguinis insunt potentia, & non actu appositi; illisque ita mixtis in vnum sanguinem, corpus nutritur; atque pars nutrienda vnica actu, quatuor elemẽtis cõstat, & quatuor humoribus cõflatur: neque proinde alimentum minùs vnum est actu, multiplex potentia.

§. 17. Helmontius §. 17. & 18. reprehendit Medicorum intentum, dum æquiparant aquam supranatantem cruori: *Nunc butyrosa parti, lactique supernatanti, elemento ignis adæquatæ; atque aliàs, sero lactis. Et longè turpius, vtrumque harum, indistinctè assimilant felli.* Quod ve è incurrunt absonum, qui fel cum sero confundi credunt, dum vident esse citrinum; vel fel quod seiunctum est atque excrementosum, cum pingui sanguinis alimentarij portione efflorescente ineptè assimilant. Vt saniori sensu non similiter sit iudicandum de partibus excrementosis; ac de iisdem in massa eiusdem alendi causâ contentis. Nec debet fieri æqualis comparatio eorumdem humorum à sanguine seiunctorum, cum partibus lactis essentialibus. Nisi quia, cum similitudo claudicet, non est habenda eadem vtrorumque ratio; sed quædã respectu heterogeneitatis vtrobique compertæ proportio, & æquiparantia.

Quarto obiicit contra humores hoc dilemma: *Si sub vno sanguificationis actu, eademque officina, quatuor pariter humores, è quolibet cibo producuntur, quia ab hepatis destinatione immediatè principaliter, simpliciter, atque semper intenti: vel fiunt locis & momentis imparibus. Non equidem imparibus: quia sic non essent vnius & eiusdem cruoris partes constitutiuæ. Sin autem paribus: cur, dum lotium & bilis fiunt simul, vnum non miscetur indiuiduè alteri: cum alioqui in natura, aqua misceatur aquæ inseparabiliter: prout & fel vrinæ. Cur denique lotium numquam amaricat, si semper fel ipsi sit commistum, à quo tingitur? cum disruptio fellis in pisce, nulla vtcumque exquisitior elotio, amaritudinem istam tollat?* 4. §. 19.

Ad hoc respondeo, suponendo

priùs

priùs hæmatosim coctione fieri; coctio autem omnis à calore est, cuius efficaciâ, & energiâ quæ homogenea sunt, vniuntur, quæ dissimilia separantur: non potuerunt Chyli omnes partes, quæ diuersi erant generis, in dulcem & puniceum sanguinem commutari: sed aliæ in amarum & flauum, aliæ in atrum & acidum, aliæ in serosum & salsum conuertuntur: Ita vt coctionis huiusce tria sint excrementa. Vnum grauius magisque terrenum fæci respondens, melancholicum succum dicunt, alterum leuius magisque igneum quod per summa innatat, flori consimile, bilem vocant, tertium aqueum & serosum.

Tria hæc quia ad alendum corpus minimè erãt idonea (solis enim dulcibus nutrimur) à sanguine segreganda, & in locum aliquem velut proprium conceptaculum releganda fuere. Amara enim bilis excrementitia si cum sanguine misceretur, spiritum in venis contentum inquinaret, carnes suâ acrimoniâ rodens, membranasque lancinans vlceris sensum continuò excitaret, motus denique omnes præcipites, & sensationes deliras, quales sunt phreniticorum redderet. Seri autem substantia tota aquea, & omni carens pinguedine, perfectam assimilationem impediret. Fœculentus verò humor sanguinem totum conspurcaret. Itaque amaræ bili secernendæ, vesiculam; seroso humori transcolando, renes; melancholico succo expurgando, lienem natura destinauit.

Bilis feritate suâ & acrimoniâ magis proritans, prima omnium expurgatur, eiusque conceptaculum hepatis dextræ resimæq; parti propendet; quod vesiculam biliariam, seu folliculum felleum, vetustiores nuncuparunt. Trahi autem à vesicula bilem Iecori inutilem, ostendit ductuum conformatio exposita à D. Laurentio: à Iecore ad vesiculam ferri ductum cõspicuum peruiumque canalem, non autem à Iecore ad intestinum; à vesicula verò ad duodenum patet canaliculus alter, non à duodeno ad Iecur. In vtroque ductu valuulæ adsunt bilis refluxum impedientes. Id facilè deprehendes si fistulam in hepatis ductus immittas, & infles, videbis statim vesiculã priùs inflari, quàm intestina; quia peruius est ab hepate ad vesiculam ductus. Quod si in vesicula imponas tubulum, inflabitur intestini ductus, non Iecoris; ita fertur bilis ab hepate primùm ad vesiculam, à qua mox in duodenũ extruditur. Concludimus ergo, trahi à cauis hepatis bilem à vesicula, in ea retineri ad tempus; tandémque stato & soli naturæ cognito tempore amandari in intestina. Hæc fuit admirandi Hippocr. lib. 4. de morbis, Galeni, & veterum omnium sententia à scholis nostris recepta. *Anatom. lib. 6. c. 20. quæst. 24.*

Hinc colligimus aliud esse loqui de sanguine alimentario; aliud de succis excrementitiis, qui licet humores simul & eodem tempore generentur: attamen intrà venas manet sanguis apparenter sincerus, sub se diuersas partes continens, non quidem tales, quales reperimus in excrementitiis succis separatis: sed sub colore, ac dulcedine, & temperie sanguinis ita commistos, vt eius indolem consequantur: licet calidior & tenuior pars bilis alimentaria dicatur: crudior & frigidior pituitosa: crassior & nigrior melancholica; quæ si separata essent, flauedinem, albedinem, aut atrum co-

lorem, tum etiam amarorem, aut aciditatem præ se ferrent; quæ tamen colore & sapore sanguinis temperata, & commista eandem vniformem difformiter naturam seruant.

Excrementitij verò humores tãquam hepati noxij totâ naturâ, & qualitate expelluntur; & primùm bilis celeriùs quàm reliqua duo superuacua extruditur, quia acriores sunt eius morsus; & eâ ratione bilis cõceptaculum hepatis cauo affine & connexum visitur: lien verò, & renes longiùs sunt dissiti. Trahi autem à vesicula bilem docet Galen. ob qualitatis communionem, quod fieri vult quadam familiaritate & similitudine nobis incognitâ. Etenim magnes ferrum trahit, & succinum paleas; ita bilem vesicula. Serum verò non statim excernitur, quemadmodum biliosum ac fæculentum excrementum; quia illud vtile erat deuehendo sanguini alioqui crasso, & ad motum inepto, vt expeditè in graciles & angustas venas permearet. Æquum tamen fuit, vt munere hoc perfunctum tanquam inutile secernatur, expurgetur, ac in renes, seu propria conceptacula amandetur, partim per vim venarum expultricem, partim per renum tractricem, modo in naturali œconomia omnia ritè sint disposita.

4. & 5. de vsu part. cap. 10.

Isti ergo humores licet pari tẽpore producantur, non tamen indiuiduè miscentur, ob diuersas receptaculorum facultates, ac proprietates partium separatarum.

Cur denique lotium nunquam amaricat si semper ipsi fel sit commistum, à quo tingitur. Respondeo tincturam illam minorem portionem bilis arguere, quam superat sapor salsus, atque prædominatur: quia serum salia heterogenea, quæ ex alimentis in corpore cumulantur dissoluere, & in sese recipere solet; vnde salsedinem potiori iure, quàm amaritudinem contrahit.

Quærit rursus: *Quis ille tam exquisitus separator, qui potuit aquosam bilem à lotio separare; non potuit autem lotium omne à cruore materialiter segregare?* Ad hoc dico quod licet maior bilis portio à vesicula fellis attrahatur, nihilominus minimum illius intra venas refunditur, quod cum sero miscetur, & vrinam colore flauo imbuit. Quâ verò ratione bilis ab hepate ad vesiculam pergat, supra fuit expositum; & quomodo à cruore separetur: quod petitum ab ipso fuerat paragrapho 21. §. 20.

Verùm quia Vanhelmont confundit humores excrementitios cũ alimentariis, ideo multa impossibilia & absurda deducit, dum sic scribit: *Cur saltem bilis ista vtraque, permanens in cruoris massa, sua habet ex rementa, & separata diuersoria? pituita, verò, & cruor, excrementis carent? si enim infra hepar vtraque fit; quis ergò separator, illam separat? & quorsum? cum ibidem simul generata, perfectè misceantur lotio. Sin autem in celerrimo transitu, per exiguos venarum, exilesque ramulos, in hepar distentos, fel simul cum sanguificationis actu fiat, simulque bilis atra; meminerint quaso tyrones, exilitatis ramulorum, siue venularum, quæ vix vrinæ transmittendæ satis sit, adeòque requirerent momentaneam vrinæ, cruoris, triumque reliquorum humorum, transmutationem à cremore factam.* Quod alibi ex professo, tractatu de sextuplici digestione alimenti explanauit §. 21. *Dicens an* §. 21.

enim

enim segregatio excrementi, degeneratio cremoris, & cremoris sanguificatio, vnâ eademque operâ fient, & absoluentur? minimè. Cremor sanè transmutatore fermento opus habuit, distincto à fermento sanguificatiuo, quo scilicet pars sui, minùs idonea,
§. 20. *commutatur in merum excrementum, non enim actio sanguificationis, poterit facere ex non excremento excrementum. Distant enim nimium ambæ ab inuicem. Actio enim, quæ è cremoris maxima parte parat excrementum, non fit per cruoris coagulationem, & serosioris partis separationem. Cùm cruor in mesaraicis nedum non coaguletur: sed ne quidem adhuc coagulabilis sit, quamdiu in illo stomacho versatur. Vt patet in dysenteria. Fit ergo separatio excrementi serosi, à cruore, in ipsis mesaraicis, &*
§. 21. *quidem ab alio longè agente fermento, & viscere, quàm quod sanguificationi incumbit. Est nempe actus quidam, qui cremoris partem condemnat in excrementum. Cruorem autem præseruat, & intactum relinquit. Præcedit ergo sanguificationem, productio ac separatio excrementi. Adeoque vterus lotij, ante mesaraicas incipit. Nondum tamen ibidem est vterus Duelech, eo quod fermentum renis spiritum vrinæ mutat, in Iecore, & circum circa. Fellis autem stomachus est duodenum, & sequens arundo intestini vicini, desinitque in principiis venarum mesenterij.*

Respondemus, separationem seri non fieri in intestino ab illo fermento felleo (vt infra declarabimus.) Quia Chylus egebat sero, vt fluiditatem distributioni illius necessariam retineret. Perficitur verò coctio Chyli iam incepta in ventriculo, venis lacteis, & intestinis, vbi fit separatio excrementorum crassiorum in intestina crassa reiectorum. Quantum ad reliqua per vlteriorem coctionem à calore natiuo heterogenea segregantis, in venis mesenterij procuratam, ad segregationem paulatim disponuntur; vt cum hepati magis appropinquant, exactior fiat inter coquendum in actu ipso sanguificationis segregatio, tam biliosi, quàm melancholici excrementi. Actus enim sanguificationis, licet sit distinctus ab actu separationis excrementorum: attamen propter alimenti seu Chyli heterogeneitatem, fit, vt simul cum actu hæmatoseos, segregatio excrementorum contingat, ob diuersas receptaculorum facultates, ac proprietates partium separatarum. Hinc etiam fit, vt bilis mox inter coquendum separata, à fellis vesicula attrahatur, melancholicus verò succus à liene, & venis splenicis: quæ causa est cur vnum non misceatur indiuiduè alteri. Hinc etiam colligimus sanguificationem non tantum initiari, & perfici in venis exilioribus hepatis; sed etiam quædam rudimenta introduci in Chymum; dum est in venis mesenterij, per influxum virtutis sanguificæ. Sanguis sic percoctus, ab excrementis liber, non est adeo sincerus, vt dictam heterogeneitatem in se non obtineat, vt scilicet velut alimentum debitum, ad partes diuersas alendas sufficere valeat, vt ampliùs posthac explanabimus.

Quinto aliud profert argumentum V.
: *Si Iecur vtramque bilem, &* §. 24.
pituitam, vnà cum cruore generet, cur magnam illarum partem pro excremento despicit & deponit? reliquam verò in cruore reseruet? cum alioqui simplicis & homogenei cruoris, vel nulla

nulla deberet esse partium singularium dualitas, vel non minùs pituitæ & cruoris, quàm vtriusque bilis, eadem esset necessaria dualitas. Nec ratio alioqui patitur, quod idem singularis ciborum cremor, quotidie, atque semper æqualiterque in sex partes secetur: cruorem nempe, vtramque bilem in sanguine retentam, & vtramque iterum excrementitiam, & sua in hospitia reclusam, ac tandem pituitam: præsertim vbi fel, totâ proprietate differt à liquore, sanguini extrauenato supernatante. Quibus sex humoribus, si lotium addideris: iam ordinariò constituentur ex vnico cremore septem humores, peritque suppositum quaternarij elementalis commentum, figmentique necessitas.

Respondeo chylum seu cremorem heterogeneum esse, ex diuersa alimentorum facultate conflatum: quâ de causa in prima illius coctione, quasdam portiones in alimentum vtile commutabiles obtinet, nonnullas ad alendum ineptas, quas natura separat & secernit, quales sunt fæces, & incocti quidam succi albi, frigidi, ac lenti, vel ex praua ciborum natura orti, vel ex ventriculi debilitate, vnde præter naturæ legem exoriuntur. Generatur quoque in prima coctione alterum excrementum aquosum & tenuius, ex potulenta & aquosa materia, quod minimè statim excernitur, sed cum Chylo mixtum remanet, vt dilutiorem Chylum reddat, & magis per venas mesenterij permeabilem. Vbi materia illa ad hepar deuecta quæ vniformis primo intuitu apparet, heterogeneis verò & multiplicibus partibus reipsa constat; Iecoris facultate conuertitur in cruorem sub se varios succos complectentem, qui deinceps suis excrementis depuratur, flauo scilicet & nigro succo, atque exundante seri portione.

Verùm anne hinc sequitur fieri septem humores ab he ate? minimè, vnus quidem humor actu sub vnica sanguinis na uralis forma continetur: potentiâ verò quadruplex. Alij excrementitij actu separantur, vt ad nutritionem superuacanei; adeo vt in massa sanguinea vniformi difformiter, quatuor substantiæ simul vnitæ ad nutrienda corporis membra comperiantur: reliquæ verò portion.s excrementitiæ separentur.

Ad id quod dicitur, *non minùs pituitæ & cruoris, quàm vtriusque bilis, eadem esset necessaria dualitas.* Respondeo non fuisse necessarium vt pituitosa seu crudior sanguinis pars, à massa sanguinea naturaliter constituta separaretur, quemadmodum bilis vtraque excrementitia; quia crassior ipsius portio fuit in ventriculo & intestinis separata, altera liquidior cum sero relegata: & proinde quæ in sanguine remanet, tota alimentariam vicem gerit, nec altero à sanguine hospitio indiget.

Hinc concluditur quaternarium humorum numerum assignatū esse necessarium, nempe sanguinis, bilis flauæ, & atræ, atque pituitæ. Siue vt asserit Hippoc. dulcis, acidi, amari, & insipidi: quæ quatuor humoribus præcipuis naturaliter se habentibus respondent.

Sextò rursus argumentatur contra thesim de pituita: *Si quatuor humoribus ad alendum opus esset, cur potius bilem vtramque sequestrat in suas techas, & primaria constitutionis domicilia, quàm pituitam? quam videlicet non erubescunt fateri liquorem* VI. §.25.

rem defectuosum, frigidum, adeoque mortis, erroris, & indigentiæ vitalis participem? atqui volunt pituitam in venis recondi, ac recoqui in cruorem. Ergo nondum est hoc aliquid, crudum, indigestum, & incoctum adhuc, nondum humor verus, singularis, nondumque constitutiuus cruoris: cum sit adhuc deficiens, non secus atque omphacium, vinum dici nequit.

Respondeo duplicem distinguẽdo pituitam; vna naturalis & alimentaria, quæ quia minorem coctionem habuit quàm sanguis, alimentum ex dimidio coctum vocatur ex Galeno: & ideo per vlteriorem coctionem vertitur in sanguinẽ, ex Gal. eodẽ atque ita cruditas quam hic humor habere dicitur, saltem respectu secundæ concoctionis, quæ in venis agitur, accipienda est: non autem in ea quæ prima est, quæque in ventriculo perficitur; cùm si hac destitueretur, ne succus quidem omninò esset, vt Galen. docet cit. loco de fac. natur. altera pituita est excrementitia ad alendum inutilis. Non quæuis species pituitæ per vlteriorem elaborationem potest verti in sãguinem, sed solum naturalis, & dulcis, & ea quæ modicè calida est, vt ait Galen. reliquæ verò species ad naturam sanguinis nullo modo peruenire possunt, nec nutrire queunt: quare eas vacuandas præcipit lib. cit. de constit. art. qualis est pituita salsa, vitrea, mucilaginosa, acida. Natura nullum instrumentũ condidit quod pituitam ex purget: nam pituita naturalis seu sanguis pituitosus, de quo modo dictum, non vacuari, sed in corpore manens alterari desiderat. Reliquæ verò pituitæ species omnes, cum sint planè inutiles & excrementitiæ, nullum peculiare receptaculum, per quod euacuentur obtinent, sed per communes vias, aliis excrementis destinatas euacuantur, vt alij humores non naturales. Quãuis enim illud quod à cerebro destillat, fortasse nec pituitam quis rectè appellet, sed sicut & nominari solet, mucum & grauedinem, refert Galen. loco cit. 2. de facult. natur.

1. de fac. natur. c. vltimo. 1. acuto. 30. & 44

Lib. de constit. artu. c. 19

Alibilis pituitæ in venis contentæ portio illabitur in articulorũ & iuncturarum acetabula & cauitates, vt partes ipsas madefaciendo ad motum habiliores reddat, exsiccationem ligamentorum, & ossium confricationem prohibeat. Excrementitia verò pituita, quoniam sæpe in nobis redundare solet, non vnicum à natura locum, vbi stabuletur accepit, sed in singulis gignitur & continetur partibus, ex vitiata tertia concoctione ob refrigerationem membrorum, aut ex pituitosioris alimenti residuo, vel etiam vaporibus qui ad ea deferuntur, vnde propter istas omnes causas cerebrum copiosiùs cœteris omnibus hâc pituitâ scatere solet, indeque ad subiectas partes demandari. Quare ab Hippocr. lib. de principiis: μετρόπολις τοῦ ψυχροῦ καὶ τοῦ γλοιώδεος, ὁ ἐγκέφαλος ἐστιν: cerebrum est metropolis frigidi, & glutinosi seu pituitosi humoris. Postea ventriculus quando cruditates patitur: tum ipsa intestina, ob reliquias primæ coctionis.

Ex ista distinctione patet solutio prædicti argumenti; cur scilicet pituitam alibilem non sequestret: ratio in promptu est; quia per diuturnas inedias & famem existimarit Galenus corpus illâ nutriri posse, & in verum sanguinem conuerti.

Ad instantiam: *Si hic humor esset*

crudus,& indigestus adhuc,ergo nondum humor verus,singularis,nondumque constitutiuus cruoris. Dico portionem sanguinis minus coctam dici, pituitosum sanguinem, & proinde constitutiuam cruoris,ad nutriẽdas partes quasdam idoneam, plus minùs, vt partium natura exigit. Hæc autem vt plurimum iustam proportionem obseruat: quando autem succrescit ex alimentis frigidioribus humidioribusque, vel nimiâ quantitate assumptis, quæ coctionem subire nequeunt, hyemis potissimum tempore,ætate senili,& otiosâ vitâ :tunc illa pituita in corpore redundat,& cœteris prædominatur; eius portio maior conuertitur in sanguinem,& fit pars constitutiua cruoris, residuum verò quod in sanguinem conuerti nequit,tempore necessitatis intra venas reseruatur, vt per vlteriorem coctionem ab hepate attractum in sanguinem perfectiorem commutetur. Et sicut natura agens in sanguinem, vt conuertat in humorem, ex quo debet fieri nutritio, non conuertit totum eum sanguinem,licet totus esset dispositus vt conuerteretur: ita de pituita censendum est. Hinc patet quomodo pituita quartus sit humor.

§. cit. Vrget: *Ludicrum sanè id continet, quod humor, à sui destinatione deficiens, in alium ordinariò mutaretur: etenim si aquæ pituita respondeat, prout & cruorem aëri assimilant:tam perfectus in se vnus esse deberet,quàm alter. Quasi aquæ non esset sua perfectio,destinatio, ordo & constitutio: sed in aërem naturaliter à scopo creatori proposito ferretur. Atqui alibi,in suis physicis ostendit, arte ant naturâ, nunquam aquam in aërem, nec vicissim hunc in aquam mutari posse. Si ergo pituita aquam referat, quia continet & cruor aërem. Nunquam poterit subsistere pituita illius in cruorem adoptio. Ac per cõsequens fictum est quidquid de humorum atque elementorum vnione, similitudine, commistione,complexione,atque necessitate est edoctum hactenus.*

Ad hæc Respondemus, non esse contra sensum reluctandum,aquam in vaporem sublimari,& ex his nubes efformari, mox in aquã resolui. Regio namque aëris inferior collo, & superiori parti alembici similis est,per eam enim vapores scandentes; à solis & syderum virtute, non solum vires elementorum multiplicando, sed etiam vi quadam magneticâ hum..rem plus, aut minùs attrahendo ac retinendo, ad cacumen delati,à frigore condensantur, mox in aquam resoluti pondere suo relabuntur. Sic natura per sedulas distillationes aquam sublimando,& cohobando eam rectificat & exuberat. In huiusmodi operationibus terra est cucurbita,& vas recipiens. Nec proinde sequitur totam aquam in aërem; vel vniuersum aërem in aquam mutari contra destinatum naturæ ordinem: sed quod pars vnius per substãtiæ familiaritatem, & qualitates symbolas, in aliud transeat, non est inconueniens. Idẽ dicimus de pituita,& sanguine:non loquendo de omnimoda conuersione vnius in alterum; sed iuxta substantiæ & qualitatum amicarum conuenientiam, hanc fieri partialem commutationem intelligimus.

Rursus insurgit: *Si nondum pituita sit matura, temporisque celeritate præcoci, sit tantum in via ad cruorem: ideoque in venis relicta, mistaque cruori, vt perficiatur, ac tandem alat: iam non solum hepar* §. 25.

erit

erit cruoris officina; *sed canalis quilibet venarum, visceris naturam: quia proprietates atque officia continet, hepati praeferetur in sanguificando, & cruoris perfectione.*

Dicimus famis tempore attrahi à Iecore pituitam illam dulcem, quę conuersioni sanguinis apta, intra venas conditur & reseruatur: eaque fit sanguificatio in Iecore & venis, vel corporali contactu, aut saltem virtuali, quem admittit Helmōtius: *Dum asserit, vltimam cruori perfectionem sanguificationis inspirari à fermento Iecorario, extra se nempe, in venam cauam.* Quare si in venis fiat illud sanguificationis munus, non est proinde, primò & per se illis concedendum, sed potius virtuti hepatis.

tract. de sextupl. digest. §.43.

Pergit idem probare: *Imò nec pituita, essentialiter esset separatus humor à cruore: non aliàs quàm vua acerba non differt essentialiter à matura. Eodem ergo titulo totus chylus stomachi, erit pituita. Finaliter si pituita non nisi sola differat maturitate, à cruore non est essentialiter distinctus humor: ac per cōsequens quaternarius in ternarium migrat.*

§.26. §.27.

Respondeo negando ita differre, quin imò specie differt pituita nōdum in sanguinem conuersa, ab ipso cruore: nam pituita non est sanguis, licet aliquādo sit futura. Deinde quæ potentia sunt talia, actu esse non dicuntur. Specie vero eadem sunt, quæ actu eadem existunt, vt calor exiguus, & calor maior: quam solutionem persequitur Parens colendiss. posito ergo falso fundamēto distinctionis, absurda est consequentia; quod totus chylus esset pituita: ineptè quoque infertur pituitam non esse distinctum humorem: ac per consequens quaternarium in ternarium migrare.

Lib. 2. physiol. c. 6.

Non minùs absurdum est quod profert de natura pituitæ alibilis, & naturalis: *Quæ cum sit senio defectui, & imperfectioni tributa, morti quoque idcirco propinquior quàm bilis, hinc etiam naturæ magis inimica: visus esset rerum opifex seuerior, qui eiusmodi hostem per omnes venas, cruori adæquatè permistum reliquisset, nec illi receptaculum dicasset. Is inquam qui mortem non fecit, defectus necessitates ab origine copulasset naturæ humanæ.* Quod verum esset de pituita excrementitia; non verò de alibili & naturali, vt antea demonstratum est. §.27. citato.

Adiungit: *Fit in dies duplò plus pituitæ, teste Galeno (quod probat per tertianam febrem) quàm bilis. Quātum ergo pituitæ non fiet in sanis, ac perfectè digerentibus? quantumque pituitæ quotidie non generabitur in frigidioribus.* Si humores fiant iuxta complexionum dispositiones. §.28.

Respondeo aliud censendum de sanorum dispositione, aliud verò de morbosa; vnde patet disparem esse transitum morbidæ dispositionis, in qua gignitur pituita excrementitia, respectu ad statum sanitatis in quo natura per hæmatosim intēdit corporis commodum, quantum potest, & pro ratione obiecti alimenti, eum potissimum humorem producit, qui ad nutriendum maximè faciat. Itaque maiorem sanguinis verè dicti quantitatem efficere debuit, quo & reliqui humores rumperentur, & tota illa massa ad alendum, præbendumque spirituum generationi cōuenientem materiam sit accommodata. Post sanguinem verissimile est pituitam prædominari, vt pote quæ insipida existit, & ad sanguinis naturam proximè accedens, pluresque

habet in corpore partes consimilis temperamenti, quibus nutriendis est necessaria. In temperamento verò pituitoso, quamuis sanguis mole suâ perpetuò exsuperet omnes succos in venis, non tamen æqualiter in omnibus, alioquin omnia temperamenta sanguinea ex prædominio vocarentur: ac proinde in quibus pituitosus succus maiori inest copiâ, quàm in temperata constitutione, in illis eiusmodi excessus totius massæ temperiem immutat, quę proinde nomen ab ea parte retinet, quæ viribus non copiâ aut quantitate præstet. Hinc patet quod exin non sequatur semper necessariò, ac naturaliter, omnem digestionem esse defectuosam & vitiosam: neque à proposito fine naturam defraudari, si naturaliter pituita, vt quartus humor cruoris generetur.

§. 29. Ex his falsò infertur in temperatis debere deficere pituitam cum vtraque bile; licet enim maior sit sanguinis laudabilis portio, quàm alterius humoris: attamen perpetuò sanguis in sua heterogeneïtate est vniformiter difformis, & quatuor constat humoribus, eo scilicet modo quo sæpiùs inculcauimus: & cur sobriè viuens, in temperata cōplexione, quotidie vtramque bilem, in sua reponet receptacula? certè constat, non tantâ quantitate tunc illa excrementa redundare, sed plus, vel minùs ex alimentis generari concedimus.

VII. Septimo vt ostendat Helmontius neque pituitam; aut bilem in numero humorum adscribi debere, ostendit in podagra & torminibus, aliisque pluribus morbis; quod pituitæ, aut bili assignatur, alteri humori multùm ab hisce distincto concedendum, tanquam genuinæ illorum morborum causæ, ob differentes qualitates quas obtinet; vel quintum à scholis humorem fuisse prætermissum.

Huius sunt verba: *Sed agedum quis ille humor in podagra tam immani dolore molestus? quod ex instituto alibi probaui esse acidum, quare & iuxta scholarum instituta frigere, ideoque longè à bile, & igne diuersum: attamen in podagra quam vocant calidam (quo nempe est acidior, eò quoque atrocior) conqueruntur acutissimi doloris, & caloris. Ergo vel bilis erit acida, nec amplius amara: vel quinti humoris oblitæ sunt scholæ. Idem esto ac par iudicium, in colica, & torminibus. In Erysipelate quoque acidus est humor: quippe qui saponariis mitescit remediis. Itaque non est bilis amarumve fel.* §. 30.

Respondeo hinc non esse inferendum pituitam, aut bilem ab humorum catalogo expungēdam, quia varij insurgunt morbi, qui neque à bile aut pituita per se & immediatè producuntur. Nam ex accidenti, & ex vario causarum concursu, ac miscella; & ex variorum symptomatum comitatu, fieri potest, vt neque pituita, vel bilis sit causa proxima podagræ, vel colicæ, aut erysipelatis: sed serositas, aut ichor ex diuersis humoribus colliquatu, vario sapore donatus, vel acido, vel salso dictas partes torqueat, qui proinde nouum humorem non constituit, sed prioris humoris alteram differentiam. Hinc dicitur alia pituita acida, alia salsa: acida non semper frigida, eo scilicet tempore, quo doloris acerbitate, sanguinis, & bilis ichores circa partem affectam attracti, inflammationem ingenerant: sed id ex degeneratione humoris in aliam sortem, vel ex permixtione alterius,

alterius, vel ex nouo symptomate adiuncto euenit. Nonne Helmontius concedit laticem seu latentem humorem, pituitam mucosam, serositatem salsam, variasque ichorosas humiditates, quę non proinde à scholis renuuntur, sed ad excrementitios humores reuocantur, qui tamen ex quatuor constitutis proueniunt.

§.32. Cùm ergo inquit, *in causticis escharoticisque (puta in pruno, igne Persico, &c.) est sal causticus, de sorte alcalium: non autem amarus, prout nec in cancro, lupo, phagadenecis cunctis, ac summè dolentibus. Sal enim qui rodit, nullatenus amarus est.*

Fatemur nos sales ex alimentis deriuatos, cum serositatibus immisceri; fit enim à sero aquoso salium dissolutio, à quo illi effectus corrosiui, & corruptiui in dictis morbis emergunt. Illæ verò serositates salsæ, non sunt solius humoris biliosi clientes, sed pituitosi salsi, vel melancholici excrementitij ichores, variis saporibus donati.

VIII. §.33. Octauo argumentatur: *Si è fructibus arbor, ex operibus autem atque proprietatibus, res quæque æstimanda sit, monente verbo veritatis; non video, quo vsu, fine, necessitate, aut temeritate finxerint bilem flauam, igneam. Non enim necesse fuit fabulæ instar, tres fingere humores quotidianos, ac domesticos nostri constitutiuos, id est, sine quibus non viuatur. Qui nunquam in rei natura fuerunt, aut nullam necessitatem suggerunt.*

Respondeo flauam bilem esse igneam, non loquendo de alimentaria, quæ sanguini immixta, ab eius temperamento moderatur: sed de excrementitia à massa sanguinis separata, de cuius proprietatibus sermonem habuimus in responsione ad quartum. Quantum verò ad bilem alimentariam: licet Aristotel. sese sanguine nutriri animal posse asseruerit; cœteros verò humores esse sanguinis excrementa. Medici verò cum Hippocrate & Gal. quatuor humores simul fieri ab hepate existimant, qui distribuantur per venas ad singularum partium nutritionem: ex omnibus commixtis, & iustâ proportione temperatis, constare massam sanguinis, quâ non aliter continentur quàm elementa in mixto, aut vinum & aqua in cramate: datis enim medicamentis quę pituitam aut alterutram bilem definitè trahant, vnumquemque de venis secerni: quod obiicitur amaram bilem nutrire non posse, quia solis dulcibus nutrimur: soluitur hoc modo: bilem quidem per se, hoc est secretam à sanguine, non nutrire, sed permixtam sanguini. *Lib. 2. de part. animal. c. 3.*

Fernelius videtur fauere Aristoteli: contendit enim venis contineri solum sanguinem, qui tamẽ partes habeat dissimiles: constat enim portione quadam tenui, & calidâ, quæ biliosus sanguis dici debet, nõ bilis. Altera crassa, & frigida, quæ sanguis melãcholicus, veriùs quàm humor melancholicus debet appellari. Parte quoque magis aqueâ & crudâ, quæ sit sanguis pituitosus non pituita: maximâ verò ex parte temperatâ dulci mediocris consistentiæ, quæ simpliciter & sine adiuncto sanguis nominetur. Neque enim cerebrum pituitâ, sed pituitoso sanguine nutritur, neque pulmo bile sed sanguine bilioso. Non esse mirum si dato medicamento, humor pecans vacuetur, quandoquidem per morbum sanguis biliosus in bilem vertitur, pituitosus in pituitam, sed in venis sanorum, hu- *Lib. 6. Physiolog. cap. 8.*

iuſmodi humores non ineſſe, hoc ſigno demonſtrat. Quod datum ſanis catharticum corpus liquefaciat, propterea quod non ſubeſt in venis quod trahat: Inciſâ venâ, qui pelui excipitur ſanguis, non quatuor humores refert, quàm vnius ſanguinis partes diſſimiles: nā portio craſſa & nigra quę ſubſidet, non eſt humor, ſed ſanguis melancholicus; leuis, tenuis, ſpumans, quæ natat non eſt bilis, ſed ſanguis biliosus; niſi vſque adeo à natura ſua receſſerit, vt bilioſus ſanguis in bilem, melancholicus in humorem melancholicum, ſit conuerſus: differre verò bilem, pituitam, & melancholicum humorem, à ſanguine bilioſo, pituitoſo, melancholico, vel hoc indicio cognoſcimus, quod ſanguis quicunque ſit, vbi primum è ſuis venis excidit, concreſcit, humor nunquam. Hęc igitur ferè ſunt quæ pro Ariſtotele afferri poſſunt.

Lib. 6. de ſanit. tuen. cap. 13. *Com. 4. in lib. de aliment. text. 4.* Galenus verò nuſquam ſuccis excrementitiis humani corporis particulas ali profeſſus eſt: ſed aliquas puriore ſanguine, aliàs melancholicâ, aut pituitoſa eiuſdem portione magis gaudere dixit. Omnes autem noſtri corporis partes ſanguine nutriri vti à Galeno, ita idipſum à Medicis penè omnibus comprobatur.

At Hippocrates cœterorum humorum tantam eſſe neceſſitatem ad vitam exiſtimat, vt quolibet eorum ſublato, animal omne è viuis tollatur, non minùs quàm ſi ſanguine priuaretur. Quod ergo dicitur ſolum ſanguinem nutrire, non negat, ſed quatuor humoribus commiſtū. Hippocratis ſententiam hoc valdè roborat: quod humoris cuiuſque ſuum ſit, & naturale excrementum, cuiuſque ſuum ſerum. (Seu tenuior cuiuſque humoris portio.) Qui ſerum bilioſum cum pituitoſo, aut ſanguineo confuderit, illum neceſſe eſt morborum veras cauſas & accommodata remedia ignorare. Quod ſi bilis mixta ſanguini non nutriret propter amarorem, ſanguini tamen non inutiliter miſceretur. Facit enim vt ſanguis alioqui inſipidus, bile veluti ſale conditus, à ſingulis partibus auidiùs appetatur: neque fortaſſis bilis naturalis, cuiuſmodi eſt in venis, tam èſt amara atque Fel, eius excrementum. Pituita dulcis permiſta ſanguini, Medicorum omnium conſenſu eſt alimentaria. Ideo enim pituitoſi longiſſimè omnium inediam ferunt, quod interim calor occupetur in conficienda pituita. Quid multa? vt eſſet temperatus ſanguis, ex variorum humorum miſtione conſtare debuit.

Nono argumentatur, à defectu ſeparatoris: *Quodnam aut quale viſcus ſeparabit vtramque bilem ſuperfluam, ab electo venarum cruore? Renes quidem ſeparant lotium. An ergo deerit vtrique bili ſuus ſeparator? vel ſponte excrementoſa bilis, vadet ad cloacas ſuas? etenim non eſt lotij tanta neceſſitas tam in eſſe, quam in ſeparatore, quanta vtriuſque bilis: ſi bilis vtraque ſit neceſſaria ad eſſe ſimpliciter. Siquidem aues commodè carere potuerunt lotio. Cur ergo natura fuit minùs ſollicita, vt viſcus faceret expurganda bili, quàm fuit eiiciendo lotio? ergone cyſtis fellis, & lien attrahent fortè vtramque bilem ad ſe, abſque ſeparatoris ſubſidio.* IX. §. 34.

Huiuſce argumenti ſolutio patet ex reſponſione ad quartum: tota difficultas eſt de ſeparatore. Sed non aduertit, quod inter coquendum fit ſegregatio ſuperfluorum

in

in Chylo; per ductum enim inteſtinorum gracilium fit ſecretio ſtercoris, ac craſſioris ſaburræ, necnon laticis ſeu crudi humoris. Vis enim caloris innati coquit homogenea vniendo, ac heterogenea ſegregando: ſeparatrix ergo natura non conquieſcit in prima coctione, & elaboratione chyli, vt in cruorem tranſmutet: ſed vlteriùs coquendo acidiores portiones in cruore relictas, in lienem amandat: amaras verò, bilioſas à nobis dictas, in veſiculam felleam detrudit. Præcedere namque debebat præfata cremoris tranſmutatio, vt ſubleuatum inutili onere Iecur, commodiùs incumberet ſanguificationi. Sed antequam vltrò pergamus in huiuſce difficultatis reſolutione, decet excurrere circa Chyli tranſmutationem, & cruoris coctionem: ſit ergo

---

Digreſſio de Chyli tranſmutatione, ac cruoris coctione ex Helmontij decretis.

§. 2. HElmontius tractatu de ſextuplici digeſtione alimenti humani: extra controuerſiam eſſe dicit, cibos & potus, vna, paritérque diſſolui in cremorem, planè diaphanum in cauo ſtomachi. Addit, id fieri vi fermenti primi, manifeſtè acidi à liene mutuati. Reperit namque totidem adæquatè fermẽta, quot ſunt in nobis digeſtiones. Nec minoris eſſe portenti ait, quod cremor ille ſpolietur omni prorſus hauſta aciditate fermenti, ſimul atque labitur è ſtomacho in inteſtinum duodenum. Et paulo infra mi-
§. 7. rum dictu, quod acidus cremor in duodeno, ſalis ſaporem confeſtim acquirat, ſuumque ſalem acidum in ſalem ſalſum, adeo libenter commutet. Non ſecus ferè, atque acetum acerrimum, per minium extemplo priſtinam aciditatem exuit, eamque in dulcedinem aluminoſam confeſtim mutet: idque docet fieri à fermento felleo, quod à veſicula fellis ſuppeditatur inteſtino duodeno. Ideo exiſtimat Van-Helmont fel eſſe viſcus vitale, ac eſſe membrum nobile, neque tamen recrementum inutile, proſcriptumque maſsâ cruoris, ne ſcilicet cruorem infectet: imo folliculum fellis eſſe de ſubſtantia viſceris potiùs quam ſuccum, ſiue cloacam ſordium, & ſuperfluitatum.

Helmontius ſanè, reperit in hu- §. 19.
manæ digeſtionis œconomia, duorum viſcerum, fellis & iecoris connexa corpora & fermenta, pro ſanguificatione. Fel nimirum in opere ſanguificationis præcedere, & hactenus ſtomacho atque inteſtinis propinquiùs, quam hepar. Fouetur nempe fel, in ſinu, atque gremio velut materno iecoris. Eſt enim iecoris atq; ſanguinis balſamus. Cu- §. 27.
ius officium depingit, aſſerendo fermentum fellis, eſſe perfectiuum cremoris, præſeruatiuum cruoris, & corruptiuum ſeri; quæ tria ſimul in puncto concurrunt, quo fel, acidum ſalem ſtomachi, (præterquam in ſtomacho noxium, & corruptiuum) conuertit in ſalem ſalſum.

Eſt itaque ſecunda, ſeu fellis di- §. 28.
geſtio, diſtincta à prima, & tertia, fermen

fermento,viſcere,vtero, guſtu,effe-ctu,& fine. Quam totam neſciunt ſcholæ hactenus, quia errantes in
§. 29. vſu fellis. In prima namque ſtomachus eſt receptaculum, ſplen verò fermentum de ſe inſpirat acidum in cibos, fitque inde cremor acidus. In altera verò, gracilia inteſtina, ſunt ſtomachus: fermentum verò à felle inſpiratur ad corruptionem & ſeparationem aqueæ partis: mutaturque acidum volatile in ſalſum volatile. Porro alibi inquit,
§. 48. ad finem. acidum fermentum in ſtomacho, diſſoluit cibos in ſuccum: ſed fellis fermentum acidum Chylum ſaliendo ſeparat chymum pro cruore, atque inde ſubtrahit laticem, vrinam, ſudorem, ſtercus, flauum liquidum, & partes craſſioris ſaburrę.

§. 20. Tertiæ tandem digeſtionis, venæ ipſæ meſenterij ſunt ſtomachus. Etenim cum ſanguificatio, non ſit tranſmutatio, quæ per momentaneam diſpoſitionem, poſſit introduci, ſitque hepar inſigni cauitate orbatum, paucas & exiles venas habens, adeoque totus cremor, concomitatus tanto lotij aceruo, celeri tranſitu per hepar tranſire debeat: crudus autem cremor, nequeat ſolo tranſitu tam celeri, confeſtim in cruorem mutari. Igitur pluralitas venarum meſenterij, eſt ipſius ſtomachus Iecoris, & officina præparatiua cruoris. Eiuſque perfectionem Iecur ſpirat in cruorem adhuc nudum, ſuo fermento ſanguificatiuo: per quod tanquam per mandatum, imprimis per diſpoſitiones ſucceſſiuas, exſequitur iniunctum ſibi à creatione munus.

Ibidem. Splen namque in ſtomachum, vas amplum, ſui fermentum inſpirat, neque enim ſplen cibos immediatè attingit. Sic quoque hepar ſuæ ſpiraculo vitæ ſiue fermento, in ſibi ſubſtratas venas, inſpirat actum ſanguificationis. Et prout cibus ab ore labitur in ſtomachum, ibique finem digeſtionis expectat: ſic ab inteſtinis, immediatè cremor rapitur in ſtomachum hepatis.

Sed cum ille cremor ſit multus, & magna ſui parte excrementitius, debuit vt conuenientiùs ſanguificetur, priùs ſuo excremento exonerari: quid ergo aget Iecur, vniuoca ſanguificationis actione? an enim ſegregatio excrementi, degeneratio cremoris, & cremoris ſanguificatio, vna eadémque opera fient, & abſoluentur? minimè. Cremor ſanè tranſmutatore fermento opus habuit, diſtincto à fermento ſanguificatiuo, quo ſcilicet pars ſui, minus idonea commutatur in merum excrementum, non enim actio ſanguificationis, poterit facere ex non excremento excrementum. Diſtant enim nimium ambæ ab inuicem: §. 21.
fit ergo ſeparatio excrementi ſeroſi, à cremore, in ipſis meſaraicis, & quidem ab alio longè agente fermento, & viſcere, quàm quod ſanguificationi incumbit. Eſt nempe actus quidam, qui cremoris partem condemnat in excrementum. Cruorem autem præſeruat, & intactum relinquit. Præcedit ergo ſanguificationem, productio ac ſeparatio excrementi. Adeoque vterus lotij, ante meſaraïcas incipit. Nondum tamen ibidem eſt vterus duelech, eo quod fermētum renis ſpiritum vrinæ mutat, in Iecore, & circumcirca. Fellis ergo fermento mutatur, quidquid in cremore fuit acidum, in ſalem vrinæ. Fellis autem ſtomachus eſt duodenum, & ſequens arundo inteſtini vicini; deſinitque in principiis venarum meſenterij. §. 22. §. 23. §. 24.

Paulò

§.31. Paulò post Helmontius, vsum vitalem in felle ostendit, quia hãbet vitæ alligatam necessitatem, integritatemque ob repentinam mortem: denique aues sine vesica & renibus viuunt felices, non tamen sine felle. Quare coniunctior est
§.32. necessitas fellis, quàm renũ. Quippe quod petrosis atque cariosis renibus, vita sospes sit. Deinde pisces (pro scholarum doctrina) plurimo phlegmate abundant, & calore actuali destituuntur: sanguine frigido, & aqueo duntaxat, aluntur victu: tandem illorum excrementa,
§.33. facile gliscentia, non opus calcare felle habuerunt. Quapropter cum fellis fines, materia, & efficiens per scholas attributa, in pisce deficerent, frustra sanè, felle, ac per naturæ, imo & creatoris errorem, fatigari iecur credemus, nisi malimus errores, in scholis perpetuos agnoscere, & in felle, visceris necessarij, maius aliquod momentum cõtemplari.

Hinc itaque statuit, fel esse viscus vitale, & ipsum corpus eius esse liquorem amarum, ex optimo cruorè paratũ: balsamũ Iecoris, & sanguinis cõtinentem. Quicquid autem forte sui in duodenum intestinum reiicit, excrementum sui est, & liquamen iam à felle spretum, &c. §.34.

Vera sententia circa chyli, & cruoris digestionem exponitur: & Helmontij decreta examinantur.

Multa hac in parte sunt examinãda: imprimis supponendũ est, quod insinuat Hippocrates: homini inesse, & amarum, & salsum, & dulce, & acidum, & acerbum, & insipidum, aliaque sexcenta, quæ pro copia & viribus varias habent facultates. Et hæc quidem mixtione, & mutua inter se contemperatione, neque cernuntur, neque quenquam molestia afficiunt. Quo in loco non loquitur de aliis rebus, quàm de humoribus, vt à nobis infra demonstratum est in solutione argumenti duodecimi circa finem. Verum superest vt de humorum causis & digestionibus sermonem habeamus: in prima namque coctione vẽtriculus est receptaculum, splen verò fermentum de se inspirat acidum in cibos, fitque inde cremor acidus. Hinc sanè Helmontius coniicit, coctionem ventriculi naturalem, non solùm à calore ventriculi fieri, aut ipsius idiosyncrasiâ, cùm non possit tam promptè solidiores cibos liquare, ac in chylum tenuiorem transmutare, absque alio potentiori instrumento; cum experientia doceat cibos in olla bulliẽtes per longum tempus, nunquam talem dissolutionem subire: cum tamen ossa in ventriculis canum, breui temporis spatio digerantur: cùm in ventriculis piscium nullo calore actuali præditis, cibi ingesti in chylum dissoluantur, & coquantur. Causam itaq; præcipuam huius liquationis statuit liquorem quendam acidum à liene in ventriculum transfusum, qui eximiam dissoluendi facultatem habeat, & communicãdi aciditatem huic cremori. Huius rei coniectura ex aui-

Lib. de prisca medic. circa medium.

bus elicitur, quæ duriora ſemina diſſoluunt, & lienem habent ventriculo, vndequaque circumductũ. De ſpiritu illo diſſoluente alia addit experimenta D. Riuerius profeſſor Monſpelienſis, ſi ille liquor acidus è ſplene in ventriculum delatus ſit naturalis, appetentiam excitat, vt expoſuit Galenus,& poſt eum Auicennas : idque vel conſtringendo, ac corrugando tunicam interiorem ventriculi, vel aciditate ſuâ vellicando. Licet potiùs iuxta Helmontij ſententiam, appetitus excitetur ab humore illo, ob diſſolutionem illius quod ingeſtum eſt ; ex qua penuria appetitus excitatur.Si verò vis illa diſſoluens deficiat, aut imminuatur, coctio ventriculi imminuitur, aut aboletur. Hinc aphoriſmo Hippocratis ſic habetur : *In lõgis læuitatibus inteſtinorum, ſi ructus acidus ſuperueniat, qui prius non erat, ſignum bonum.* Ita interpretãdum eſſe ; vt ſcilicet ructus acidus ſuperueniens ſignificet,fermentum illud acidum, quod à morbo fuerat deperditum, reſtitui incipere.

Lib. 9. prax. med c. 5.

5. de vſu part. c. 4. 2. de loc. affec c. 1. 1. 1. doct. 4. cap. 1. & vlt.

6. ſect.

Ex dictis conſtat quod humor acidus naturalis, melancholicus à nobis dictus, multum inſeruiat in prima chyli tranſmutatione : ſed iam videndum an in ſequenti digeſtione,quæ fit in gracilibus inteſtinis,quæ eſt primæ ſuccenturiata, ſeu perfectior chyli depuratio, interueniat totalis ſegregatio acidi,& in ſalſum commutatio à fellis fermento ad duodenũ inſpirato, quod acidum chylum ſaliendo, ſeparet chymum pro cruore, atque inde ſubtrahat lotium,vt videre eſt dum potatores à paſtu meiunt ſæpiſſimè : atque ſtercora regerat.

Ad hoc cenſeo primò acidum illud ſplenis fermentum proprias inſumpſiſſe vires in diſſolutione ciborum, ad chyli tranſmutationem, in cuius ſubſtantia dulce, acidum, ſalſum, & amarum virtualiter continetur : vnde varij humores emergunt. In cibis namque adeſt heterogeneitas, propter ciborum, partiumque eorumdem differentiam. Diſſimilares verò partes cremoris, quarum non intenditur alimentalis ſibi applicatio, putreſcunt & ſeparantur à chylo:ſed non proinde homogeneïtatem adeptus eſt chylus per tranſmutationem illam ſubſtãtialem,niſi comparatione factâ cum eodem chylo adhuc cum ſuis fæcibus immixto: chylus ergo ſic tranſmutatus,& depuratus à nobis cenſetur reuerà heterogeneus ; quod ſcilicet is liquor nõ ſit ab omni ſero ſeiunctus,neque aliis craſſamentis,quæ ab eodem liquore ſeparantur in ipſo ſanguificationis actu. In chylo ergo adſunt partes adhuc, quarum vna diſcrepat ab alia, quẽadmodum in lacte.

Quæres num illa ſegregatio excrementorum quæ fit in inteſtinis, ſupponat nouam chyli digeſtioné, quam admittit Helmontius : & cõſequenter acceſſum fermenti fellei immutantis acidum in ſalſum. Ad hoc Reſpondeo in inteſtino duodeno nullam fieri nouam coctionem, ſed eiuſdem chyli iam confecti purificationem, quæ fit vi caloris innati ſegregantis inutilia excrementa,non per mutationem acidi in ſalſum,factam à fermento felleo : quia remanet liquor acidus,& ſalſus ſimul cum cremore ſeu chylo ; ſeparatis tamen fæcibus,& ſuccis crudis naturæ prouidentiâ, per facultates ſecretrices naturales homini inditas, ab initio ſuæ creationis. Vſus autem fellei excrementi

non

non est alius, quàm vt irritamenti, aut calcaris vicem gerat. Si enim ob aliquod impedimentum aliò suum cursum flectat, haud dubio aluus in excretione fit pigra, & fæces colore bilis fuluo non tinguntur, vt contingit in obstructione meatus cholidoci in intestinis implantati, ex vesicula fellea procedentis.

Dices acidum esse venis hostilem, has verò nil hostile ad se trahere; vnde sequitur antequam chylus trahatur à venis mesenterij, tolerasse manum ferměti fellei, in suo intestinorum stomacho.

§.41. *tract. sextupl. dig.*

Respondeo iuxta doctrinā summi Hippocratis loco cit. de prisca med. acidum, & salsum inesse homini:& hæc quadam mixtione, & mutuâ contemperatione neminem molestiâ afficere. Decebat chylum ita esse heterogeneum, vt scilicet per vlteriorem coctionem in venis mesenterij, suppeditaret materiam humorum vtilium diuersorum; nempe acidum illum humorem spleni vtilem foueret, & augeret: humorem quoque felleum, quem vitalem prædicat Helmontius, perennaret, aquosum item humorem intra venas maiores circumferret; vt cùm chymus à fermento sanguificationis, ab hepate influxo, consistentiam firmam cruoris acquisiuerit, in suos riuos faciliùs deriuaret.

§.29. Obiicit rursus Helmontius tractat. cit. vt probet fermentum à felle inspirari ad corruptionem & separationem aquæ partis, & ad mutationem acidi volatilis in salsum volatile. Hoc fieri ostendit exemplo olei vitrioli, quod solo attactu Mercurij, conuertitur in merum alumen, acetum, & salem. Verùm dispar est ratio chyli acidi, & partim salsi ob permistionem cuiusdam salsæ serositatis ex alimentis ingestis profectæ. Desuper non ita est ratiocinandum de succis vegetalibus, atque de mineralibus, secundum sententiam authoris anonymi cosmopolitæ tractatu de sulphure, & in nouo lumine chymico: vbi docet vim mineralem, in familiam vegetalium non transire; quod cùm ita sit, dispar scilicet ratio, & natura mineralium ac vegetabiliū, & animalium: spiritus alimentorum vegetabiles, non tantum habent ad separanda heterogenea actiuitatem, quantam minerales: qui adiuti calore igneo magis corruptiuo vehementiore operantur dissolutiones: quàm supradicti, qui à calore natiuo directi, ad nutritionis scopum, quod naturæ necessitati conuenit, retinent ad corporis nutritionem, potius quàm ad illius destructionem: vnde ex illa dispari agendi ratione malè colligitur eadem operandi necessitas intra corpus humanum: ac rerum vitâ carentium in vasculis artificialibus, per longè discrepantes causas.

Quoad chyli digestionem spectat, notandum est non attrahi immediatè à mesaraïcis, sed priùs in venis lacteis stabulari, vt experientiâ compertum est, de quarum vsu, & constructione, ac propagatione, notabilis orta est difficultas, hisce temporibus. Asellius obseruauit lacteas quæ ex chyli receptaculo seu promptuario in pancreate, & mesenterio constituto, ad hepar chylum deducunt per ductum venæ portæ accumbentem. Highmorus cap. 7. part. 2. lib. 1. disquisit. anatomic. plures se perlustrasse surculos lactearum, qui à pancreate ad hepar per portæ latera excurrunt.

Sed nobis adhuc non innotuit talis ductus: alij verò recentiores anatomici & Chyrurgi Massilienses experissimi Mag. Lambertus, & Chaisneau, iuxta obseruationem Dom. Pequet Med.Doct.à D. Martelo anatomico Monspeliensi regio, recenter promulgatam: factâ canis adhuc viuentis, ante quatuor horas offâ refecti dissectione, me presente ostenderunt venas lacteas chylo refertas habere aliud promptuarium prope dorsi vertebras, vnde duo alij canales exiliores emergunt, vtrinque positi super arteriam ascendentem propè œsophagum, qui surgunt vsque ad venam subclauiam, indeque ad venam cauam ascendentem, chylum regurgitant, cùm scilicet manibus compressi tales ductus talem cremorē ad dictū vas eructāt. Quo inspecto, multi sibi persuaserunt, chylum per dictas venas ad cor potiùs ferri, vt in sāguinem mutaretur, quàm ad hepar, ad quod nullus venarum lactearum patet ingressus.

Nos verò dicimus & asseueramus ex cōnexione venarum lactearum cum meseraïcis, & commixtione chyli in vtrisque facta, si animal aliquot horis, post mortem inspiciatur: & ex separatione excrementitiorum succorum, in propria conceptacula propè hepar collocata, prædictam chyli maiorem partem attrahi à mesaraïcis, proculdubio cum lacteis venis coniunctis, vt in sanguinem à virtute hepatis transmutetur. Reliquum verò si quâ facultate valeat ad sanguinem in superioribus venis contentum fermētandum, quia chylus acidus est, possit vsui esse cordis ventriculo dextro, ad spiritus vitalis, & sanguinis arteriosi elaborationem adiuuandam. Exilitas namque illarum venarum lactearum thorachicarum, commōstrat perexiguam chyli partem illuc conscendere. Cuius affectionis veritatem aliàs ponderauimus cum doctissimo & expertissimo Dom. Fresquiere Medico Clarissimo, collega nostro, qui sanè nullum alium vsum venarum lactearū thorachicarum, quàm prædictum agnoscebat.

Coniectura verò quæ ducitur in contrarium ex violenta manus contrectatione impellēre omnem chylum ad venas superiores, non conuincit id spontè à natura sic fieri, quia aliæ sunt operationes animalis viui, quàm mortui: aliæ sunt vires naturæ rectè operantis, aliæ verò quæ sequuntur violentum eiusdem succi impulsum ad partes superiores.

Obiicies rursùs à motu arteriæ ascendentis, venas illas lacteas propè illam sitas, adiuuari ad impulsum chyli ad venas superiores. Resp. talem impulsum adiutum à motu arteriæ proximæ non posse sufficere, ad omnem chyli substantiam, ad venam cauam transuehendam, sed solùm perexiguam portionem, ad finem propositum consequendum. Redeamus ad fellis fermentum, & visceris nobilitatem ab Van-helmontio excogitatam, in citato tractatu, dicente: fellis vulnera confestim esse mortalia. *Si ergo fel saltem bilis esset, mors sequeretur quamlibet fellis effusionem de necessitate. Attamen icterus non est mortalis, licet fel (vt eædem scholæ docent) nedum super intestina: sed per totum corpus æqualiter, longè, latè, profundè, ac per minima sit diffusum. Ergo vel vulnus fellis plus importat, quàm bilis effusionem: vel icterus non est bilis effusa.*

§.30. *sextuplic. digest.*

effusa. Vel vtrumque est necessarium. Vulnera vesicæ curantur, tametsi vrina cum suo felle, non possit non esse effusa: Ergo cystis fellis habet vitæ alligatam necessitatem, integritatémque, ob repentinam mortem.

Respondeo fallaciam esse consequentis: nam antecedens supponitur falsum, quod scilicet vesicæ felleæ vulnera sint confestim mortalia. Etenim illa mortalitas non pendet ex bilis effusione, sed quia vesicula fellis vulnerari non potest, quin iecur priùs attingatur. Iecoris vulnera si eò deducta sint, vt sanguis effluat, nunquam curantur, nisi valdè superficiale sit vulnus, & mox sistatur sanguinis effluuium. Sanguis enim qui effunditur, iuxta mentem D. Iacobi Fontani parentis colendiss. corrumpit partes interiores, ipsumque etiam Iecur: vnde & mors contingit. Vulnera quoque maiorum venarum, & arteriarum sunt lethalia, propter similem causam. Quæ cum possint simul accidere in vulnere vesicæ felleæ; hinc illa non primò & per se lethaliter vulneratur, sed per aliud. Sic bilis effusio non semper est lethalis, sed tunc tantum, cùm Iecoris temperiem, & tonum immutat, vt causetur inde affectus perniciosos & lethiferos.

Comm. Aph. 18. sec. 6. titulo de prognos. pertinent. ad morbos externos.

Quantum ad vesicæ vulnera, si corpus eius transfigatur, omninò lethale vulnus existet, quod vesica sit exsanguis, nec coalescere possit. Quod si aliquando illius vulnus sanatum fuisse dicatur: non proinde hic rarus casus priori sententiæ aduersatur, quoniam rara non sunt artis, & pro non factis habentur.

Non debet ergo Helmontius ob malè fundatam eam alligationem vitæ fellis, denegare in ictero effusionem bilis ad cutem, quæ verè illius humoris calore citrino perfunditur: neque pari iure improbare debebat bilis permixtionem cum vrina, vt conuincit color flauus; rufus, citrinus qui per portionem bilis illic cum sero confluentis, vrinam tali colore frequenter imbuit.

Obiicit rursus fellis potiorem esse vsum quàm renum, *& consequenter visceris necessarij maius aliquod emolumentum, quàm quod vulgò creditur, exspectari: ex eo demonstrat quod aues, sine vesica & renibus viuant felices, non tamen sine felle. Quare coniunctior est necessitas fellis, quam renum.* Respondeo in auibus non fuisse opus renibus, quia materia serosa & nitrosa, quæ in vrinam facescere debebat, transit ad superficiem, vt in plumas conuertatur. §. 32.

Deinde pisces, ait, plurimo phlegmate abūdare, & calore actuali destitui, nō opus calore, & felle habuisse: frustra sanè felle fatigari Iecur credemus, nisi in felle maius aliquod momentum contemplari liceret.

Respondeo imò maiori irritamento felleo pisces eguisse, quod sanè ab illo humore igneo & præcalido facilè suscipiunt.

Postremò vt rei veritatem profundiùs reconditam, quam magno labore quærimus, aperiamus, ex ipsis Helmontij dictis; cùm statuat fel esse viscus vitale, & ipsum corpus eius esse liquorem amarum, ex optimo cruore paratum: balsamum iecoris, & sanguinis continentem: inde sequitur fuisse decisum fel ex ipso sanguine, vnde illius portio separata cum sit valde distans à natura sanguinis, significat sanguinis heterogeneitatem, à quo talis hu- *Subtile.*

mor amarore insignis fuit segregatus,& in vesiculam amandatus:cur ergo bilem destruit, tam clarè hoc solo argumento demonstratam.

Dices iecur ex non excremento non posse conficere excrementum: atqui fel generatur ex laudabili & optimo cruore. Ergo non potest censeri excrementum. Respondeo cùm fellis liquor sit amarus, & à massa sanguinis alimentarij seiunctus:haud dubio erit hoc loquendi more,excrementitius, id est segregatus à sanguine, & ad alendum ineptus.Reprehendendus ergo meritò Helmontius, qui finxerat nouum fellis vsum, & sanguinis homogeneitatem tam certò prædicauerat, vt ex dictis & stabilitis contrarium sentire teneamur: & antiquorum dogmata, quæ funditùs euertere fuerat conatus, resarcire, & promulgare asseueranter cogamur. In cuius rei confirmationem consulamus Aristotelem naturę genium, qui clarè decidit, quam ob causam animalium alia fel habeat, alia non: & loquendo de bile, inquit, sed enim bilis quæ qualibet aliâ corporis parte gignitur, excrementum quoddam liquamentumque est, sic fel iecori adiunctum non rei cuiquam delegatum, sed excrementum esse videtur, quomodo & alui intestinorumque sedimen.

Lib. 4. de partib. animal. cap. 2.

Quod si ruptio vesicæ fellis mortis sit causa, vt refert Skenchius accidisse: id non arguebat illius partis vitale principium, sed bilis copiam luxuriantem, nec non diuturnum bilis vomitum causantem, vnde non tantum ruptio folliculi illius emersit; sed causæ alterius præcipuæ mortem afferentis concursus, propter hepatis, & totius corporis insigne vitium:vel ab inanitione Cystidos, cùm omnem bilem foras eructat, aut biliosas vomitiones. aut choleram morbum, aut diarrhœam, & similia symptomata mortalia excitat:vt nos docuit Fernelius.

Lib. 3. obser. 68.

Lib. 6. patho. c. 5.

Superest adhuc vnicum dubium, de separatione excrementi acidi & melancholici enodandum; an fiat ante sanguinis perfectionem. An scilicet succum melancholicum in hepate genitum lien attrahat: an verò ex venarum mesaraicarũ trunco, antequam Chylus ad hepar feratur, ingenitâ facultate, per portæ ramum splenicum, à liene alliciatur, vt sanguinem sui generis conficiat: lien namq; quasi iecur adulteratum esse videtur,teste Aristotele:quam partem insequitur Sennertus. Sed iure doctissimus Laurentius hanc sententiã conuellit:quomodo enim potuisset natura duo ita vasta;& toti corpori famulantia viscera in medio subtus cor disponere? quomodo rursus non superuacanea fuisset, si plura sanguinis conficiendi instrumenta condidisset,cui vnum sufficere poterat, & debebat?

Lib. 3. de partib. anim. c. 7.

Lib. 1 instit. cap. 9.

Lib. 6. anato. quæst. 26.

Volumus ergo cum Galeno, lienem ad fæculenti sanguinis expurgationem constructum: propterea hunc ex aduerso hepatis locauit natura, vt crassâ & lutulentâ succorum illuuie haustâ, purior reddatur sanguis. Hunc autem melancholicum succum mirâ prouidentia,aut familiaritate nobis incognita allicit lien,non purum & impermistum,vt vesicula bilem,sed multo benigno succo, & laudabili sanguine perfusum:quia quæ per amplum orificium succum trahunt, eum nunquam sincerum, sed alio humore

1. De sanit. tuend lib. de format. fort. 2. de natur. facult.

humore adulteratum trahunt. Haustum hunc sanguinem, & delatum per splenicum ramum copiâ arteriarum attenuat, subigit, excoquit, sibi similem reddit, tandemque puriore eius portione alitur. Hoc indicauit Galenus, dum scripsit lienem sanguinem trahere crassiorem, quàm hepar, sed nutriri tenuiore: impuriorémque ac squalidiorem sanguinis portionem, nunc in fundum ventriculi, nunc in venas hæmorrhoidales eructare. Hæc vera est de lienis vsu Galeni, & ferè omnium Medicorum sententia, quam rationum momentis cōfirmauit D. Laurentius loco citato. Separatur ergo sanguis melācholicus per coctionem in venis hepatis celebratam, & attractionem impurioris subsequentem à liene factam: his positis, redeundum est ad solutionem noni argumenti.

§. 34. *Scholarū passiua deceptio.* Respondetur rursus ad nonum argumentum: dum ait: ergone cystis fellis, & lien attrahent fortè vtramque bilem ad se absque separatoris subsidio? separatorem esse caloris natiui actiuitatem, in secunda Chyli coctione, quæ incipit præparari in venis mesarei: in quibus quæ secundâ illâ ebullitione succreuerunt excrementa, amandantur ad propria receptacula, per suos ductus huic rei destinatos. Constās est natiuum calorem, dum suas vires circa Chymum heterogeneū exercet, in quo scilicet continetur quid acidum, amarum, aut insipidum: acidum quidem superfluum segregare, & amandare ad lienem: quod quia comprehendit fæculentū sanguinem, indiguit coctione, & vlteriori mutatione intra lienem, eo fine scilicet, vt acidum illud fermentum lienis augesceret, & perennaret. Sic quoque bilis à sanguine semouenda fuit, & sola ad folliculum releganda; quoniam si bilis actuosa relicta fuisset, cordi nocumentum aliquod attulisset. Lienem ergo fæculenti sanguinis conceptaculū esse ita demonstratur: quod obstructo liene, statim refluit ad hepar lutulentus sanguis, qui laudabilem & purum suo colore inficit; hinc totus corporis habitus melancholicus euadit, & icterus fit niger. Non secus atque obstructo canaliculo felleo, refluente bile ad hepar, flauescit totum corpus, fitque icterus flauus: quod supponitur vt principiū artis Asclepiadicæ, quicquid in contrarium emiserit Helmontius. Ex his colligitur quisnam sit separator excremētorum secundæ coctionis, & quomodo fiat separatio, & eorum repositio.

Instabis sanguificationē esse actionem vniuocam ac simplicem, non potuit sanè vnicum hepar, producere simul ex homogeneo liquore, quatuor humores, toto elemento inuicem diuersos, ac separare procul à se inuicem, duos tantum velut nocuos. Alioqui si hepar sat foret, separandis suis liquoribus, potiore iure segregasset lotium, fecissetque necessitatem renum prorsus frustraneam. Ibidem.

Respondeo iam nos ostendisse Chymum esse heterogeneum. Certissimum est in hepate vnâ cū sanguine, tria excrementa comproducta separari, vt fusè in responsione ad quartum declarauimus; vnum tenue magisque igneum, per summa innatans, bilem vocant: alterum crassius magisque terrenum, fæci respondens: tertium aqueum & serosum. At plurimum adest seri, minus bilis, minimum melancholici succi. Bilis suâ acrimoniâ magis

proritans primùm amandatur: melancholicus ſuccus lutulentus & impurus expurgatione indiget. Pauco igitur, craſſo, & difficulter mobili humori, maximum & rariſſimum organum ſuffecit; cauum autem eſſe non debuit, quia non erat ſubitò excreturum melancholicum ſuccum, ſed immutaturum. Serum autem quod cum ſanguine copiosè commiſcetur, non debebat tam ſubitò ſeparari ob ipſius neceſſitatem, donec per emulgentes in renibus percolatum in veſicam ſecederet. Proinde dicimus cum ſanguine tres eſſe alios humores, nempe bilem naturalem, melancholiam naturalem, & aqueum liquorem: ideoq; quatuor eſſe humores, quorum alibiles partes cum ſanguine remanent, poteſtate tales: excremētitiæ verò ſeparantur in venis portis, ſeu meſarei, antequam ad hepar perueniant: partim in vena caua per emulgentes, ob naturæ neceſſitatem non fruſtraneam, vt imaginatur Helmontius.

§. 34. Cit. Denique inſtat; *ſi non omnem è cruore bilem ſequeſtret, ne quidem in temperatiſſimo robore, peccabit neceſſariò ſemper natura, vel in abundantia vtriuſque bilis, in exceſſu caloris pro formanda bile, & frigoris ſimul pro pituita: itemque peccabit continuò in ſeparando.*

Reſpondeo ad inſtantiam, omnis excrementitia bilis à cruore ſeparatur, quæ actuoſas qualitates poſſidet: ſed alimentaria in ſanguine remanet, ob mixtionem, & reciprocam partium alterationem, quæ ex qualitatum contrarietate manat, in vnam coit complexionem & formam, quæ diuerſas à cœteris habet partes, poteſtate in maſſa ſanguinea contentas: proprios enim actus ob illam commiſtionem non retinet. Neque bilis vtraque, aut pituita in ipſo ſanguine alimentario actu reperitur; ſed nomine ab ipſis humoribus ſeparatis mutuato, ſanguis bilioſus, melancholicus, vel pituitoſus nuncupatur.

Hi verò humores ſanguini permiſti, tunc integrè ſecundum naturam ſunt, quando eam proportionem eius partes ſeruauerint, vt cœteris ſuperemineat temperatior ea pars, quæ ſanguis antonomaſticōs appellatur: ab hoc deinde pituita: tertio loco ponunt aliqui alimentarem melancholiam: alij verò bilioſum ſuccum. Qui humores nutritij & naturales non poſſunt actu ſeparari, nec niſi per putredinem diſſolui; tunc verò ad præternaturalem ſtatum declinant, cùm vel ab errore externo, vel ex partium intemperie, vel obſtructione vitioſam qualitatem acquirunt, & prædictam ſymmetriam amittunt.

Fallitur ergo Helmontius in ſupradicto argumento, tranſit namque ab excrementitio humore, in nutritium, eoſque inuicem valde diſcrepantes confundit: & ex eo quod actu ſegregatum eſt ratiocinatur, ac ſi ſimilis eſſet cum alio in cruore permiſto, potentiâ cum variis aliis cruoris portionibus conſiſtente. Decipitur ergo, cùm enunciat, vel non ſemper peccare naturam, quando non ſeparat omnem bilem, in temperatiſſimo robore; vel contra continuò peccare in ſeparando, cùm adeſt abundantia vtriuſque bilis: bilem ergo excrementitiam cum alimentaria confundit. *Quod ita eſſe patefacit, aſſerendo. Adeoque cum exceſſum neceſſarium, in iuſto (vt vocant) temperamento, accuſet vtraque bilis: non potuit hæc*

vnquam

§.35. *vnquam fieri apta nutritioni. Cum adhuc quotidie nutriamur iisdem, quibus constamus; sanguine videlicet temperato, viuidoque bilem vtramque respuente. Quasi verò segregatâ bile excrementitiâ, adhuc alimentaria in sanguine non reperiretur.*

X.
§.36. Decimo obiicit aduersus humores ab impertinenti: *Erit par ratio bili vtrique, quæ & pituitæ: vt si hæc perficiatur in cruorem intra venas: bilis non minus fiet cruor in arteriis. Nam si extra officinam naturalem, propriam, & requisitam, pituita in cruorem mutetur: multò magis bilis flaua apta erit, vt in corde degeneret in sanguinem flauiorem arteriæ, atque in spiritum vitæ, eritque cor officina restauratiua excrementi fellei.*

Respondeo disparem esse rationem pituitæ, quæ tempore necessitatis in sanguinem commutatur, (de qua re egimus in solutione sexti argumenti) & bilis alibilis in massa sanguinea contentæ, quæ sanguis biliosus appellatur; si naturalem temperiem obseruat, nunquam mutabitur in bilem excrementitiã, etiam si in corde aliquam alterationem subeat, in spiritus vitalis procreatione, & sanguinis arteriosi elaboratione: non enim cor patitur excrementi fellei acrimoniam & morsus. Ratio huiusce disparitatis est, quod pituita quæ tempore necessitatis intra venas, cum sit insipida, & nullâ malâ quantitate prędita, facilè attrahitur ab hepate famelico, & in sanguinem transit: verùm bilis flaua quæ intra massam sanguineam continetur tantum potentia, est, non actu; fuit iam ab omni bile excrementitia facta immunis, nec potest degenerare à suis dotibus, quin aliqua causa præter naturam concurrat, corrumpens sanguinem. Et consequenter cor non erit officina restauratiua excrementi fellei.

Vndecimo, vah quam miserum est argumentum: *Dum sanguis extrauenatus se disponit ad corruptionem, cernuntur quandoque duo, tres vel plures liquores: ergo totidem sunt nostri constitutiui.* X I. §.37.

Hoc argumentum fuit dissolutum in responsione ad tertium ex Galeni doctrina. Sanguis enim qui è venis educitur, non exquisitè sincerus apparet, & quatuor partibus conflatur: nam præter serum, in reliquo quod concreuit, partes spectantur planè dissimiles: alia quidem tenuis, subrubra, ac feruida per summa innatans: alia in imo crassa, subnigra, ac verè terrena: alia medio situ in istarum mediocritate cõsistens, per quas & quarta quædam portio crudior effusa est. Quod indicat sanguinem quatuor humores sæpiùs dictos continere, nempe bilem, melãcholiam, pituitam, & propriè dictum cruorem, qui per alterationem intercedentem in quatuor dictos humores separatur. Quorum heterogeneïtas benè fuit demonstrata exemplo lactis supra proposito.

Pergit Helmontius hanc similitudinem. *Sanguis enim totus mutatur in lac: Et tum post sui corruptionem subordinatas tantum habet tres partes, serum videlicet, caseum, & butyrum: nec vnquam plures. Ex quo concludit, fortène ergo, in cruore totidem sunt constituendi humores, quot cernuntur eius degenerationes.* Cum omnis diuersitas humorũ, per cruoris duntaxat interitum fiat, & consequenter isti humores diuersi sunt filij mortis, non autem vitæ. Quocirca constanter negat, cruorem, §. 38.

quamdiu viuit,aut in venis (etiam à morte hominis) detinetur, coagulari : ac per consequens, habere partes integrales disparatas,vllâ sui heterogeneitate.

Verum vt probet, non esse tot humores in cruore constituendos, quot cernuntur eius degenerationes, id ex pluralitate illorum quæ per cruoris corruptionem emergũt, demonstrat: *Quandoque enim totus in vbere coagulatur in durum tumorem, casei forma: subinde totus in pus album, flauum, subuiride, &c. quandoqae in liquorem pungentem, rodentem, aquosum migrat: vt in cholera, vlceribus, &c. aliàs quoque in serosum liquorem salsum, totus recedit, vt in hydrope, multisque hydragogis. Non rarò quoque picis instar, totus nigrescit, vt in cruore extrauenato, gangrana, &c. frequenter autem in cinereum atque putidum lutum, vt in diarrhœis. Alibi quoque totum in flauum virus, icterum præfert, qualiter & demorsis à serpente ostentatur. Alibi quoque totus cruor, citra separationem heterogenei, mutatur in melicerides, atheromata, &c. atque in diabete, mutatur in lotium lacteum. Prout sub tabe, totus migrat in sputum subflauum.*

ibidem

Ad hæc dicendum est non esse eandem rationem materiæ ex qua fit quidpiam, & eius quod ex illa efficitur: neque id quod ex aliquo procreatum est,in tot diuiditur substantias,in quot separatur id ex quo genitum fuit. Hinc nemini mirum videri debet,si quatuor in sanguine partes,& in lacte solùm tres cõtemplemur;ad quas tamen cœtera quæ ab hisce segregantur reduci possunt. Verbi gratia ex lacte plures efformantur substantiæ, vt videre licet in lacte coagulato, fit toma prouincialibus vocata, quæ nihil aliud est quàm ipsum coagulum paulò magis induratum:& hæc tandem induratur in caseum. Ex sero recocto fit cremor lactis, quem nostri (brousse) nominant. Ex lacte nondum exbutyrato fit iuncata, & butyrum. Quæ diuersæ res ex lacte elicitæ diuersitatem lactis attestantur quoad eius substantiam; quæ tamen omnes ad tres ipsius lactis portiones reuocantur. Quod si in sanguinem per putredinem plures quàm quatuor substantias separari contingat, an proinde plures esse humores coniiciemus? cùm in partes multiplices degenerauerit. Minime ;etenim istæ diuersitates succorum ad quatuor facilè reducuntur. Hinc negamus tot esse differẽtias humorum, quot sanguinis degenerationes, quoniam vna ex his quatuor succorum differentia; in plures alias partitur, quæ tamen ad vnam sunt reducibiles: vt supra declarauimus, ad septimum argumentum. Dicimus ergo quantum spectat ad illos succos qui per sanguinis interitum separantur, non semper vt partes illius integrantes reputari, sed sæpiùs vt ipsius detrimenta & vitiosa excrementa, quæ ob analogiam quam cum sanguine obtinẽt,ad prædictos humores quatuor reuocari possunt. Qui etenim in massa sanguinis potẽtialiter inerant, modo in pituitosos tenues, ac serosos,vel crassos colliquantur,intercedente aliqua causa pr. nat. Alij verò in flauos biliosos dictos; alij in lutosos,nigros,ac melancholicos: & sic varietas ista constituitur sub certa iam dicta differentia. Ergo inter humores, alios alibiles agnoscimus, qui naturaliter commixti in vna massa consistunt,& corpori alimoniam

moniam præbent. Alios excrementitios, ad nutricatum inutiles, ex naturæ instituto à sanguine secretos, & foris expulsos. Horum autem alij secundum naturam, alij præter nat. generantur: secundum naturam genitos illos dicimus, qui ex necessitate quadam consequentiæ, sunt alicuius consuetæ coctionis familiaria, liquida, fluidaque excrementa, & aliquam possunt vtilitatem corpori præstare; præter naturam appellantur cæteri, qui pro diuersa tantum corporis, aut particularium membrorum intemperie, plane inutiles, imo & noxij producuntur, qui licet sub multiplici differentia compareant, reducuntur tamen ad quatuor humores.

Gal. li. 2. de fac. nat. cap. vlt. ante finem.

Quod vero enunciatur, hanc humorum diuersitatem ex cruoris interitu fieri, proindeque esse filiam mortis, non autem vitæ: nihil contra veram nostram sententiam concludit; quoniam sufficit vt quæ separantur, & à sanguine degenerant, non tanquam partes integrantes sint, sed humorum differentiam certò connotent.

XII. Duodecimo rursus probare nititur cruoris homogeneïtatem non infringi, ex illius degeneratione in varios humores: *Totque erunt liquores in aqua pluuia, quot sunt crescentia è terra; est namque cruor nobis aquæ instar: nec opus habuit diuersis seminibus in hepate, vt sit vnicus æqualis humor nutritiuus: sed in culinis vltimis, suas assequitur requisitas diuersitates, quibus fungitur nutritionis officio adeóque frustra in sui initio, variis polleat seminibus, ac heterogeneïtatibus, qui totus homogenealiter tandem debet in vnicum glutinosum, album, ac transparens sperma nutritiuum, pro partium similarium sustentaculo, reduci, vel manere ruber pro carne musculorum, ac viscerum parenchymate. Quocirca constanter negat, cruorem, quamdiu viuit, aut in venis (etiam à morte hominis) detinetur, coagulari: ac per consequens, habere partes integrales disparatas, vllâ sui heterogeneitate.*

§. 39.

§. 40.

§. 41.

Respondeo negando paritatem desumptam à natura aquæ elementalis, quæ cum simplex sit, terram irrigando fœcundat, & in diuersitatem mixtorum è terra rore simplici imprægnata succrescentium, propagatur. Quod non conuincit cruoris homogeneïtatem, quem apparenter simplicem iudicamus, sed rationis examine partibus pluribus constare asserimus; & planè demõstrauimus in octaui argumenti refutatione. Neque recurrendum est ad simplicitatem sui finis, sed respicienda est natura alimenti heterogenei, ex humido, sicco, & calido permisti, idque ipsum partibus sit pluribus accommodatum, quemadmodum cibi conficiendi administrationes.

ex Arist. 2. de part. anim. c. 3.

Neque obiicias inter carnosa & sanguinem nihil intercedere: sunt enim quasi sanguis concretus, eoque simplici nutriri. Nihilominus in his plures interponuntur mutationes; quia sanguis primùm dispergitur, mox apponitur, tandem agglutinatur, & assimilatur.

Qua de causa euidentiorem sanguinis heterogeneïtatem ex eo colligimus, quod omnium corporis partium vltimum sit alimentum, ideoque in se habeat quod singulis conueniens est, & familiare. Verùm an partes corporis ita attrahunt sibi familiarem humorem, cùm aliæ crassiore, aliæ tenuiore indigeant; aliæ calidiorem, aut frigidiorem, pi-

Lib. 3. de natur. fac c. 1. & 15. tuitosum, aut melancholicum desiderent, vt innuere videtur Galenus. Non proinde inferendum esse censemus talē atque discretam in sanguine diuersitatem reperiri, vt singulis membris liceat, in sui nutrimentum hanc aut illam portionem ab aliis seligere. Neque ea fuit Galeni mens: qui tantum voluit sanguinem, non vnicam in singulis alterationem subire, sed eam quæ cuique membro ad assimilationem perficiendam magis conducat. Nec non quod si sanguis ad partem alēdam delatus, ipsius temperamento propiùs respondeat: illam tali succo vt magis familiari specialiùs gaudere: id est minùs laboriosâ alteratione in suam substantiam conuertere. Neque credendum est partes è venis conuenientem succum sic attrahere, vt quasi ex instituto sibi familiarem seligant: hanc enim sententiam plurimis probatam irridet Galenus: sic enim venarum facultas attractrix perpetuò vicinis ex partibus, humiditatem attrahit, substantiam ipsius qualisnam sit nullo pacto discernēs, ratione enim caret, quâ quidpiam, ex meliori scrutari possit. 4. in l. de rat vi?. acut. cōm. text. 1.

Dum quærit Helmontius vtrum sanguis habeat partes integrales disparatas, vllâ sui heterogeneïtate. Respondemus sanguinem vnum aliquid esse, non per aggregationem confusum; sed verè mixtum, cuius heterogeneïtas nonnisi per putredinem dissoluitur.

Instabis: *Si diuersitas in cruore, fiat per eiusdem interitum. Ergo humorum diuersitas, est filia tantum mortis, non autem vitæ. Nec refert, quod subinde in corpore occurrant excrementa, vultum cruoris mentientia, vnde scilicet per degenerationem facta sunt. Non enim vrina est vinum amplius; prout nec pus, aut mucus, aut sputa sunt adhuc partes cruoris. Quia excrementa non sunt ampliùs, quod erant ante sui corruptionem. Eò quòd res quæque essentiam, & nomen assumat à termino transmutationis. Quid enim arguit, si cruor per phlebotomum, aquam, vel alios fundos, sub sui corruptione segreget, si eiusmodi aqua nec fel sit, nec bilis, nec amara, careatque proprietatibus fellis? Quæne est ista credulitas? supernatat aqua cruori mortuo: ergo est bilis fellea, quæ sub falso gustu, amarorem fellis mentitur? non est enim ista supernatans aqua, pars integralis cruoris, nec de eius essentia, aut contentis, magisve cognata cruori, quàm currus respectu hominis insidentis.* §.42. §. 43.

Non enim etsi fundus cruoris subinde minùs rubeat, erit proinde atra bilis: prout nec sedimentum lotij, est pituita. Sed dum vita cruoris recessit, non mirum singula, quæ in vita vnitate custodiebantur, repetant conditiones materiales quibus obligantur. §. 44.

Concedimus sanguinis corrupti partes non esse ipsius integrantes, neque etiam illius excrementa secundum naturam, vt sæpè inculcauimus. Cùm enim aliquod mixtum in partes resoluitur, non simpliciter in easdem ex quibus componitur degenerat; sed in aliquas quæ secundum quid naturam mixti repræsentant. Verbi gr. serum, mucus, fæx nigra, & alia huiusmodi, quæ separantur ab humoribus naturalibus, tam alimentaribus, quàm excremētitiis, non pro vera pituita, aut melancholia reputantur; sed pro quibusdam succis ab heterogeneo sāguine separatis, analogicās sanguinis mixti naturam repræsentantibus. Hinc sequitur quod aqua à sanguine

sanguine corrupto segregata, licet sit flaua non sit bilis, nec habeat bilis proprietates: sicut nec mucus ex naribus prodiens, pituita censetur: nec etsi fundus cruoris nigrescat, erit proinde vera atra bilis; prout nec sedimentum lotij est pituita. Cùm subierint nouam transmutationem à causa aliqua pr. nat. Nihilominns tamen hoc non infringit humorum naturalium heterogeneitatem, neque sanguinis in venis contenti disparitatem: imò

§. cit. firmiùs illam demonstrat: *Cùm scilicet vita cruoris recessit, non mirum singula, quæ in vitæ vnitate, in cruore custodiebantur, repetant per corruptionem & interitum, conditiones materiales heterogeneas quibus obligantur.* Quod nobiscum Helmontius pronunciare cogitur: quæ námque sub vna forma vnita erant, per putredinem, si in diuersas & heterogeneas partes resoluantur: illius heterogeneïtati, habebant funda mentum in præcedentis mixti ma teria.

§. 45. *Fundorum enim varietas, à ponderum præeminentia in liquidis pendet. Latitudinem quippe in pondere habent, quæ post mortem heterogenea euadunt, & sensim in ataxiam confusionis properant.* Hinc concludit non omne quod in sedimine deponitur esse melancholicum succum. Respondeo esse disputationem de nomine. Siue enim fundum & sedimen sanguinis corrupti conspicias, siue colorem; non proinde indicabimus esse partem ipsius integrantem, sed aliquid à sanguine depositum quod crassioris & melancholici succi naturam, & ideam aliquatenus connotat: quomodolibet nominetur, seu atra bilis, aut pars ponderosior, aut nigrior.

Insurgit denuò: *Heterogeneïtas ergo, in liquore mortuo, putrescente, ac putrescibili statim, est corruptionis adæquatum indicium. Quodque ideo nec habet vitale, aut seminale initium, vt nec suæ primitiuæ compositionis argumentum. Etenim originaliter cõponimur ex vitali semine: & resoluimur in putridum, atque cadauerosum liquamen aqueum: quod sæpè in viuentibus pro parte accidit. Quid si* §. 47.

cruor ex pallido rubeat, an id proin pituitæ erit ascribendum? an poma rubea erunt pallidioribus magis sanguinea? Pruna subnigra, albicantibus magis melancholica? etenim colores non designant fictos humores, aut elementa: *Sed imitantur proprietates vitæ mediæ, atque seminum destinationes. Ita est: colores atque spissitudines, in materia, sunt opera archei seminalis: non autem appositorum humorum confusa testimonia.* §. 48.

§. 49.

Sæpiùs diximus quod partes sanguinis per corruptionem segregatæ, non sunt similes illis quas intra se naturaliter complectitur: maxima namque interuenit discrepantia inter humores naturales, & præter naturam, qui non sunt exitiales ignorantiæ, ignauiæ, turpitudinesque, à mendaciorum patre introductæ, & à sequentium laxa credulitate celebratæ; vt obiurgat Helmontius: sed vera Medicinæ principia à diuino sene summo Hippocrate stabilita; qua de re mentionem fecimus in expositione veræ sententiæ circa chyli & cruoris digestionem, & posthac illud pronunciatum elucidabimus; si admonuerimus in sanguine venoso inesse vitale & seminale initium quaternariæ diuersitatis humorum non per aggregationem, & ataxiam, sed per veram mixtionem, cuius natura demon- *Lib. de ve e. medic. circa med.*

ſtratur;quod per perfectam coctionem, & rectificationem ſanguinis in corde confecti, atque per arteriarum ductus in venas refuſi, per circulationem;eiuſdem fit cohobatio tanquam in pellicano;cuius heterogeneitatem connotat id excrementum, quod ab hac digeſtione per circulationem ſeparatur, materia ſcilicet alba in vrinis contenta, quæ ὑπόστασις dicitur. Hinc tandem aptum fit alimentum pro ſingulis particulis,ad quas cognatione quadam attrahitur,& apponitur, ſeroque euacuato,conſolidatur, & aſſimilatur.

Qua ergo ratione diuerſi humores. Vnâ cum ſanguine intra venas conſiſtant, explicat Hippocrates ſub hac verborum ſerie: homini enim ineſt,& amarum,& ſalſum,& dulce, & acidum: atque hæc quidem mixta & contemperata inter ſe,nec ſenſibus conſpicua ſunt, nec hominem affligunt. Vbi verò quid horum à cœteris ſeceſſionem fecerit, atque ipſum per ſe ſolum conſtiterit, tunc & ſenſui conſpicuum fit,& hominem fatigat. Quodnam verò illud ſit paulò ſupra indicauerat:ſed quod in vnoquoque fortè,& naturâ humanâ potentius eſt, vt ab ea edomari nequeat, hoc ipſum eſſe quod damnis augeret corpus; opinati ſunt; atque id exigere quæſiuerunt. Robuſtiſſimum eſt inter dulcia dulciſſimum, inter amara amariſſimum,inter acida aciſſimum; & in omnibus adeò rebus vigor ipſe ac ſummum.

Infra verò inquit: cuncta mala quibus affligitur homo, ea omnia ex ſuccorum potentiis proficiſcuntur:v. g. ſi amaror quidam ſecernatur, quam bilem flauam appellamus, quales illicò iactationes, & æſtus incandeſcentia, & proſtratio virium inuoluunt: verum liberati ab illa nonnunquam, aut vltrò aut pharmaco purgati, modo, loco & tempore, quid horum factum fuerit, liquidò & doloribus & ardoribus defunguntur.Alibi inferiùs adiungit Hippocr. cœterum neceſſe fuerit vt rectè dignoſcat, quænam paſſiones dimanent ex ſuccorum exuberantibus qualitatibus, & viribus:ac facultatem quidem appello, humorum excellentes qualitates vireſque.

De vi autem ſuccorum, quam potentiam ſinguli in hominem exercere poſſint, compertum eſſe debet, vt etiam primum diximus, quaſque cognationes inter ſe habeant. Quod dico tale eſt. Si dulcis humor in aliam ideam mutetur, non quidem propterea quod aliis remixtus,ſed ipſe abiens à priſtina ſua indole,qualiſnam primum fiat? amarus, an ſalſus, an acerbus, an acidus?ſane acidus ſuccus omnium maximè erit incommodus,&c. *In fine lib. cit.*

Et licet nouatores noſtri Hermetici, Hippocratis ſententiam ad ſuum trium principiorum ſenſum detorqueant: attamen conſtat hoc in loco,de ſolis humoribus ſermonem habuiſſe, quos ex ſaporum potius quàm ex primarum qualitatum differentiis indigitat: atque ita Hermeticorum, & Dogmaticorum doctrinam conciliari poſſe monſtrauimus in tractat. de veritate Hippocraticæ Med.nondum typis excuſſo.

Cum ergo ſanguis in ſuccos noxios degenerat, fit vt humorum corruptorum natura ſit valde diſſimilis à naturalibus, & vitâ coniunctis: vnde licet ſanguis componatur ex ſemine vitali,quod vnitatem

partium dissimilium colligat: attamen per corruptionem illius, non est mirum si singula quæ in vitæ vnitate in cruore conseruabantur, repetant cōditiones materiales heterogeneas, quibus obligantur, vt dictum est. Exoriuntur ergo per illam mutationem humores degeneres, noxij, qui tamen Analogiam quandam habent, in colore, sapore, & consistentia cum excrementitiis naturalibus, quos ad quatuor humores Hippocrates reuocauit. Aliàs verò iuxta varios sapores, in dulces, amaros, acidos, salsos, & forsan multò plures, ad quatuor tamen reductos, sicut planè declarauimus in solutione septimi, & vndecimi argumenti.

Lib. de natura huma. text. 19.

XIII. Decimo tertio, suppositâ inspe-
§. 50. ctione factâ vnico manè sanguinum ducentorum rusticorum sanorum, *adspectu colorum ac fundorum diuersitatibus insignium. Quidam enim gelatiuam subnigram & coactam referebant: sæpè etiam subuiridi liquore permistam, subinde tantùm conspersam leuiter, &c.*

§. 51. *Quapropter commiseratus est deceptoriam hæmorrhoscopiam, indiciaque emisso cruore solita, humorum commenta, ac faciles ægrorum credulitates. Ariolator namque cruoris inspector, mox peccantis atque superabundantis nomen, proprietates, itemqoe hominis illius mores, complexionem, inclinationem, morbi latentis speciem, magnitudinem, exitum, atque insuper mortis genus, imò & fortunarum dependentiam prædicere ex humoris coniectura satagit.*

XIV. Decimo quarto: *Hinc impostura*
§. 52. *misera; quum Medicus ad manum habet suorum humorum peculiares satellites, qui vinctos singulos & putrefactos educunt. Sic enim ludificant ignaros: quippe ex præiudicato norunt, quale erit albumen, quod assumpto suo solutiuo, putrefactum recedet, &c.*

Quoad hæmoroscopiam, seu indicia quæ ab emisso sanguine desumi solent, non tam latè extenduntur, vt credit Helmontius. Sanguis, inquit Fernelius, in tepescentem aquam effusus, diuulsis secretisque substantiis multa profert. Serum cum aqua omninò confunditur, vt internosci nequeat: ibi etiam permiscetur tenuior sanguinis portio, ex cuius colore liceat de humoris natura & specie quodammodo iudicium facere. Crassior sanguinis portio & fibrosa subsidet in imo: quæ pura & sec. naturam esse iudicabitur, si lucida, tenuis, subalbida, & cohærens fuerit: at crassior crassum etiam sanguinem inesse: obscura & nigra aliove infecta colore, sanguinem vitiosorum humorum fæcibus inquinari commonstrat, quos ipsa coloris differentia discernit. Si parum illa cohæret, distractaque facilè dilaceratur, summæ putredinis est argumentū. Hoc in capite Fernelius sanguinis conditionem ex eius substantia, & colore prosequitur. Cuius doctrina non tam leuibus fundamentis fulcitur, vt sit omninò spernenda; cum ex huius obseruatione humorum prędominantium argumenta, ad curationem affectuum vtiliter eruamus.

Lib. 2. Meth. Med. cap. 17.

Ad decimum quartum imposturam obiurgat, cū profitemur pharmaca humores peculiares trahendo purgare: hoc enim ex Hippocrate, & experientia, atque ratione tenemus; nam vt corpus subierit pharmacum, ante omnia ducit id, quod ipsi ex omnibus in corpore existentibus

Lib de natur. humana, text. 32.

tibus maximè ſecundum naturam familiare fuerit, ac tum deinceps alia trahit ac purgat, &c. Interpres doctiſſimus, ac experiẽtiſſimus Galenus in commentario ſuo enarrat: ſed & plantarum meminiſſe oportet, quos item ait ipſe attrahere vnamquamque id quod ſibi naturâ maximè congruens eſt. Contineri namq; in terra acidum, dulce, amarum, ſalſum, & omnigenum: quo ſane modo & in homine, acidum quidem atram bilem; amarum flauam: dulce ſanguinem: ſalſum verò pituitam. Aliqua etenim eiuſcemodi eſt, ſicut & alia acida, alia autem inſigni aliquâ qualitate caret: quò factum eſſe arbitror, vt extremæ orationi ipſe addiderit illud, & omnigenum, nempe quod proſpexerit non modo in pituita, verum in aliis quoque humoribus plures haberi differentias. Nam vt acidum, dulce, amarum, ſalſumque: ita acerbum, auſterum, acreque, & pingue ſunt inter humorum ſpecies, tam in animalibus quam in plantis: nec minùs in terra ea ſunt, quæ iſtis ex proportione reſpondent.

Hippocrates ergo hanc ſententiam confirmat hâc ſimilitudine: ſicut terræ commiſſa ſemina ſolent exugere è terra nutricatum ſimpliciſſimum ſibique familiarem: eo verò exhauſto illud exugunt, quod huic vicinum eſt, quodque minùs illi ſimile eſt: ſic pharmaca eodem modo trahunt. Igitur ſimilitudine ſubſtantiæ trahũt; nimirum vt pars ſpirituoſa peruadens partes, humori familiari quaſi manum porrigat, eóque trahente, & naturâ expellente in ventrem effluat. Primumque humor merus ſpirituali hac qualitate affectus, dein alius qui cum eo remixtus fuerat effertur. Vt ferro perfricatum lignum etiam à magnete trahitur: quod alioqui ſolùm à magnete prolectatur.

Decimo quinto obiicit, ſeu potius miratur quod ſcholæ ſordes aurium præterierint. *At hæ ſordes, nonniſi ſanguine abſumpto, in alimoniam cerebri, apparent: fel autem in eſſe priſtino permanere nequit, abſumpto cruore, cuius fuiſſet pars integralis: eſſet ergo auxilium pro bile, ab excremento formaliter tranſmutato petitum. Præſertim, quod ſolum fuliginis ſpecie per aures exhalat.* XV. §.53.

Reſpondeo ſordes auriũ ex portione amara ſanguinis ſegregari, non tanquam partem integrantem, ſed veluti ipſius excrementũ. Quod ſanè cõnotat in cerebri cruore eſſe aliquid quod ſcilicet reipſa non eſt amarum, quoties à mixtione dulcioris, & potioris ſanguinis partis temperatur; ſed ſi quando ſeparetur in excrementum abit, quod ſuam habet radicem in ſanguine continente potentiâ illud ex quo tale excrementum decerpitur. Ergo ſicut è cerebro pituita per ſuos canales excernitur: melancholia ichoris inſtar reſoluta, ex oculis: ſic bilis excrementitia per aures euacuatur; & hæc ſunt teſtimonia humorum in maſſa ſanguinea heterogenea contentorum.

Decimo ſexto redarguit dogmaticos, qui inter cuncta ſolutiua ſolam habent aloëm innocuam. *Non ergo innocui, qui hoc profitentur, interim aliis noxiis quotidie vti non deſinunt: non quia ſana ægris, quæ noxia docent, ſed ſibi reperiunt proficua. Quid agimus, agemuſque, inquient aliqui, niſi enim venam ſubinde pandamus, & aluum ſubducamus, domi manemus, vulgi riſus, & ſcenarum fabula facti?* XVI. §.54. §.55.

Reſpondeo

Respondeo hæc sæpè dicteria obiici, quod scilicet tota nostra operatio, in secanda vena, & catharsi obuersetur: quod sanè in morbis humoralibus curandis frequenter contingit, & cum magno fructu, vt experientiâ constat, modo iuxta debitas indicationes administrentur. Maxima enim morborum turba à copia, ac mala succorum qualitate originem ducit; quâ conuenienter accisâ per vtrumque præsidium, admirabilis succedit corpori mutatio, & sanitatis pretiosa redintegratio. Quod si pharmaca purgantia malignitate aliquâ sint donata, raro hocce seculo in vsum veniũt, quoniam benignis purgantibus frequentiùs vtimur, quæ iam præ manibus abũdanter tenemus. Adde quod pharmacorum valentissimorum v. grat. Ellebori albi præparatio, & correctio adhibetur, certâ & approbatâ dosi, in morbis contumacibus, vt Epilepsiâ, maniâ, conuulsione, Elephantiasi, hydrope, & similibus; cuius ope innocua illius operatio perficitur; vt obseruatione quotidianâ in multis comprobauimus. Grauissimi namque morbi tali medicamento debellantur, reiectis per vomitum succis mucilaginosis, porraceis, magnâ copiâ, absque vllo detrimento. Sic ellebori præparatio *Lib. 2. meth. ad praxim. cap. 11.* instar electuarij apud heurniũ valde mihi laudatur, modo tertia tantum pars ellebori albi sumatur, cum pari aquæ quantitate, & mellis. Et dosis minima omnium, huius electuarij præscribatur.

XVII. §. 56. Decimo septimo, *In scholis prælegitur libellus de natura humana, Hippocrati calumniosè adscriptus, docens quod vnum & pari quantitate solutiuum exhibitum, diuersis anni stationibus, diuersos humores emunxerit, ac semper post spasmos, vnà cum sic laruato cruore, vitam abstulerit. Quod sonat, sub specioso purgationis titulo, ius factum, putrefaciendi cruorem, colliquandi carnem, sub impostura, & ad libitum medentis, alicuius coloris humorum, tandemque nisi dosis dolum venenumque tegat, quod profluxurus sanguis sic mutatus, ægro necem sit allaturus, vt quamquam præfato libello dicatur, vnum idemque laxatiuum, aliis atque aliis anni stationibus, alios atque alios primò educturum humores: est tamen constanter verum, omne solutiuum supra debitam dosim, suum enecare sumentem. Adeò vt frequenter tabida illius vis tam pertinaciter venis intincta maneat, quòd restringi nequeat, & mors colliquando subsequatur. Quare requiritur potiùs antidotus, quàm restringens pharmacum. &c.*

Respondeo inter germanos Hippocratis summi libres, hunc de natura humana recensendum esse, eò quod artis Medicæ fundamenta cõplectatur, dum exponit corporis humani elementa, & humorum quatuor principia. Hinc Galen. in suis commentariis sic exclamat: non *In lib. de nat. huma an. gumento.* parum eos admirari professus sum, qui hanc doctrinam ab Hippocratis sententia esse alienam censuerunt. Nam illorum quamplures, qui artis Hippocraticæ gnari sunt, in legitimis illam proculdubio ponũt, arbitranturque commentarium hũc magni illius fuisse Hippocratis, quẽ Plato etiam recognoscit.

Verum vt intelligatur quomodo *1. de nat. huma. text. 41.* dixerit Hippocr. *Quod si eidem homini idem medicamentum quater in anno dare volueris, hyeme pituitosissima ille tibi euomet, vere humidissima, æstate biliosissima, cutumno nigerrima.* Hunc textum Galenus sic in-

terpretatur : *Præcedentis sermonis, quo dictum est singulis anni temporibus singulos humores dominari, id testimonium clarissimum esse ait, quòd si eidem pharmacum quod vomitum cieat, exhibeatur quater in anno, pituitosior hyeme vomitus erit, vere humidior, æstate biliosior, & nigrior autumno.*

Ex quo textu colligitur humores quatuor euacuari à medicamentis, iuxta ipsorum dominium. Quod antea Hippocrates demonstrauerat ex superpurgatione, dum ait; atqui primùm quidē per immodicas purgationes qui bilem solā excluserit, mortuus est nemo. Nā si quis pharmacū biberit quod bilē cieat, primū bilē vomet, deinde pituitā, postea per vim atrā quoque bilē à flaua diuersam, postremo etiam moribundus sanguinem purum vomet. Verum ista hypercatharsis nō contingit, quum benigna pharmaca, debitâ dosi porriguntur; vel aliquando valentiora benè correcta, & quantitate modicâ innoxiè propinantur.

text. 29. lib. cit.

Hâc autem demonstratione probat Hippocr. quatuor humores corpori inesse, easque facultate ac specie differre : dissimilitudinis namque humorum euidens argumentum est, quod singuli trahantur à peculiaribus medicamentis. Ergo non omni ex parte similes sunt. *Si enim alicui homini pharmacum propinaueris quod phlegma educit, pituitam tibi vomet. Et si pharmacum dederis quod bilem ducit, bilem tibi euomet. Eodem modo & bilem atram purgabit, si pharmacum propinaueris quod bilem atram ducit. Quin hæc cuncta euenire conspicies omni tempore, interdiu noctuque, & hyeme, & æstate. &c.*

text 27. l. cit.

Huic rationi occurrunt nonnulli referente Galeno, quorum partes Helmontius insequitur, qui negant purgatorium medicamentum è corpore peculiarem sibi humorem detrahere, imò illum in eam formam transmutare, quæ illi naturâ insita est. Sed quàm falsa sit illorum sententia Galenus patefacit, & conuincit ex artis operibus eos, qui assentiri nolunt, humorem vacuatum à purgante medicamento attrahi. Nam qui ascite seu aquâ intercutem tenentur, hausto medicamento vim aquam educēdi prædito, multam excernunt aquosam humiditatem; vt eis inde venter detumescat. Quod si quis præbere his voluerit medicamentum bilem, vel atram, vel flauam ciens, & modicum quid illius humoris educetur; & præterea venter in maiorem tumorem attolletur. Contra verò laborantibus regio morbo ex iecinoris obstructione, obseruauimus : reserato priùs eo viscere, deobstruentium operâ; si subinde detur medicamentum cholagogum, excretio plurima redundantis humoris accidit, atque affectus iste confestim curatur. Sic de cœteris humoribus per cathartica eductis censendum est. Itaque si talia à purgatoriis medicamentis trahuntur, atque medicamenta omni ætate, ac omni tempore purgant: in humano sanè corpore perpetuò quatuor reperiuntur humores : & vitæ nostræ quatuor sunt congenita principia. Quod argumentum rectè Galenus [a] persequitur.

Comm. text. cit.

Comm. de purgāt. med. facult.

Instat Helmontius [b] *Educto humore reo, & accusato insonte, nequicquam tamen inde plerumque mitior morbus. An ergo inde non sunt coniicienda ludibria? & quicquid de humoribus, illorum excessu, delectu, & segrega*

a In comment. tex. cit. 27. lib. de nat. huma.

b § 56. cit.

ſegregatione eſt garritum ? etenim quotidianum eſt,quod euentus fruſtret ægrorum ſpem,ac medentum pollicita.

Reſpondeo huic inſtantiæ : non ſemper Medicum ad ſuum ſcopum perfectè collineare poſſe, variis de cauſis ; multa enim ſunt curationis impedimenta, ignoratio ſcilicet quantitatis, & copiæ humoris, quæ Medicinam coniecturalem reddit. Et ſæpè ægrorum impatientia irritam facit cauſæ morbificæ acciſionem. In longis morbis longâ cauſæ præparatione,& vacuatione partitâ opus eſt, atque partis afflictæ reſtauratione ; quod quam factu ſit difficile nemo ignorat. Adde quorundam artificum errores, multitudine remediorum ægros obruentium,quæ potius curationem interturbant, quàm promouent : criſim, & naturæ conatus prohibent magis,quàm iuuant.Item medicamentum non rectè indicatum, nec ſuo tempore datum, aut certâ doſi, aut debitâ præparatione, multa naturæ damna infert : ſed proinde ars medendi,non eſt inculpanda,quæ ſuas regulas ratione & experientiâ confirmatas, ad hominum ſalutem & commoditatem propalat ; morborum & ſymptomatum cauſas explicat,partes affectas detegit, remedia longâ experientiâ probata commendat,præſagia ex oraculo pandit, pulſus, reſpirationem, vocem, vrinas, & excreta diligenter obſeruat, non tanquam detrimenta, & putrilagines ex cruore reſolutas ; ſed vt excrementa certâ ſubſtantiâ, quantitate, qualitate, & excernendi modo donata; vnde anteceſſores noſtri plurima obſeruatione digniſſima commendant,ad cauſarum morbificarum cognitionem comparandam, prognoſim inſtituendam, & therapeiam debitè exſequendam. Nullatenus ergo ars Medica iuxta Hippocratis & Galeni mentem ſtabilita, & apud omnes gentes magnis titulis approbata, eſt inculpanda ; cùm corpori humano ſanando ſit præfixa,non verò ad ægrorum mortem, aut medentum culinam deſtinata. Decimo octauo : *Certum eſt* XVII.
per laxatiua pharmaca, cruorem & carnem, ſine ſeparatione heterogeneïtatis,in putrilaginẽ iſtã flauã, ac putidã reſolui. Eſtque argumentũ hebes, §. 59. §. 60.
inde intuliſſe. Si ſanguis & caro, liquata per anum recedant,fiatque flauus liquor, aut mucidum excrementum : ergo caro & ſanguis conſtant, & componuntur iiſdem materiis; quæ ſunt vera bilis & pituita.

Ad hoc reſpondemus negando à pharmaco ſanguinem in illos humores reſolui : ſed potiùs excremẽtitios humores copiâ, & qualitate peccãtes,vi ſpecificâ attrahi à pharmacis purgantibus. Quod ſi ſit ſermo de humoribus alimentariis, in ſanguinis maſſa naturaliter contentis. Dicimus ſanguinem non eſſe vnum aliquid per aggregationem confuſum, ſed verè mixtum, cuius heterogeneïtas nonniſi per putredinem diſſoluitur,per quam ſanguis in humores excrementitios degenerat : hi tamen humores ſegregati non præceſſerunt in propriis ſuis formis, ſub ſpecie cruoris : nam ſic cruor eſſet quid appoſitum ex pluribus.

Inſtabis ; quomodo ergo degenerat ſanguis in iſtos humores excrementitios, ſi propriâ formâ ſint exuti ; nam ſic eſt impoſſibilis immediatus regreſſus cruoris in bilẽ, §. 61.
aut alios humores ſui cõſtitutiuos : à priuatione namque habitus denuò non comparatur.

Reſponſum ſæpiùs eſt illam reſolutionem fieri per putredinem ſanguinis mixti, & heterogeneas portioneshabentis vniformiter difformes, quæ potentiâ in ipſo comprehenſæ, per vlteriorem mutationem in excrementitios ſuccos actu tranſeunt, & nouas formas acquirunt. Adeo vt pars tenuior & calidior, quæ dulcis erat in ſanguine, per illam nouam mutationem fit amara, flaua, & bilioſa. Sic de cœteris analogiâ quadam eſt differendum. Vide reſponſum ad 1. argum.

§.62. Hinc patet ſolutio dilemmatis ab Helmontio propoſiti: *Si tota caro & ſanguis, quandoque in iſtam putredinem (quam bilem nominant) tranſmutentur, & eiiciantur, alterutrum ſequi eſt neceſſe: vel iſtam bilem putridam,formaliter,& actu adhuc cruorem & carnem eſſe: vel bilem, ſemel in cruoris ortu, mortuam & tranſmutatam, iterum immediato regreſſu, reuixiſſe, tam à liquatione carnis, quàm cruoris. Si prius dixeris: iam cruor non eſt oppoſitum naturale: ſed appoſitum ex pluribus. Sin verò poſterius velis; eſt impoſſibilis immediatus regreſſus cruoris & carnis, in bilem, aut alios humores conſtitutiuos ſui.*

Mox expoſuimus quomodo in ſanguine humores cœteri, potentialiter ineſſent,nec ſub propriâ forma: tum demum oſtendimus,quod licet per hanc mutationem nouam formam acquirerent, illam tamen ex præcedenti ſanguinis heterogenei materia eductam fuiſſe.

§. cit. Malè ergo Helmontius concludit, quæ per poculum laxatiuum eiiciuntur,non eſſe bilem;ſed cadaueroſum liquamé putidum,vi pharmaci ſic deturpatum: propinato namque aliquo pharmaco,ſuo tempore,loco,& ſcopo nunquam fit illa liquatio,ſed antea per morbum facta ſupponitur humorum prauorum ſegregatio, & collectio, à quorum motu, atque putredine multi morbi proueniunt. Sanguis enim bilioſus verbi grat. non colliquatur à vi pharmaci, ſed iam intra corpus luxurians, & maiori co ia redundans,quàm in ſuis conceptaculis contineri valeat, ſic variis in locis, vel putreſcens, aut ferociens, multorum morborum cauſa cenſetur. Et ſic de cœteris humoribus, vel cum ſanguine putrido permiſtis,vel ab ipſo ſeiunctis,dicendum.

Decimo nono, ridiculum Galenum præſentat circa cauſam varietatis humorum: *Galenus enim videtur bilem vtramque aut pituitam, reiicere in complexiones naturales hominis, vſque adeò & in meram intemperiem referre. Siquidem ait vnicum mel, in ſanguineis totum verti in ſanguinem, quod in cholericis totum mutatur in bilem. Quapropter non tam in propenſionem materiæ, quàm in vitioſam hepatis intemperiem, huiuſmodi humorum natiuitates, tanquam indifferentes relegat.* XIX. §.63.

Reſpondeo in controuerſiam duci,nam humorum redundantiæ cõfinibus ſibi temperamentis reſpondeant? id negat Fernelius, [a] quod etiam innuiſſe videtur Galen. qui eorum opinionem non probat, qui ex natura excrementorum indefinitè de temperamentis pronunciant. Putant enim, particularum temperiem ſimilem eſſe cum excrementorum natura. Id verò vſquequaque verum non eſt: ſed fieri interim poteſt, vt pituitoſa excrementa colligantur,nec tamen humida ſit particula. Galenus ergo ſic interpretandus; quod licet vulgari more loquendi,

a *Lib. 3. phyſiol. cap. 11.*
b 2 *de temper. cap. 6.*

loquendi, humores pro temperamento cuiusque vsurpentur; cùm scilicet in calidis naturis bilis; in frigidis pituita dominetur. Verùm cùm duplices sint humores, connati, & postgeniti: non ab his, sed ab illis temperamentum definiendum est, siue naturam corporis sequantur, siue ex his semine, & sanguine menstruo comprehēsis corpus ipsū oriatur. Præterea cum temperamentum duplex sit, vnum ingenitum; alterum ex victus ratione, ætate, & tempore adscititiū vt innuit Hippocr. & Galenus: illud quod solis inest partibus, ex ortus nostri principiis; hoc verò fortasse ex humorum nutritiorum qui sunt in vasis dominio, æstimari potest.

Aphor. 34 lib. 2. Lib. 8. Meth. Med. c. 7.

Ineptè igitur Helmontius imponit Galeno, quod ab humoribus excrementitiis, bile flauâ, pituitâ, melancholiâ, temperamentis nomina dederit. Multò minus quod ad intemperiem humorum ortus, assignauerit: quum lib. de alimentor. facultat. *Censet, mel in calidis corporibus promptè in bilem verti: frigidis verò siue per ætatem, siue per morbum, siue naturâ talia fuerint, esse a commodatissimum: ob id in sanguinem mutatum nutrire ipsa posse.* Respond. hoc in loco agere Galenum de melle quod gignitur, vbi thymus, & similes herbæ calidæ & siccæ proueniunt; & ideo cùm sint tenuiorum partium, in calidis naturis priùs in bilem quàm in sanguinem mutatur. Sed non proinde humorum productio est reducenda ad intemperiem, quàm ad materiæ propensionem, secundum quàm quod vni est excrementum, alteri est alimentum. Hinc constat pro diuersitate ciborum, & temperamentorum, varios progenerari humores. Deinde in sanguine non solum consideramus temperatissimā massæ sanguineæ partem, sed etiam reliquas quæ in ea continentur, etsi planè temperatæ non sint, nihilominus tamen alendo corpori sunt accommodatæ, modo nondum in excrementitiam indolem abierint. Hinc constat mel quibusdam temperamentis in alimentum transire: aliis verò in excrementitium succum commutari. Nota quum Galen. in biliosis, vult mel in bilem conuerti hoc non est reuocandum ad hepatis intemperiem: sed ad vētriculi calorem mel deurentem, ex quo bilis in hepate excrementitia generatur.

Lib. 3. cap. 39.

Exinde anxietates Galeni ineptè concludit: *Quod tres intemperies ad minimum semper ac simul confluerent: quæ singulæ singulos pariant humores.* Aliud enim est de humoribus alimentariis sermonem habere, vel de excrementitiis, quorum plures sunt causæ: quas exponit Fernelius, videlicet cùm ab æstu, ab exercitatione, à balneis, à calidiorum causarum vehementi occursatione, proculdubio pars sanguinis tenuissima in flauam bilem, eamque amaram conuertitur; quemadmodum & reliquæ sanguinis partes persistente similium causarum impetu, in affinem sibi & finitimum humorem. Idem propè accidit, & quū ex vehemēti obstructione orta putredo, sanguinis molem inuaserit. His ergo ex causis præter naturam alij humores, ex sanguine gignuntur in venis. Quinetiam plerumque in has permeant ex aliarum partium vitio. Qui verò humores ex sanguine corrupto sunt separati, non antea tales actu erant partes constitutiuæ cruoris; sed excremen-

§. 64.

Lib. 6. Physiol. cap. 8. ad fixem.

ta ſanguinis cenſentur; humorum naturalium ideam referentia ſanguis autem alimentarius per hepatis temperiem è Chylo prodit.

XX. §.65. Vigeſimo noſtram ſententiam refutat per initia Phyſica, vt demonſtret entis reſolutionem non poſſe fieri in ſua principia: *Poſtquam opticè ſciuit, quod nullum ens, exiſtens in ſui perfectione, atteſtetur partes diſſimilares ſuæ radicis ſeminalis, ſi quæ ſupereſſent: ſed quod ſemen diſponat ſuam materiam, vt ex ea hoc vnum quid fiat, & non per appoſitionem; ſed per veram formalem tranſmutationem: ſciui perfectè deinceps, etiam quod diuerſitas, in cruoris corruptione ſubinde eluceſcens, nunquam poſſit atteſtari, multóque minùs oſtentare, partes conſtitutiuas materiæ ex qua. Non magis quàm vitulus ſtrangulatus, etſi in apes mutetur, proinde eſt compoſitus ex apibus,* &c.

§.66. *Et* §. 66. *idem confirmat: id enim experientiæ facti, & Philoſophiæ repugnat penitus. Non equidem origo rerum eſt ex iis, in quæ reſoluta mutantur. Eò quod iis generatione naturali, oporteat partes conſtitutiuas ſic fieri vnum quid, vt ab vnica generati forma actuentur plenariè. Ideoque quicquid ſub generationis relatione non eſt immutatum ab eſſe priſtino, id planè manet excluſum atque deſes. Non eſt itaque cruor, pars contexta ex quatuor humoribus, ſpecie elementali differentibus: multoque minus eſt cruor reſolubilis in humores illos, vnde creditur ortus. Sed per conſequens, quicquid è cruore, aut per aluum corrumpendo, producitur, vt non eſt humor vnus de quatuor illis fictis: ſed putridum cruoris excrementum. Multò minus eſt baſis fundandi argumenti, pro humorum poſſibili exiſtentia.*

Huiuſce argumenti ſolutio ſæpiùs fuit à nobis expoſita in reſpõſione ad quartum, & quintum, & circa inſtantiam ad nouum argumentum §.34. circa finem, tum ad duodecimum §.44. vbi oſtendimus ſanguinem eſſe heterogeneum, ſub vna tamen forma contentum, ſed pro diuerſo ſuccorum naturalium dominio, alias dici melancholicum, pituitoſum, aut bilioſum: hic enim ſanguis variè temperatus, alendo corpori eſt adhuc accommodatus, neque in excrementitiorum ſuccorum naturam receſſit.

Reſpondemus ergo ſanguinem non eſſe ſimpliciter homogeneum, ſed variis partibus conſtare, quæ etſi ita planè temperatæ non ſint, vt ſanguis ſincerus, nihilominus tamen alendo corpori cõuenire, quatenus maſsâ ſanguineâ calidâ & humidâ contemperantur, eiuſque formam retinent, proindéque nutriendo corpori competunt: & cùm à naturali ſtatu ſanguis diſcedit, degeneratque in putrilaginem, ſeu putrida excrementa præter naturæ ſtatum reiecta: hinc non inferimus, ex reſolutione iſtorum; quod antea totum illud conflarent, tanquam illius partes integrantes, licèt quandam ſanguinis heterogeneitatem arguant, vt ſæpe à nobis explicatum eſt. Omnia ergo reſoluuntur in ea ex quibus componuntur, dũmodo ea talia permaneant, vt compoſitionem ingreſſa fuerant: quod non contingit in degeneratione illa ſanguinis corrupti in humores illos putridos, ex quibus taliter non conſtabat. Sicut nec vitulus in apes reſolutus; corpus namque illud per corruptionem, in aliud quidpiam reſoluitur, ex quo ſeminaliter ac abſolutè non compingebatur. Licèt

Paracel

Paracelsus voluerit ciconiam assam,in serpentem; & anates in ranas,spatio quindenę recedere:quod aues eiusmodi cibis vesci solitæ essent,illasque bestias ideò in se seminaliter continere debeant. Fiunt enim in corruptione alicuius materiæ, nouarum entitatum introductiones ex eodem spiritu vitali remanente in corrupto,qui præfuerat in genito:& proinde etsi non componebatur antea vitulus ex apibus; attamen secundum illum spiritum, tanquam aliquid sui,apes congenitæ quadantenus erant in corpore vituli corrupti. Sic humores ex putrefacto sanguine segregati, quia abeunt & discedunt à pristina sua indole, quam naturaliter retinebāt, cùm simul in sanguine contemperata essent; ideo acquirunt fortissimas vires, & qualitates quas per varios sapores repræsentant: ratione quorum maximè corpori nocent. Ergone ipsis actu humoribus antea constabant?minimè:sed radicaliter secundum aliquid sui præerant in sanguine, à quo per nouam mutationem sub alia forma separantur, vt demonstratum fuit in responsione præcedentium argumentorum.

Ad hanc verò illationem: *Non est ergo cruor, pars contexta ex quatuor humoribus,specie elementali differentibus: multoque minùs est cruor resolubilis in illos quatuor humores, vnde creditur ortus. Et consequenter quicquid è cruore,aut per aluum corrumpendo producitur, vt non est humor vnus de quatuor illis fictis: sed putridum cruoris excrementum. Multò minus est basis fundandi argumenti,pro possibili humorum existentia.*

Respondeo negando consequentiam;cùm per hanc mutationem in laudabili sanguine introductam, humores noxij segregentur, qui tamen analógiam habent in colore, sapore, ac consistentia cum excrementitiis naturalibus,quos ad quatuor humores cum Hippocrate & Galeno reducimus, iuxta solutionem stabilitam ad duodecimum argumentum §. 47. Sileant ergo isti nouatores, qui suis captiosis syllogismis antiquam medicinam Dogmaticorum funditus euertere conantur, vt inaudita proferendo antiquioribus dono cœlitùs influente imbutis, sapientiores dici videantur,deinceps contra nostram artem oblatrare desinant.

Dum asserunt, liquidò proinde constare, scholas cruorem non intellexisse,vt ens naturale,vnum, & compositum naturæ:sed pro ente artificiali,ex pluribus consarcinato, atq; connexo. Quod euidenter falsum esse demonstrauimus in enodatione octaui argumenti. Constare massam sanguinis quatuor humoribus,non secus quàm mixtum quatuor elementis. Tum in duodecimi argumenti responsione ostendimus,quî sanguis vnum aliquid sit, non per aggregationem confusum, sed verè mixtum, cuius heterogeneitas nūnisi per putredinem dissoluitur.Sub qua doctrina omnis obtrectantium nouitas corruit, atque ipsorum erronea opinio detegitur,nostra verò firma & constās permanet; certumque est,proprietates, requisita,sanitatem,morbos, remedia quoq; nullatenus mansisse incognita, sed veris medendi principiis ad debellandos morbos, in practica operatione firmiter processisse. §.67.

Vigesimo primo argumentatur: X XI. *Vnica vis iecoris, in sanguificatione regulariter, directò, atque ordinariò* §.cit.

pro

producet quatuor simul humores, horumque varietas (exemplo mellis per Galenum memorato) pendet ex quadruplici varietate vnius efficientis.
§.68. *Itaque ne esse est, regulariter, ac quotidie præpollere in vnico hepate, quadripartitam expressam intemperiem complexionalem: quarum scilicet quælibet inuita socia, suum apta sit fabricare humorem. Cumque plus ordinario pituita generari scribat, ideoque & quotidianæ febris causam abundantiorem statuat. Sequitur, quod intemperatissimi etiam cholerici complexio pituitosa erit adhuc præpotentior.*

Huic obiectioni respondimus in primi argumenti solutione: vbi declarauimus, quomodo ab vnica vi Iecoris quatuor diuersi humores comproducantur. Argumento verò decimonono ostendimus, quî humorum varietas, mellis exemplo ex temperamentis penderet: & quia frequenter in similem captionem incidit Helmontius, vt transeat ab alimentariis, ad excrementitios succos: ideo negamus illam consequentiam, quod intemperatissimi etiam cholerici, complexio pituitosa erit adhuc præpotentior. Quia in cholerico intemperatissimo plus generatur bilis, quàm pituitæ: nisi ratione ciborum, & loci, aut ætatis, ex accidenti plus pituitæ excrementitiæ colligeretur, quam bilis: vide solutionem vigesimi noni.

XII. §.cit. Vigesimo secundo pergit argumentum contra thesim: *At cùm iamdudum cessent, conculcataque sint elementorum figmenta, vnde qualitatum & humorum speranda esset refluxio quaternarij: nulla iam porrò ratio superer it, cur magis ad quatuor humores, quàm ad tres, vel ad decem vergeret, cuiuscumque demum dispositionis, hæres illa materia extiterit. Quia sublato trunco fundamentali, quod scilicet non sint, nec fuerint vnquam quatuor elementa in vniuerso, neque ex iisdem corpus nostrum vllatenus constituatur materialiter, aut efficienter. Simul ruit etiam tota humorum generatio quadruplex in iecore. Quippe quæ ad elementa, horumque suppositas fictasque qualitates, connexasque luctas, semper respexit.*

Hûc repetenda sunt quæ retulimus in solutione secundi argumẽti: ad quorum confirmationem, addendum est validissimum] Aristotelis ratiocinium: si terram esse necesse est, quæ est corpus grauissimum, & frigidissimum, ignem admittere oportet, qui est omnium leuissimus, & calidissimus, in supremo loco positus. Id ex eo suadet Arist. quia contraria talem vim, & conditionem sortiuntur, vt si vnum ponatur, alterum quoque poni debeat, ad pulchritudinem vniuersi, & ad explendum appetitum materiæ. Atqui terra & ignis sunt contraria, non per se; cùm substantiæ tali contrarietate vacent; sed ex accidenti, ratione affectionum aduersantium sibi mutuò: vel priuatiuè, non positiuè. Has vero, ait esse grauitatem, & quietem ex parte terræ: motum, & leuitatem ex parte ignis. Elementorum enim vnumquodq; contrarietatem ad quodque habet. Quò pertinet illud Boëtij. *Lib. 2. de cœlo c. 3. t. 18.*

Tu numeris elementa ligas, vt frigida flammis,
Arida conueniant liquidis: ne purior ignis
Euolet, aut mersas deducant pondera terras.

Lib. 3. de consol. Philoso. Metro. 9.

Fateatur ergo oportet quaternarium elemẽtorum, & humorum numerũ.

Vigesimo

XXIII. Vigesimo tertio, arguit falsum ac
§.69. ridiculum scholarum suppositum de splenis succenturiatu, *Quod velim splenem, Cloacam esse atræ ac pessimæ bilis; attamen splenem in iecoris adiutorium cedere: vt nempe splen sanguificando, Iecoris succenturiatum administret, dum scilicet malè se habet Iecur. Quasi in nobis iure substitutionis, vis iecoris vitalis aliò gliscere, & præcipuè in sordidam, quam aiunt pessimarum calamitatum thecam.*

Supra recensui circa finem expositionis veræ sentētiæ circa chyli, & cruoris digestionem, quomodo lien ad fæculenti sanguinis expurgationem sit constructum: vbi docui nulla ex parte sanguinem conficere, antequam chylus ad hepar deferatur: quæ sententia si rectè ponderetur, non tam veritati dissentanea videbitur. Infra verò in responsione ad vigesimum sextum, demonstrabitur lienem esse melancholiæ receptaculum.

XXIV. *Vigesimo quarto: cernunt scholæ*
§.70 *in artificialibus, arcam variis frustis compactam, dissolui iterum in suas partes: putaruntque ludicra stupiditate, idem in natura contigisse, bilem nempe repeti è cruore, imò & è carne quoque: semperque ideò perstitisse bilem sub transmutatis formalibus initiis: & ex bile ideò cruorem iterum materialiter surgere, ac resurgere. Alius verò vidit, salem in aquam resolui, nec videri tum amplius, moxque per aquæ ebullitionem, rursus salem apparere. Idem idcirco in suis humoribus fictis, contingere autumarunt. Quasi bilis immutata essentialiter, nunc in cruorem, ac tandem in carnem mutaretur, & ad lubitum medentis, per solutiua sua inde sospes rediret.*

Respondeo absurdam esse hanc similitudinem arcæ ex variis frustis compactæ, cum massa sanguinis in bilem resoluta. Nam sanguis est mixtum perfectum, sed heterogeneum, sub vna forma constitutum, ex quo tamen bilis aliquando dissoluitur, de potentia scilicet ad actum, per nouam alterationem reducta: vnde negamus eamdem perstitisse bilem sub transmutatis formalibus initiis. Nam ante transmutationem bilis erit alimentaria, sanguis, non bilis dicta: postea verò fit bilis excrementitia, quam dicimus nusquam in sanguinem posse resurgere. Itidem alteram salis similitudinem reiicimus; cùm non sit par ratio bilis in sanguine naturaliter contentæ, ac illius quæ ex sanguine per nouam mutationem in excrementitiam sortem transit. At familiare est sophisma Helmontij, à falso antecedenti, ad falsum consequens progredi, & de naturali ac alibili succo idem censere, ac si esse excrementitius.

Vigesimo quinto astruit mechanicam demonstrationem: *Sumatur putata flaua bilis: cruori extrauenato supernatās, coquatur quocumque gradu teporis, aut caloris: nunquam tamen inde retorrida fiet, æruginosa, vel porracea, multoque minùs atra illa acida, quam aiunt, terram fermentare.* XXV. §.71.

Bene dixit putatam flauam bilem, cruori extrauenato supernatantem, nunquam per coctionem, in prædictas bilis species posse transire: quia est illa potius serum sanguinis biliosi, flauo colore tinctum, quàm ipsa bilis. Præterea natura cùm separat bilem à sanguine, hoc facit per calorem putridum, vel aliquando respectu quorumdam ciborum assumptorum, qui vel in ventriculo,

vel intra venas induunt naturam bilis illius porraceæ, aut æruginosæ, vel atræ, multò aliter quàm fieret extra corpus, in vasculo, per qualemcunque caloris applicationem. Proinde concludo talem bilis differentiam, non posse in alias abire species, tam ratione materiæ, quàm agentis, & loci.

XXVI. Vigesimo sexto contra thesim

§. 72. de atra bile, sic insurgit: *Si atra bilis fiat in liene: ergo non est sanguificationis pars aut cruoris. Sin verò fiat in Iecore, cum aliis tribus, ex eadem similari chyli materia: sed à diuersis agentibus. Etenim cum in hepate sint exiles ac tenuissimi venarum ramuli, continuò lotio transmittendo occupati, nec venæ hepatis directè in splenem respiciant: non video, quomodo atra bilis, ab hepate separata ad*

§. 73. *splenem deferatur. Potissimum vbi magna lotij affluentia, & cruoris abũdantia sursum deferatur. Vtraque autem bilis deorsum, ad sua separatim collegia, opposita confusione, in tam exilibus venis, officinæ sanguificationis, ferri deberent. Non ergo à Iecore deferri potest atra bilis, quam dicunt excrementitiam: quin potius lien alitur ex venis, & arteriis lienaribus, iuxta consuetum aliorum membrorum. Nec lien viuit ex proscripto excremento, neque est cloaca corporis, pessimique humoris.*

Si namque lien à Iecore atram bilem desumere debebat: quare non est vicinus hepati? quare solus splen inter viscera, nutrietur excremẽto horrido? & qua tandem depellet superuacaneũ hoc perniciosum recrementum? an per stomachum, eiusque orificium, tam nobile ac sensile, iam latrina erit vltimi excrementi? adeone malignum hoc libumen, appetentiam suggeret stomacho? (& paulò infra) nonne folliculus aliquis separãdis fæcibus fuisset aptior, si vlla esset atra bilis, quàm quod nobile viscus splenis, tot arteriis prægnans, & nobile viscus stomachi, pessimi excrementi fierent refugia?

Verum vt huic argumento satisfaciamus, supponendum est lienem, ad fæculenti sanguinis expurgationem constructum esse: hic enim in hepate generatur cum cæteris humoribus, deinde attrahitur, & deducitur ad lienem per ramum splenicum, non solus & impermistus, sed cum sanguine copulatus: succi autem melancholici separatio in lienis substantia, inter eius fibras, hoc modo perficitur. Cùm sanguis lienis porosam substantiam, vndique à venis in illam effusus, pertrãseat, facultate quadam innatâ: (quam nulla alia pars habet) succus melancholicus, qui antea cum sanguine confundebatur, fermentatur, cõgregatur, particulæque homogeneæ vniuntur: quæ sic vnitæ, naturæ nullo modo cognatæ, nec in nutrimentum illius idoneæ, si multæ non sint, vna cum sanguine vlteriùs progredi poterunt, sin verò in maiore congregantur quantitate, vt naturæ molestiam afferant, eam ad expulsionem, quocumque modo, & loco irritant. Ideóque insurgens natura, ad proximam, aut magis cõuenientem euacuationis viam, & locum eas propellit; nunc ad mesaraïcas, & per aluum, aut hæmorrhoïdes, idque à ramo splenico per venas minutulas in pancreas; vnde per ductum illius in duodenum effunduntur: nunc ad renes, cùm per arterias splenicas ad aortam vergentes, suâ copiâ naturam stimulant, & per vrinas deponuntur: nunc per arterias minores ad habitum corporis, per sudores euacuantur.

Atque

Atque hunc excrementorum separandorum modum naturalem, æmulatur artificialis ille, qui fit in operatione medicamentorum purgantium; quæ se in sanguinem insinuantia, facultatesque suas per totam massam sanguineam spargentia, proprietate quadam, (cognationis forsan) humores quos purgant, quasi fermentant, separant à sanguine, & colligunt; qui separati se facilè vniunt, atque sic in massam collecti; naturæ maximè fiunt molesti; cùm verò illi totâ substantiâ aduersentur, ad illos expellendos statim insurgit; & nunc in ventriculum, per eius arterias & venas exspuit, & per vomitum eiiciuntur: nunc per mesenterij vasa ad intestina propelluntur, & per sedem euacuantur. Iam verò cùm lien morbo aliquo malè afficitur, vt hoc officium segregandi humorem melancholicum præstare nequeat; tunc humor ille à sanguine non separatus, in corpore cumulatur, variosque morbos inducit. In hac lienis actione primò requiritur facultas attrahendi melancholiam, quæ cum sanguine mixta in lienem ingreditur: secundo, facultas fermentandi, separandique particulas humorum, quæ se habent ad modum coaguli, aut fermenti: tertio, vt particulæ sic separatæ & collectæ, naturæ molestiam afferant, & ad expulsionem irritent.

Si in sanguine viscosum aliquid, ac crassum insit, quod à liene subigi, & domari nequeat; inter fibras illas lienis complicatas retinetur, adeo vt si multum aceruetur, obstructiones in porosa eius substantia, facilè producat, atque hinc tumores, inflammationes, & tenuiore parte euaporatâ schirri. Quæ omnia docent lienem, trahendæ expurgandæque huic fæci dicatum esse, ideóque fæculenti sanguinis conceptaculum esse, quod sic demonstratur: obstructo namque liene, statim refluit ad hepar luculentus sanguis, qui laudabilem & purum suo colore inficit, hinc totus corporis habitus melancholicus euadit, & icterus fit niger.

Id vltrò comprobatur, quia non poterat ad alium locum sanguis melancholicus expurgandus amandari, nisi ad lienem, qui à coctionis officina non plurimùm distàt. Conceptaculum hoc non est ventriculus, nec intestina, nec renes, nec venæ cauæ rami: solus itaque relinquitur lien, qui insignem ramum splenicum à portæ trunco, & cauis hepatis excipit. Hoc ipsum à calore indicatur, in omnibus ferè animalibus; atro enim & obscuro colore nigricat splen, ob succum crassiorem quo nutritur, & impletur: at qualis in aliqua parte color efflorescit, talis dominatur humor.

Præterea hoc ipsum probat natura, & substantia lienis in illis, qui naturæ sunt melancholicæ, nigrior enim est, & lutosus, & crassi, viscosi, ac fæculenti humoris plenus, multóque maiorem habent splené, quàm qui habitus sunt corporis sanguinei, aut cholerici. Insuper quibus melancholia in corpore abũdat, lienis morbis sunt magis obnoxij. At quid ageret melancholia in lienem magis quàm in hepar, aut pulmones, nisi in eo stabuletur; non bilis affectus in liene videmus, sed in hepate, vbi separatur. Dicitque Hippocr. eos qui habitant loca paludosa, fieri lienosos, quia aqua lutosa, habet ῥοπὴν ad leonem lutosũ. *Lib. de aër. loc. & aqu.*

Denique à iuuantibus argumen-

tari possumus: medicamenta μελαναγωγα, lienem à suis affectibus liberant, quod fieri non poterat, nisi in illo accumuletur humor ille expurgatus, qui morbi causa fuerat. Tum sapor eius, si assetur acerbus & acidus est, vt inquit Galen. adeò quidem vt in calidioribus, ac siccioribus comedi non possit: at talis est melancholiæ sapor. Ergo.

3. alimẽt. 13.

His positis Respondeo ad argumentum: atram bilem pro succo excrementitio naturali sumptã, amandari ad lienem, in quo postea separatur, non ad sui nutritionem, quia vnâ cum sanguine, per venas splenicas illic defertur; vt à sanguine puro separetur, & ad alia loca transferatur, vt dictum est: & proinde absurda enumerata ab aduersario non sequuntur; etenim succus melancholicus acidus, & naturalis, licet sit excrementitius, & ad alendum ineptus: attamen valde necessarius est, ad officia exequenda, quæ humori acido conceduntur, non tantum vt excitet appetitum in orificio ventriculi, sed ratione ciborum dissolutionis, ac coctionis peragendæ. Quâ viâ verò feratur in ventriculum, docet D. Laurentius post Galeni placitum: vas scilicet breue, seu venosum à summo propè lienem ramo ad ventriculi fundum protensum, ad quem relegatur portio illa melancholici succi, fæci vinaceæ æmula, quæ tamen in liene fuit subacta. Aliquando obstructo illo canali, remeat ille succus acidus in splenicum ramum, & ab hoc nunc in coronariam ventriculi, vt censuit Auicenna, nunc in hæmorrhoïdalem, nunc in mesentericas venas. Dum ergo obiicit, adeóne malignum hoc labumen appetentiam suggeret stomacho? fallitur, quod atram bilem pręternaturalem, cum naturali, & vtili confundat.

Lib. 6. histor. anatom. quæst. 26.

XXVII §. 74.

Vigesimo septimo: *Sed quo telo, tanta defendunt scholæ deliria: Aiunt enim; aliquando visum, atrum succum acidum, vomitu reiectum, qui in terram decidens, eandem fermenti modo atiolleret. Vnde multa consequenter collegerunt absurda. 1. quod istud acidum excrementum, à calore vocari deberet melancholia, siue atra bilis. 2. quod fiat quandoque à sua propria materiu: sæpe tamen à flaua bile recocta. 3. non scitur adhuc ex vtra materia, vt neque coquina illius ferculi. Cum flaua bilis alioqui, citra confusionem, non posset deferri ad alienum lienis hospitium. 4. bilem, humorum quam volunt calidissimam, & igneam, aiunt, per cocturam, redigi in terreum humorem frigidum & siccum. 5. in atrum, ab aqueo, & flauo. 6. in acidum & fermentantem, ab amarissimo felle. 7. cur igitur bilis flaua (fel inquam) proprio folliculo, nunquam recoquitur in atram? cur ad hanc coctionem, alienum limen mendicat? (& paulò infra) sin lien sit atræ bilis officina; non est illi tantus quotidie calor, qui sit retorrenda bili satis. Aut si caleat, quomodo è bile flaua, calida, fiet humor frigidus? (inferiùs addit) quid si bilis torreri dicatur, in ipsis venis: cum omnium venarum calor, sit dumtaxat moderatus tepor, non fiet ex igneo liquore bilis, frigidus alter?*

§. 75.

Sunt ergo distinguendæ variæ differentię melancholici succi; nam propriè sumitur pro massæ sanguinariæ portione in secunda hepatis coctione genita, veluti fæx quædam, seu residentia frigida sicca, colore nigro, sapore acerbo, & consistentiâ crassiore; cuius partem deuehi censemus cum sanguine, ad

nutritio

nutritionem membrorum consimili temperie præditorum, & hac materiâ gaudentium: aliam verò à liene attrahi, secerni, & expurgari. Hic humor gignitur consistente ætate, ex cibis crassioribus, circa autumni tempus potissimum, ab hominibus consimili temperamento donatis, quos facit tardos, tristes, plumbei, aut nigri coloris, vitæque politicæ parum idoneos. Et hæc est idea huiusce humoris naturaliter se habẽtis, secundum primam humorum generationem.

Alia verò melancholiæ species per accidens emergit, in naturis biliosis, aut sanguineis, vel hepar calidius habentibus, dum sensim, & ætatis progressu, portio quædam sanguinis, aut bilis exuritur leuiter, & in humorem melancholicum facessit, qui homines ingeniosos, & magnanimos efficit. Hoc temperamentum sub latitudine sanitatis descripsit Galenus, vbi per atram bilem, hunc leuiter exustum, & consistenti ætati, absque vllo morbo valdè familiarem intelligit. De hoc etiam melancholiæ specie loquutus est Aristoteles, dum causam quærit, cur omnes qui ingenio claruerunt, extiterint melancholici.

Lib. art. par. c. 59.

Sect. 30. Problem.

Quæritur hic, cur in temperamento bilioso accidat per inclinãtem ætatem, atræ bilis abundantia. Ratio est, quia quemadmodum in pituitoso non perducitur alimentum ad perfectam sanguificationẽ, in temperato non excedit; ita in bilioso per excessum exuritur, ita vt in inclinante ætate, euanescente iam igneâ parte plurimâ, maneat exustum terreum copiosum. Verum dubitabis, quomodo humor frigidus siccus augetur in calido hepate, cùm magis oporteat ex aucto calore hepatis sperare incrementum calidi humoris? Respondeo gratia interuenientis accidentis fieri, vt ex calore multo, siue extra accedente, siue intus suscepto, augeatur in humoribus fæx. Nam destillati liquores vbi insolantur, plus fæcis aceruant: & aqua lutulenta, quia fit tenuior ebullitione, amplior secedit in fæcem.

Denique alia assignatur differẽtia humoris illius, quem atram bilem toto genere præter naturã esse dicimus, qui est inutilis, & exitialis, à caloris extranei, exurentis, & putrefacientis excessu generatur, cui recipiendo nullum à natura viscus dicatum: quippe tantam aciditatem cum acrimonia retinet, vt exedat, & exulceret partes quibus adhæret. Nec tantum membra erodit, sed etiam in terram effusus acerrimi aceti ritu, vel etiam aquæ fortis, fermentat, & bullas excitat, atque perniciosissimos morbos gignit teste Hippocrate. Cuius causam efficientem Hermetici tribuũt, non quidem adustioni, vel calcinationi, sed mixtioni cuiusdam salis armoniaci volatilis, subtilis, atque acris, acidive, ac vitriolati, quem in se solutum continet, quique esurinus est, dum naturaliter se habet. Attamen non prætermittenda est partium plus iustò inflammatarum dispositio, quæ succos contentos extorret, & incinerat; tum addendus putredinosus calor, per quem consumptis tenuioribus partibus, quas Hermetici vocãt sulphureas, & Mercuriales: nos verò sanguineas, & biliosas, fæx veluti vsta remanet, vt calx, & cinis, in qua ignis ἐμπυρεύματα remanent.

Aphor. 22. sect. 4.

Notandum est æquiuocationis

vitandæ gratiâ, ne deleterium humorem, & eum qui quotidie ſanis gignitur vno nomine compellemus, & ſic cauendum ne prædictæ melancholiæ ſpecies atræ bilis nomine donentur, ſed ſolum ea quæ iam dictas malignitatis notas repræſentat? quam nunquam niſi in perniciem excretam fuiſſe Galenus ſe obſeruaſſe, memoriæ prodidit. Talis quidem eſt atra bilis exquiſita, manifeſtè diſtincta à ſucco melancholico. Hic enim inter elementa corporis cenſetur, cum ſanguine confuſus ad generationem, nutritionemque animalis, nihil habens acidi, nihil acris, nihil erodentis, ſed veluti ſanguinis limus, fæci vinorum craſſorum proportione reſpondet: eum lien ad ſe trahit, Iecur, & ſanguinem expurgans, eoque ad ſui nutritionem alterato vtitur, eiuſque reliquias ad ventriculum expellit, vnà cum aliis excrementis vacuandas. Huius namque atri humoris excretio, ſiue per vomitum, ſiue per alium fiat, non rarò ſalubris eſt, ſignificans corpus nullâ intemperie vexari, ſed naturam robuſtam, ſolâ copiâ grauatam, eo ſe onere expedire. Verumtamē ſi diutiùs in corpore retinetur, nec vacuatur per meatum aliquem ſenſibilem, aut occultum, Iecur grauat, & debilitat, atque etiam tranſmutatur, & putreſcit, & à febre inflammante vritur, fitque bilis illa atra exquiſita, de qua modo diximus.

Morbi igitur quidam, vt quartana febris, mites ſunt quandoque, quia ab atra originem non ducunt, ſed à melancholico ſucco, qui dum putret tractu temporis in atram deciſcere poteſt. Et vocatur quidem in eo confinio poſita ab Auicenna, innaturalis, atra tamen nondum eſt, ſed in confinio, vt aperuit Galen. *2. De diff. feb. c. 9.* recenſet autem materiam atræ frequentem bilem, cui & ſuccum melancholicum adiicere licet: hiſce poſitis:

Ad argumentum reſpondeo 1. Auicennam memoraſſe, multos nō modo ſanabiles, ſed & ſanos euomere nonnunquam quiddam quod eſt ſicut acetum, ex quo ebullit terra: ex quibus indiciis iudicandum eſt illam ſpeciem humoris melancholici plurimùm accedere ad atrā; nón tamen iam exactè atram eſſe, quæ vno vel altero indicio atræ ſpectatur, ſed quæ omnibus, vt dixit lib. de plenitud. hinc peſſimè confundit Helmontius atram bilem, cum melancholico ſucco naturali, vel paululum à ſtatu naturali diſcedente. *14. Therap. 9.* *Cap. vlt.*

2. Quod atra bilis fiat ex ſucco melancholico aduſto, velut propriâ materiâ, nemo dubitat: an verò fiat à flaua bile recocta? dicimus iuxta vulgarem Medicorum ſententiam, bilem quæ per vſtionem aut putredinem, in vitellinam, æruginoſam, & ceruleam degenerat, tandem in atram commutari omnium perniciosiſſimam. Vel aliter, dum bilis exuritur incandeſcente febre, euaneſcit ignea pars plurima, remanetq; exuſtum terreum magnâ copia: & ex interuentu caloris præternaturalis dicitur fieri bilis atra, in bilioſis naturis: non quod ſit bilis recocta, ſed quod in calidis temperaturis per maiorem bilis efferueſcentiam, plurima fæx terrea accumuletur.

3. Si quæris officinam illius atræ bilis; aſſero nullam eſſe determinatam partem, niſi illam in qua inflammantur atque putreſcunt humores, & coaceruantur. In quacunque

que corporis regione minera morbi, aut materiæ fæculentæ focus reperiatur. Neque est necesse, vt bilis ad alienum lienis hospitium, pro huiusce humoris genesi deuehatur.

4. Respondeo bilem atram propriè dictam caloris esse participem, veluti acetum, & cinis ex Galen. frigida ergo est vt acetum, id est priuata calore natiuo. Calor verò illius nascitur ex putredine, quare priuatur calore naturali, & quæ putrescunt refrigerari est necesse, ex Aristot. retinet itaque calorem præter naturam, veluti empyreuma, quod fit à calore immodico. Hinc patet, quî humor calidus in frigidum transire possit: quomodo etiam calidus & frigidus diuerso respectu nuncupari valeat.

3. De causs. sympt. cap. 2.

Lib. 25, Problem. 15.

5. Humor flauus, in atrum per cocturam redigitur: Quemadmodum lignum ignitum in carbonem ardentem, mox extincto igne, in atrum colorem migrat.

6. Quomodo in acidum & fermentantem, ab amarissimo felle? Respondeo bilem atram, cuiuscumque sit saporis; aceti modo terram fermentare, & cœteras prauas qualitates obtinere: neque ęqualis acoris esse participem, modo acritudine offendat.

7. Cur igitur bilis flaua proprio folliculo, nunquam recoquitur in atram? quia in propriis conceptaculis liquores faciliùs conseruantur, quàm alibi.

Reliqua quæ afferuntur de atræ bilis officina, vel de calore efficiēte, aut caliditate humoris, ex dictis intelliguntur.

XXVIII. §. 76. Vigesimo octauo pergit impugnare atram bilem hoc dilemmate: *Bilis atra quæ primordialiter pararetur è Chylo, est eiusdem speciei cum illa, quæ gignitur è bile retorrida (nisi malint iam & quintum admittere humorem) vel est diuersa. Si eiusdem speciei: iam idem hoc aliquid, erit acidum frigidum & terreum, eritque igneum amarum, fietque proximè è diuersis materiis, dispositis ad suos fines diuersos, idque per vnicum agēs elementarium, simplex, & non seminale. Itemque bilis flaua erit subordinata, ex sui indole, ad bilem atram, tanquam ens perfectius, per elaborationem: adeoque flaua bilis non erit vnus de quatuor: sed semihumor. At saltem non percipio, cur scoria superuacanea fiat quotidie, deveatque esse de nostri constitutiuis.*

Omnes penè Medici & anatomici sentiunt, lienem sanguinem spissiorem, & limosum trahere, vt ipso nutriatur; è cuius residuo haud dubio prolicit serositatem acidam, fermenti instar, eiusdemque efficaciæ, quam ad ventriculum per arterias splenicas amandat: cuius fermenti acidi, vitalis, ac spiritalis, in splene, quo stomachus coquit, meminit Van-helmont: quo etiam deficiente corruit appetitus. Ideoq; inquit Hippocr. in febribus ructus acidos nidorosis superuenientes, bonum. Est nempe fermentum à liene inspiratum, magni tituli, & vsus totalis subiectum: & licet atræ saburræ, melancholicoq; excremento absolutè non sit dicandus: Verumtamen ex sanguine melancholico alimentario, à liene attracto separatur in vsum dictum. A quo atra bilis excremētitia in naturalem, & præternaturalem à nobis distincta, longè discrepat.

Ad argumentum: si atra bilis, quę primordialiter pararetur è Chylo, esset distincta ab illa quæ gigni-

tur à bile retorrida. Ergo quintus admittendus humor. Resp. non proinde ratione illius distinctionis esse quintum humorem stabiliendum, quia illæ species, & differentiæ melancholiæ ad vnicum atri humoris genus reuocantur, vt de cœteris humorum differētiis decretum statutumque à nobis fuit.

Quod verò obiicit Helmontius de fermentatione atræ bilis in terram cadentis, falsum esse dicens acorem terram fermentare, licèt ipsam dissoluat. Respondeo nos loqui de fermentatione impropriè sumpta, seu de ebullitione, & ampullarum excitatione, ab atra bile in terram effusa. Nescio igitur quo iure Van Helmont atraṁ bilem cēseat, nusquam ac vnquam fuisse: cum eius naturam, differentias, caussas, & effectus ad sensum, & rationis trutinam recto sermone lucidauerimus.

XXIX. Vigesimo nono fictitios esse humores, ab impertinenti probat: *Porrò, ex vnico pane & aqua, fit Chylus.*

§.79. *Si ergo in pane & aqua, quadruplex lateret humor in natura, eodem iure, omnis herbarum succus semper quadruplex esse deberet. Quod somnium esto. Donemus itaque quod ex solo pane, & aqua simplici, fiant quatuor ficti humores hi imprimis non fiunt seminaliter, atque dispositiuè ex aqua simplici elementali. Ergo ex pane resoluto, & solo, fiet chylus; & hic deinceps mutabitur in quatuor humores, ex titulo agentis hepatis. Ideoque*

§.80. *iam exorbitans, ac anomalum Iecur. Siquidem cuiuslibet agentis naturalis, vniuoca tantùm, atque simplex est actio. Necesse est ergò, vel in hepate, esse quatuor simul agentia sanguificationis, vel ruere quaternarium*

§.81. *humorum, in ficta rudera. Igitur concludo: si ex connexione agentis simplicis, & materiæ vniuocæ, procedat actio sanguificationis vitalis: ea certè, vt erit simplex; ita & nonnisi vnici humoris mater esse poterit. Sin verò propter eduliorum diuersitatem, varietates humorum in cruore fingamus: iam ex tot eduliis simul sumptis centum humores ad minimum, concedendi erunt in cruore.*

Respondeo hanc difficultatem fuisse breuiter solutam in superioribus, & potissimum in solutione primi. Addimus hic ex mente Thomæ à Veiga istius dubitationis solutionem: quomodo vna forma hepatis cum vno temperamento inducat formas quatuor humorum? nil obstat, quo minùs agens æquiuocum ob varietatem partium alimenti inducat varias formas: temperamentum autem, quo ad eas gignendas vtitur, actu quidem vnum est, facultate multa: sicut medium repræsentat extrema. Nam & membra cum temperamento vno trahunt gratia caloris, in eo temperamento, coquunt gratia humiditatis, retinent ob siccitatem, pellunt ob frigiditatem. Sic hepar variis partibus vnius temperamenti ex succo alimenti varia gignit. *Comm. cap. 37. art. Med. Gal.*

Vel aliter respondent: nullam ex illis formis hepar habet, quare nec illas succo tracto distribuit. Sed quemadmodum semina per aërem sparsa tantum mixtiones trahendo aceruant, in quas forma pro mixtionis merito à cœlo inducitur, siuè planta sit, siue animal, vt Aristoteles statuit: generantur in terra humoréque animalia & plantæ, quoniam humor in terra, spiritus in humore, calor animalis in vniuerso inest. ita vt quodāmodo plena sint animæ omnia. Quamobrem consistunt celeriter, *Lib. 3. de gener. ani. c. 11. & vlt.*

celeriter,cum calor ille cõprehensus siue exceptus est.Sic in sequestrãdis mixtionib⁹ sanguinis in hepate,author est ipũ hepar,in induẽdis verò formis pro mixtionum ratione cœlum. Cùm ergo primum conscendit chylus locum, quem portas vocant,quod est in alimento commoderatum, & alitioni vtile ab hepate trahitur,separaturque. Deinde quia calidi est heterogenea secernere, sicut similia congregare, beneficio caloris seorsum congregantur excedentia per calorem: & seorsum, quæ per frigiditatẽ deficiunt. Rursum in hepatis gibbo concrescente iam sanguine, caloris vi seorsum destillat serum. Cùm ergo dictæ mixtiones opere hepatis multiplicentur, pro earum exigentia formæ rursum distribuuntur: in partem vtilem, & ex toto confectam sanguinis: in vtilem sed semiconfectam pituitæ: in inutilem per calorem & leuitatem, bilis. In fæculentam, melancholiæ: in serosam vrinæ.

Pari Iure statuimus ab eo mixto trahi portionem vtilem solam ab hepate, alitioni suæ necessariam, in quam propter grande interuallum inducitur primùm forma sibi similis sanguinis, tandem simillima hepatis. Sicut ossa priùs sanguinem in medullam commutant, quàm osseam formam ascisc ãt.Excrementa autem singula à suis conceptaculis trahuntur, vbi & formis induuntur,partes igneæ in vesica fellea: terreæ in splene: serosæ in renibus:aëreæ autem non separantur; quia nutritio est absumpti reparatio, absumptum magna ex parte est aëreum, cui inhæret natiuus calor: ideo aërea alimenti portio, ceu vtilis seruatur, non excernitur.

Concludimus ergo, quod hepatis actio seu vitalis sanguificatio, non sit vnius simplicis humoris: quia exercetur circa succũ liquidũ, in quo facilè secedunt partes, quãdiu intenditur sanguinis generatio, excrementa plus minùs accrescunt; vnde illa humorum diuersitas certò demonstratur: vide solutionem argumenti octaui, & duodecimi. Quod si gignatur quandoque ex alimento vnus humor: vt certè in ventriculo frigido, chyli loco gignitur pituita innaturalis; quandoque sola bilis, vbi in calido ventriculo chylus corrumpitur, & in bilem excrementitiam mutatur: vt mel totum transit in flauam, brassica & cæpe in porraceam. Isti verò succi præter naturæ legem geniti, non sunt veri & legitimi humores, sed succi crudi, vel adusti. Quocirca dum Galenus asserit mel in calidis naturis in bilem conuerti, non est intelligendus de procreatione veræ bilis, sed tantum sic dictæ per analogiam, ac similitudinem: quia bilis naturalis solummodo ab hepatis facultate producitur; illa verò quæ alibi prouenit, est potius excrementum inutile, & præter naturæ ordinem prodiens: quod etiam profitendum de illo succo crudo, qui pituitæ nomen non meretur. Cõsule Highmorum de natura sãguinis, vbi rectè probat sanguinis heterogeneitatem, & succorum varietatem, tam in plantis quàm animalibus: & simul refellit Spigelij opinionem, qui tres tantum partes in sanguine contineri voluit; serum scilicet, liquorem rubrum, & fibras. *Disquisit. anatomica lib. 2. part. 3. c. 4.*

Trigesimo argumentatur, asserendo suppositum scholarum esse ridiculum, ita vt quatuor absurda inde sequi enunciet. *Imprimis ruere Ga-* XXX. §. 82.

lenum, cum suo melle, quod totum vel in cruorem, vel in bilem verti scribit. Nã vt dictũ, abutitur hæc in parte, bilis nomine. 2. Nõ procedere generationem humorũ, ex vi elementali. Quod sane nõ sequitur: cũ humores in hepate geniti, alimenti ex quo fiunt naturam retineant, quod ex humido, calido, frigido, & sicco conflatur, & elementorum proprietatibus donatur. 3. *Non ad cassum quaternarium elementorum esse recurrendum.* Ad quod Respondemus in illa comparatione quatuor humorum, ad quatuor elementa, eam nos vtilitatem elicere, quod sanguis aëreus, pituita aquea, melancholia terrea, bilis ignea, vtrorumque analogiam euidenter ostendat. Ideóque magis placet Aristotelis opinio circa elementorum quaternarium. 4. *Alioqui tam hepati esset naturalis sua bilificatio, quàm est sanguificatio.* Respondeo bilem comproductam cum sanguine esse; cuius forma pro diuersa vnius temperamenti hepatis facultate, & materiæ mixtione resultat. 5. *Cruor erit nonnisi confusa humorum connexio, generatum anomalum; non autem compositum naturale, sed necessitatibus agentium, atque finium orbatũ.* Quod iam antea refutauimus, ostendendo sanguinem esse vnum quid, non per aggregationem confusum; sed vere mixtum; cuius heterogeneïtas nonnisi per putredinem dissoluitur.

Partes vero in sanguine differentes exoriuntur, sicut à cibi; ita & alterationis in ventriculo & hepate diuersitate. Sic partẽ chyli tenuiorẽ & calidiorem à ventriculo aut hepate calido exustam, bilem vocamus: crudiorem verò & frigidiorem, pituitam dicimus; atque ambo si humores ex eodem cibo, in diuersis tamen organis, generari possunt, vti melle comesto explicare valemus: quod à calore in ventriculo aut hepate nimio in bilem vertitur, in nimium frigido ventriculo, aut hepate in materiã crudã facescit; à calore moderatiori in laudabilẽ cõmutatur.

At verò licet in sanguine hæc partium diuersitas; vt in humores excrementitios facilè mutari possit, inueniatur, vbi intemperies aliqua concoctionem debitam impediat: humores tamen illi excrementitij in sanguine bono actu non reperiuntur, sed illum partes habere biliosas, hoc est tenuiores, & melancholicas, hoc est crassiores, pituitosas, hoc est, crudiores, dici poterit; ita vt quæ magis à mediocritate recedunt, in propinquo sint vt in alios humores mutentur; quod fit cùm in venis, aut hepate, aut corde calore naturali non rectè gubernentur, vel extra vasa segregentur; & tunc sanguis biliosus in bilem, pituitosus in pituitam, melancholicus in melancholiam migrat.

Trigesimo primo aliquot absurda comitantia opinionem de melle Galeni, enumerat: *Vertiginosus itaque totus Galenus, qui totum mel nũc in sanguinem, nunc in bilem verti asserit. Primò defuit huic temerario assertori nuntius, qui certiorem redderet, quid, quantumque de mellis totalitate esset factum.* Adeóque temeritatis & figmenti totus est suspectus. Respondeo ista verba dogma Medicorum non subuertere, quo firmiter asseritur dulcia in naturis calidis bilescere, vt mel: hoc enim certo certius est, siue id totaliter contingat, siue ex maiori parte. Siue in ventriculo ex alimento producatur talis succus biliosus in quibusdam temperamentis, per analo- XXXI. §. 83.

giam bilis dictus; siue in hepate ex talibus alimentis, bilis excrementitia multa proueniat.

2. Deest affirmanti veritas. *Siquidem in natura deficit bilis, ideóque & complexio cholerica.* Huic non est adhibenda fides, qui sensui reluctatur; quomodo deficit bilis, quæ quotidie generatur, atque in vesiculam bilariam amandatur.

3. Ille enim: *Qui membrorum proprietates, per ingentia volumina solis attribuit elementaribus qualitatibus: ex solo calore actuali hepatis vnius, quaternarium humorum; in vnica sanguificationis actione, constitui scribit constanter. Cum tamen actualis calor, in vnico membro, nequeat non esse simplex vno eodemque tempore.* Hæc dubitatio sæpiùs fuit soluta, vt in præcedenti argumento vnusquisque colligere poterit, quî ex vnico hepatis calore quatuor humores producantur: quia entium diuersitas, seu humorum multiplicitas, non tam pendet ex vnius caloris simplicitate, quam illius varia actione, circa partes eiusdem materiæ mixtas, ratione cuius nulla est implicantia productionis quaternarij, quã sequi inferebat Helmõtius.

§. 84. XXXII. Trigesimo secundo, inde admonet sodales, quod nullatenus cogatur: *Ad commentum quatuor humorum; Etenim quæ diarrhœâ, cholerâ, & vomitum feculentiis excernuntur, non sunt humores scholis iactati, sed sunt excrementa, quæ morbus vindex fabricat, & expellit. Prout & quos laxatiua eiiciunt; sunt integri cruoris corruptela. Neque morborum Ianua fictis humorum persuasionibus clauditur, cum iuxta Philosophiam, nunquam ex ente transmutato eliciuntur illa, vnde in fieri esse, naturaliter constituitur.*

Istud argumentum sæpè sæpius fuit nobis propositum, atque solutum: iam ostendimus quomodo illi humores qui per corruptionem prodeunt, non erant actu in sanguine, iuxta axioma illud: sed hoc non impedit quominùs ex diuersis sanguinis portionibus diuersimode immutatis, prædicti humores excrementitij secedant, aut per vim pharmacorum eliciantur, & licet nouam formam acquirant, attamen sub eodem humorũ genere cõprehẽdũtur. Verbi gratia illa bilis, quæ à sanguine bilioso separatur, licet non sit naturalis, atque vtilis, nihilominus sub bilis genere continetur.

Trigesimo tertio arguit ex suppositione falsi de elementis, per dilemma. Enim verò, si non permaneant elementa cum suis formis in misto: nec etiam poterunt permanere illorum proprietates: cum ipsæ formæ sint immediata subiecta inhæsionis suarum proprietatum. XXXIII. §. 85.

Ad id Respondemus elementa esse in mistis secundum formas medicè loquendo, id est, qualitates refractas. Dum verò dissoluitur mixtum; elementa redeunt ad suam naturam, non numero eadem, sed specie per nouam generationem: qualitates autem repressæ, refractæque manere dicuntur, cum mutuâ actione & perpessione, totæ totis, vt loquitur Hippocr. in materia permistæ fuerint, & complexionem siue temperiem homini propriam constituerint.

Quum verò obiicitur elementorum proprietates non permanere in misto, si absint formæ, quæ sunt illarum subiecta: Respondeo remanere repressas, & refractas, non verò sub tali intensione, quâ cum formis cohærebant.

Sin verò malint elementa permanere cum suis formis in misto : iam vel formæ istorum non erunt actus substantiales, at solum vincula elemẽtorum. Redibunt namque semper integra, è singula suppositi conquassatione.

Attamen hæc ratio non sufficit ad probandum, non permanere elementa cum suis formis in mixto; sic ergo arguẽdum erat : si formæ substantiales remanerent in mixto, per actum quem vocant completum, fieri non posset alterius formæ substantialis introductio. Nam ex axiomate recepto, quicquid aduenit enti & substantiæ in actu per se existenti, est accidens non substantia. Per illos etiam, plures materiæ partes sub elementorum formis subsistentes, plurium corporum rationem obtinerent, non vnius, scilicet humani : & hæ formæ tam discrepantes vix secum, vel cum mixti forma stare possent, quin citò dissoluerentur.

Ergo cum forma mixti sit necessariò purus & simplex actus vltimatus: non potest (inquit) esse quadruplex (imò quantumuis materialia, ac remota materiæ illius principia, essent ipsa actualia elementa) & per consequens, non est ratio fingendi quaternarij humorum, ex parte agentis. Eò quod actio sanguificationis; neutiquam sit elementalis : sed vitalis, & fermenti Iecorarij : cuius omnimoda simplicitas non potuit respicere finaliter humorum quaternionem, ex vniformi optiméque vnito chylo oriundum.

Respondemus in singulis coctionibus esse diuersas facultates, tum diuersa fermenta, atque separationes multiplices. Proindeque licet sit vna forma mixti in cruore, vnicuísque hœmatoseos actus, isque vitalis, attamen cremoris sanguificatio, & excrementorum segregatio, vnâ eademque operâ non perficiũtur; ideóque cùm ad ista concurrere debeat vis sanguifica, fermentum Iecorarium, acidus liquor à liene ad ventriculum confluens, amarus & salsus à vesicula fellea ad duodenum : & ambo à sanguine in hepate, & venis elaborato procedant, necessariam heterogeneïtatem sanguinis arguunt : quam quaternario humorum numero distinguimus, nempe sanguinis, pituitæ, bilis flauæ, & atræ : quorum qualitates elementis corporum naturalium respondentes agnoscimus; cum quibus maximam cognationem habẽt, licet calido eminentiori donentur, & ipsarum qualitatum refractione, sub formæ nobilioris imperio, excellentiorem naturam supra elemẽta obtineant. Hinc naturæ ignis non vrit, sed coquit, viuificat non corrumpit, extranea segregat, vtilia ad nutritionem congregat, proportione respondet æthereo calori, seu stellarum elemento.

Ex his constat veritati esse consentaneum, quod censet Hippocr. corpus autem hominis continet in seipso sanguinem, & pituitam, & geminam bilem, nimirum flauam, & nigram : quibus natura corporis illius constituitur, & per quæ ægrotat, ac sanitate fruitur. *Lib. de nat. hum. text. 19.*

Sanitas & morbus, cunctæque corporis affectiones ex his quatuor humoribus proueniunt : per ea nãque quispiam ægrotat, per quæ constituitur. Partes verò constituentes corpus humanum, iuxta Hippocratem, sunt continentes, contentæ, & impetum facientes, sub quibus humores, & spiritus comprehẽduntur. *6. epid.*

Ex

Ex his quatuor humoribus, sanationis, atque morborum necessitates dictantur.

XXXIV. Trigesimo quarto Helmontius nostra tela retundere volens per leues congruentias, in prauos errores incidit. *Obiicient fortè (inquit)* §. 87. *admittis causam sonticam depellendam, vetas laxatiua, quia venenosa, cruorem autem, atque vires vitales subtrahunt, Sed ab equo Hūgariæ didicere venæ sectiones; ab aue clystères, &c. Ergò verum dicam cum Propheta. Nolite fieri sicut equus, &c. Nolite discere à magistris talibus. Subscribet enim meo voto pars dimidia continentis. Quippe sub imperiis Othomanico, Abyssino, Indiarū parte potissima; est vena sectio inusitata. Harum tamen nationum rōbora, agilitates discite ex historiis. Meritóque mecum lugebitis nationes, olim bello formidabiles; hodie, sensim sub medentibus euasisse moribundas.*

Ad hoc dicimus, in quibusdam nos conuenire cum brutis: ita est in copia sanguinis, quidni ergò, quod videmus in illis per instinctum fieri, idem per rationis adiumentū exequutioni mandabimus? si aliæ nationes venæ sectione non vtantur, non est proinde par gentis & nationis nostræ ratio, atque proportio: quia vel illæ victu temperatiori, & parciori gaudent, vel aliarum causarum salubritate potiuntur, vt plethoram effugere valeant: vel vacuationes ex diuersis corporis partibus naturæ impetu patiuntur, quæ illas à morbis à repletione pendentibus liberant. Verùm in statu præsenti, & seculi intemperantia nullâ ratione phlebotomia recusari debet, quum ob varios incursus sæ, è homines hacce tempestate incidant in affectus, qui confertim hanc sanguinis vacuationem requirunt: vt est plethora, inflammatio, & sanguinis motus, atq; putredo coniuncta cum morbi magnitudine, & virium robore, indicantia vacuationem, reuulsionem, deriuationem, & sanguinis euentilationem venâ sectâ; vt experientiâ longâ comprobatum & receptum habemus. Scio in nimis liberali sanguinis missione plerosque Medicos aberrare: sed in competenti quantitate celebrata, & rectâ indicatione designatâ, atque insinuatâ, nullus error, nullaque vana formido à medicinæ Hippocraticæ & Galenicæ legibus statutis, & stabilitis nos deterrere debet, aut valet.

Lib. de nat. hum. text. 19.

6. epid.

Trigesimo quinto, dum ei obiicitur: *Si præsidia vniuersalia demas, nec ad humorum ablationem te dirigas, quo ergo medio, superabis morbos? Respondet cum præfatis nationibus, naturam esse morborum medicatricem, eam confortandam ideò, non consternandam. Finium promotione opus esse. Si enim sordes primis adhæserint latebris: insistendum resolutiuis, & abstersiuis, natura tutò satagente reliquum. Sin verò penitiori recessu aliquid pertinacius occultiusque restiterit: assumenda sunt alcalia volatilia, quæ instar saponis cuncta abstergunt. Inter quæ laudat mirifice sal tartari volatile factum,* XXXV. §. 88.

Hæc cum Helmontio perficere conamur, & cum eo conuenimus, vt quotidianâ experientiâ, diuersas morborum myriadas, ab his scaturiginibus prodeuntes, certò, & tutò profligamus, ac eliminamus.

Externa autem, tam topicis, quàm internis vitalium potestatū suppetiis curantur: modo per diaphæresim, cruoris clarificationem, balsamique noui §. 89.

tincturas, ac redintegrationes intendatis. Maiora autem arcana, ad remedij vniuersalis fastigium quodammodo ascendunt.

Quodnam vero sit illud remedium vniuersale, didicimus ab Helmontio, dicente istud remediũ esse præcipitatum diaphoreticum Paracelsi, quod omnem sanat febrim vnicâ potione. Hecticam autem intra lunæ cursum, &c. eius descriptio, est tam in lib. de morte rerũ, quàm Chyrurgiâ magnâ, illãq; nonnihil manifestiùs declarat.

Cap. 14. de febrib.

Accipe puluerem Ioannis de Vigo propriâ manu paratum: nam alioquin admisto minio, est adulteratus, prout & qualecumque medicamen Chymicum, quod venale exstat fraude plenum est. Hic puluis affuso elemento ignis, de vitriolo veneris extracti, cum aqua regia cohobandus est quinies, sub finem augendo ignem: nam fixatur planè. Et est puluis valde corrosiuus. Qui dein cohobetur decies cum aqua vitæ optimè dephlegmata. & vicibus singulis renouata, donec omnem corrosionem secum abstulerit. Et tum iste puluis, instar sacchari dulcis est. Fixus est puluis iste, & dicitur aurum horizontale. Etenim paucis absolui secretum, quod Medicum nobilitat. At istud parasse pro prima vice, est ingentis operæ, pendetque eius directio à manu eius cui debetur omnis honos: quia paruulis reuelat eiusmodi arcana.

Enim verò tale remedium tanti est laboris, & tantæ impensæ, vt præter Helmontium Alchymistam ditissimum, & expertissimum, nullus reperiri valeat, qui ad hunc scopum peruenire potuerit. Quod si quis audacior & Chymicolus hoc perfecisse glorietur, is sane ausu temerario hoc opus difficile, magnique pretij, perperam sibi ascribit, ideóque circulatoris, chrisopœiæque meditatoris, pharmacorumque adulteratoris nomen habere meretur. Etenim sub specie huiusce remedij aliquid supra vulgus scire iactitat, & fugacem famam sibi mẽdicare peroptat, vt solent agere empyrici, & circulatores. Et vt verum profitear cùm nulla assignari possit indicatio curatoria vniuersalis, vt probauimus in nostro tractatu nondum typis commisso, nullum etiam Catholicum remedium admittendum censemus.

De veritate Hippocraticæ Med. sect. 2. cap. 7.

Ex iam dictis & stabilitis, facilè alia argumenta diluuntur, quæ in superfœtatione supplementaria, ad humorum fallaciam ab Vanhelmontio afferuntur; quæ repetitionis inutilis vitandæ causa silentio prætermitto.

D. GABRIELIS

D. GABRIELIS FONTANI, MEDICINÆ DOCTORIS, MASSILIENSIS, IACOBI FILII:

EPITOME TRACTATVS DE FEBRIBVS.

Cui adiuncta eſt tetras grauiſſimorum capitis affectuum, vertiginis, epilepſiæ, conuulſionis, & apoplexiæ; nec non ſelecta opuſcula practica.



Nobiliss. Clarissimoque Domino

D. ANTONIO DE VALBELLE DE HVC,

REGIS CONSILIARIO, ET Maritimæ Mediterranei præfecturæ Prætori æquissimo.

GABRIEL FONTANVS, Medicinæ Doctor S. D.

ANTIQVI Catonem insigni prudentiâ donatum, Socratem sapientiâ, Demosthenem eloquentiâ dignè laudarunt. Ego verò te omni genere virtutum & gratiarum præditum, laudibus eximiis celebrandum censeo: prudentiam tuam conspicio; docilitate, solertiâ, & iudicio cõsociatam, tum in multitudinis regimine, magistraturâ, & νομοθετικη, tum politica communis boni gratia, tum œconomica inferiorum recto moderamine. Iustitiam tibi connatam prædico, qua suum cuique tribuis, & alterum non lædis, suaui cum affabilitate cunctos ad te confluentes suscipiendo. Fortitudinem intueor, quatenus ardua & difficilia quæque aggrederis, & constanter sustines, & generosè ac magnificè operaris. Tũ demum temperantiam demiror, qua humanos animi motus sub rationis imperio comprimis & coërces, su-

periores erga ſubditos facilè compeſcis, necnon æquales inter ſe concilias: & iuxta iſtam nobilem virtutem nihil plus æquo dicis, deſideras, aut agis. Quidquid tandem antiquitas de Q. Metelli fortuna & felicitate prædicauit, id tibi debito honore deberi profiteor: cui optata pro votis contingebant, vt ſcilicet fortiſſimus princeps auſpicio ſuo maximas res gereret, maximo honore decoratus ſapienter ſe gubernaret, liberoſque bene natos educaret. Pari modo & iure te inclytum virum, magiſtratum æquiſſimum, non ſolùm virtutibus, ſed etiam generis nobilitate præſtantem, bonorum omnium cumulo ornatiſſimum, boni publici amatorem, in rebus & negotiis tum publicis & priuatis adminiſtrandis fortunatiſſimum dico, & voueo; vt diuina benedictione fœcundum deinceps tibi & tuis, cum ſolito & merito honore viuere valeas. Hoc tibi opuſculum Medicum ſub tui nominis, & numinis vmbra conſecro, ac dedico; vt tui fauoris merito perennare queat: vt & ego perenni voto & cultu me tibi offero obſequiosè deuotũ. Maſſiliæ Kalẽd. Ianuar. 1653.

TIBI addictiſſimus Gabriel Fontanus. Med.

EPITOME




EPITOME TRACTATVS
DE FEBRIBVS.
PROOEMIVM.



VM febrium tractatio in actu practico sit magnopere necessaria, eâ potissimum ratione, quia nullus ferè morbus acutus inuenitur, qui comitem febrem non habeat. Febres autem illius sunt conditionis, vt omnes corporis partes simul lædant, & cùm per se solæ frequentes sint; præterea parum abest, quin omnibus periculosis affectibus commisceantur; in quibus curandis ita occupamur, vt vix vnquam aliis ægris sanandis præesse soleamus quàm febrientibus. Hinc percelebres Medici post Galenum & Auicennam in hoc subiecto multum insudarunt. Attamē semper aliquid desiderari videtur, quod præ cæteris D. Antonius Merindolus iudiciosè perfecit, ita vt nihil ampliùs vltra hac in parte inuestigari valeat: essentiam quippe febrium planè demonstrauit; differentias singulas ordinatim expressit, causas, & signa tam diagnostica quàm prognostica, ac demum curationem apprimè proposuit. Verùm quia ars longa est, & iudicium difficile, ideò breuitati consulendum, vt præceptiones in compendium redactæ faciliùs menti occurrant, cùm in praxim eas redigere cupimus. Quamobrem hanc materiam quam author olim viuâ voce nobis proposuerat, & typis deinde mandauerat, cum publica omnium Doctorum approbatione, visum fuit in epitomem recudere, & mentem doctissimi viri de republica bene meriti, strictiori sermone propalare; quod

si rectè hæc in parte operam meam impenderim, eo marte feci, vt hæc doctrina breuior & dilucidior appareret: quam vobis liberè rependo, vtpote cunctarum difficultatum enodatione illustratam, probatissimorum doctorum authoritate confirmatam, & singularium præsidiorum descriptione ornatam consecro, vt deinceps amplissimum in praxi profectum percipere valeatis; quem vobis feliciter successurum exopto.



EPITOME



EPITOME TRACTATVS DE FEBRIBVS.

CAPVT I.

De nomine & definitione febris.



FEBRIS à feruore Latinis dicta, apud Græcos πυρετὸς appellata, ab Hippocrate ignis nominatur, cùm vehementissimam febrem nobis repræsentat; contra idem leuiùs febrientem calefactum tantùm dixit.

Est autem febris calor pr. nat. auctus, à corde in vniuersum corpus diffusus, actiones sensibiliter lædens: in qua calor pr. nat. auctus dicitur, vt morbi species sub qua continetur febris, intelligatur. Est enim morbus in intemperie eâque calidâ; cùm siccitas quæ illi consequenter vt plurimùm adiungitur, tunc solùm adueniat, cùm caloris vis iam diù inualuit, neque semper ipsa morbosa existit. At neque siccitas necessariò febri coniungitur: cùm in Ephemera nulla siccitas introducatur; & in plurimis febribus pituitosis, & pestilentibus corpus nimio potius humore diffluat, quàm exsiccetur: ita vt liberè profiteamur in omni febre calidam intemperiem actu solam aduerti, illi tamen in potentia siccam adiungi.

Præter naturam auctum febrilem calorem diximus: quod licet idem sit specie cum præexistente naturali, in eo tamen quod per additionem gradus ex naturali factus sit pr. nat. & animali infensus, & intensior redditus, formalem febris rationem constituit. Quare rectè Galen. comm. 1. in 14. Aphor. febrem ait esse calorem natiuum cõuersum in igneum; non conuersione substantiæ, sed qualitatum. Non autem id solùm quod naturale & temperato est additum, febris esse dicitur: sed totus ille calor qui ex prioribus temperati gradibus & superadditis, à quibus intemperatus redditur, vnicus simplex & singularis sed intensior exurgit, vt in lib. de calido innato fuit explicatũ.

Postmodum febrilem calorem à corde diffundi asserimus: vt primarium illius subiectum explicemus; cùm enim alibi calor accenditur, vel in Iecore, capite, articulis, non tamen sequitur inde febris, quàm cor vnà calefiat, vt docet Galen. 1. de differ. febr. cap. 3. vel etiam secundum quid sui calefactum sit. Illud enim cùm sit innati caloris fons; vt naturalem in reliquũ corpus effundit: ita vbi semel præternaturalem conceperit, eundem proximè in alias corporis partes solùm aptum est expandere.

Cordis substantiam in omni febre secundum quid calefactam esse

oportet; quia morbus est qualitas permanens, quæ solùm in parte vitam habente recipitur: nulla autem in corde est pars viuens, præter ipsius substantiam, spiritus enim & humores intra ventriculos contenti, nullius sunt vitæ participes, vt probatum est lib. de spiritibus.

Neque proinde omnis febris est hectica, nam oportet ad hecticam omnem cordis substantiam calere, & ad æqualem intemperiem perueniſſe. In cœteris autem sufficit, idem secundum quid sui incaluisse: quia dum calefit, quidpiam iam inest in eo calefactum.

Diffundi eum calorem in vniuersum corpus diximus, vt febris adæquatum subiectum connotaremus; nisi ea diffusio communicari impediatur, vt in rigore febrili, lipyria, epiala, & colliquantibus quæ ad interitum inclinant.

Tandem diximus eum calorem actiones sensibiliter lædere, intelligendo non de singulis generum, sed de generibus singulorum: quia cùm in quacunq; febre fixum mẽbris calidum vitium contraxerit, idipsum verò sit princeps facultatum animæ instrumentum; fieri non potest, naturalis animalisque facultatis functiones vndequaque illæsas esse, maximè verò naturales.

CAPVT II.

De febrium differentiis.

Febres ab inuicem vel essentialiter, vel accidentaliter differre necessum est: quarum essentia si ex parte formæ consideretur, quia ea simplicissima est, nullis differentiis potest in diuersas species contrahi. Si verò ex parte materiæ, seu primarij subiecti (quod & illis essentiale quadan enus est) febres spectentur, pro partium ipsius varietate, & lædendi diuersitate, aliquam distinctionem essentialem admittere possunt. In quo tamen subiecto explicando multi perceleres viri cum Galeno peccare videntur: quod non solùm cordis corpus pro febris subiecto statuant, sed humores etiam & spiritus qui in eius ventriculis continentur.

Dicimus cor non aliter ac cœtera mixta eam habere partium heterogeneitatem, vt triplici substantiâ conflетur; quarum vna tenuior est & spirituosa: altera crassior sed humida, humorosa dicta reliquarũ compago. Tertia demum terreæ corpulentiæ præ reliquis maximè est particeps, so idæ nomen obtinuit. Quarum non solùm aliæ aliis faciliùs accenduntur: sed præterea singulæ ex calore pr. nat. concepto, variam reliquo corpori nocendi rationem subeunt. Etenim cùm primùm spirituosa cordis substantia superincaluit, totius corporis innatum calidum à naturali temperie distrahere aggreditur. Vbi verò humorosa iam accensa est; illius naturalem crasim corrumpit. Ac demùm cùm solida eiusdem visceris portio calorem præternaturalem contraxit: tum primùm calidi innati humidique eidem consociati substantiam exoluere adoritur.

Hæc triplex substantia prout variè est affecta, calidum etiam corporis diuersimodè mutans curatiuas indicationes dispares suggerit. Iure ergo antiqui ex triplici ea differentia subiecti, tres primarias febrium differentias constituerunt: Ephe-

meræ ſcilicet, humoralis ſeu putridæ,& hecticæ.

Ephemeram eam vocamus, in qua ſpirituoſa cordis ſubſtantia à calefactis contentis ſpiritibus, aut ſanguinis ſupercalefacti vapore incaluit; dum interim calefiunt reliquæ, & influens calidum diſtemperatum, innatum calidum membris infixum alterare aggreditur.

Humoralem aut putridam dicimus, in qua ab humorum putridorum incurſu non ſpirituoſa ſolum, ſed præterea humida eiuſdem viſceris ſubſtantia ſupercalefacta eſt, dum incaleſcit ſolida, & natiuum calidum ſolitò acrius euaſit.

Hecticam demum eam nuncupamus, in qua ſolida eius portio cum aliis heterogeneis partibus ſimul accenſa eſt. Fieri enim non poteſt craſſiorem illam cordis portionem tardiùs calorem concipientem accendi, quin cœteræ ad calorem admittendum multò magis habiles ſuccendantur, quàm ſolida. Ita rariſſimè hectica in primis diebus fit, ſed Ephemeræ ſuccedit, aut putridæ ex Galen. 2. de criſib. cap. 13. nonnunquam tamen ob magnam præparationem in valde ſiccis, ſolidiorem ſubſtantiam ſimul & ſemel, nulloque ſenſibili medio interuallo intercedente, cum reliqua cordis ſubſtantia, à principio accendi contingit, vt adnotauit idem Galen. 1. de differ. feb. cap. 8. vbi aduertendum eſt, quòd ſi cùm humoroſa ſubſtantia incaleſcit, ſpirituoſa ſimul accendatur, Ephemeram humoroſæ coniunctam non eſſe dicimus; vti nec corde ſecundum omnes ſui partes pr. nat. æſtuante, Ephemeræ humoroſam & hecticam conſociari: ſed quia vtroque caſu vnicum totale ſubiectum ſecundum plures ſui partes accenditur, & conformis eſt artis operum intentio quæ emendandæ putredini, atq; hinc febri tollendæ incumbit, vnius humoroſæ febris, aut hecticæ tantùm nomen illi aucto incendio tribuimus: quod ſi diuerſæ concurrant indicationes, tum hecticæ febris, quæ refrigerationem & humectationem expoſcit: quum putreſcentis materiæ iunctæ, quæ mitificationem requirit, putridam hecticæ coniungi dicimus. Etenim ad artis opera omnia dirigentes, ob indicationes quæ operum artis ſũt directrices euariatas, ipſas etiam denominandi rationes variamus. Vt morbis complexis, qui vniformiter in indicando procedunt, ſimplex nomen tribuimus.

Principes hæ febrium differentiæ rurſus in alias ſpecies diſtinguuntur, quarum ſubdiuiſionem ſuo loco perſequemur.

Præterea aliæ febrium differentiæ afferuntur, quæ ab his capitibus deſumuntur, quæ merè per accidens febri adueniunt. Atq; hinc aliæ ſimplices, aliæ compoſitæ aut complicatæ appellantur. Quæpiam item primariæ vel per eſſentiam dicuntur, quòd ex ſeipſis incœperint, & nulli priori morbo ſuperueniant. Aliæ ſymptomaticæ, quòd alios conſequantur affectus, ſcilicet vel partis alicuius inflammationẽ, vel meſenterij aut viſcerum obſtructionem; quibus curatis, curentur & illæ. Pleræque aliæ differentiæ cœteris morbis communes afferri poſſunt, quas in Pathologia iam ſatis fusè ſumus perſequuti cap. 3. lib. 1. tractat. 3. partis theoricæ. Verùm febribus peculiare eſt, vt pro varietate ſymptomatum quæ febres conſequuntur, plurimæ aliæ

differen-

differentiæ proponatur. Hinc enim quædam ad tactum mites, aliæ acres & mordaces nominantur. Atque ex his aliquæ promptè exardentes, aliæ post insurgentes, aliæ quæ à manu vincuntur, seu quarum acritudo à tangente non diu sentitur: vt habetur apud Hippocr. 6. epide: sect. 1. text. 29.

Quædam ἀσώδεις seu fastidiosæ dicuntur, quæ cum anxietate & inquieta corporis iactatione adueniunt.

Aliquæ πεμφιγώδεις nuncupantur bullantes, flatulentæ & aspectu terribiles, quæ veluti scintillarum occurrentium manui sensum præbent. Quæpiam syncopales vocantur, aliæ colliquantes, &c.

CAPVT III.

De vniuersalibus febrium causis.

EA omnia febrem excitare possunt, quæ calorem nobis insitum ita intendunt, vt incrementum illud caloris ad cor vsque pertingens, toti corpori communicetur: talia verò à Gale. lib. de caus. morbo. cap. 2. & 1. de differ. febr. cap. 3. ad quinque referuntur. Quorum primum est, cuiuscumque corporis calidioris vicinia & applicatio ab extra: sic insolatus, diuturnior in hypocausto mora, & longior calidioris balnei vsus febres accendunt.

Secundum est vehementior omnis interni calidi tam influentis, quàm fixi attenuatio & feruor, ab aliqua nostrarum actionum ad nimiam contentionem progressa excitatus. Ita sollicitudines, curæ, ira, & tristitia spiritus ad ima contrahens, & liberè transpirare impediens; immoderata item exercitia, venus, inedia, & longiores vigiliæ: humores & spiritus attenuando, atque totius corporis calorem intendendo, febres inferunt.

Tertium est putredo, per quam fit separatio calidi humidi à sicco; indeque calor per secretionem eorum à quibus in mixtione temperabatur, intensior redditus febrem excitat.

Quartum est diuturnior retentio fumidi calidi continuò ex solidiore membrorum substantia effluentis: quod copiosiùs intrò asseruatum, quæque vehementiùs calefacit.

Quintum est eorum quæ assumuntur tam ciborum & potuum, quàm medicamentorum calidior temperatura, quæ non augendo calidi natiui substantiam, sed nouum caloris gradum imprimendo calorem nostrum intendunt.

Causæ istæ in corporibus dispositis & aptis, ad talis affectus impressionem suscipiendam, faciliùs concurrunt: & quisque magis aut minùs paratus est febre corripi: vel pro varia temperie, vel pro diuersa corporis textura, secundum quam corpora quò rariora & tenuiora sunt, eò faciliùs ab extra alterantur: quò verò & crassiora & densiora, eò faciliùs ab intra offenduntur, & contra.

Ex parte verò temperamenti, cùm varia sint febrium genera, ad singula, singulorum temperamentorum dispar est aptitudo. Nam ad febres diarias, atque ad hecticas dispositi sunt calidi & sicci, mox ab his calidi tantùm: tum sicci tantùm, quartò calidi & humidi, & quintò temperati. Contra minùs dispositi ad prædictas febrium species sunt, primò frigidi

frigidi & ſicci, at minùs adhuc frigidi tantùm, atque omnium minimè frigidi humidi.

Ad putridas autem febres multò propenſiores indicantur, primùm calidi & humidi: tum humidi tantùm, tertiò calidi tantùm, quartò calidi & ſicci, quintò temperati. A putredine verò concipienda magis alieni ſunt frigidi humidi, magis adhuc frigidi tantùm; at plus his ſicci tantum, atque omnium maximè frigidi & ſicci, quales ſunt ſenes qui ex propria temperie rariùs febriunt ex Hippocr. 39. ſect. 2.

CAPVT IV.

De communibus febrium signis.

FEBRIS quæ cœteras ægritudines nocendi vbertate præcellit, non ſuo ſolùm ſe comitatu prodit, ſed ipſa etiam præ reliquis apparere gaudet. Quæ cùm ſuam habeat eſſentiam in calore pr. nat. aucto, ipſa per ſe ſatis manifeſtatur: verùm quia variam ſpeciem induit, non eiſdem ſemper ſymptomatibus ſtipatur. Quædam aliquando quaſi lictores præmittit ſui aduentus prænuncios, laſſitudinem, capitis grauitatem, coloris totius mutationem, artuum torporem, ciborum faſtidium, nauſeam, oſcitationes, pandiculationes, & ſimilia. Alias ſine his cum rigore vel horrore, & corporis concuſſione aduentat. Nonnunquã derepen e aduenit, variâ plerumque ſuccedente ſymptomatum turbâ. Ea tamen quæ febrientes frequentiùs infeſtant, ſunt capitis & bregmatis maximè dolor, lumborum ardor, vigiliæ aut inquietus ſaltem ſomnus, corporis ad voluntarium motum imbecillitas, ſitis, linguæ ariditas, guſtus deprauatio, æſtus ingens, & corporis iactatio, reſpirandi difficultas cum ſpiritualium membrorum oppreſſione, nauſea, vomitus, alui fluxus, ſingultus, animi deliquium, delirium, & alia huiuſmodi.

Verùm præ cœteris omnibus ſymptomatis, familiarior eſt perſeuerans pulſus celeritas ſingulari inæqualitati coniuncta: calore namque cordis pr. nat. aucto, pulſus vſum augeri neceſſum eſt: cui plurimùm aucto, & facultate nondum infirmâ, magnitudine & celeritate ac nonnunquam crebritate ſubuenire ſtudet. Quum verò per contractam intemperiem facultas imbecillior reddita, aut arteria durior, tunc frequentiâ, magnitudinis & celeritatis defectum ſupplet, vt habemus apud Galen. 1. de cauſ. pulſ. cap. 5.

Celeritati verò pulſus, inæqualitatem ſingularem coniungi dicimus: quod in vnoquoque febrium genere, perfrigerationis & expulſionis fuliginum diſpar ſit neceſſitas. Ea verò inæqualitas quæ penes dyaſtoles & ſyſtoles ad inuicem collectam celeritatem attenditur, non eiuſdem rationis eſt in omnibus febrium generibus, vt infra explicaturi ſumus.

Quod ad prognoſim ſpectat notabimus febrem vnam ex cauſis eſſe, quæ perducit ad mortem, quod ex mitiore neglecta in deteriorem facilè vertatur. Quæ ſenibus, mulieribus, hyeme, exercitari conſuetos, non aſſuetis ægrotare, & imbecillibus adueniunt, periculoſiores ſunt cæteris paribus: quàm ſi iuniores, viros, æſtate, otioſos, febrire ſolitos, & robuſtos inuaſerint. Si-

quidem ex Hippocr. 2. aphoris. 34. in morbis minùs periclitantur quorum naturæ, aut ætati, aut habitui, aut tempori magis congruit morbus quàm quibus secundum nihil istorum congruit, est etiam illud febribus vt cœteris morbis commune ex eodem Hippocr. 2. aphor. 30. circa principia & fines omnia imbecilliora, circa status omnia vehementiora. Aliquando tamen febres veniunt ad salutem, vt quæ conuulsioni superuenit, dolores circa hypochondrium sine inflammatione obortos soluit, grauedinem & raucedinem concoquit.

CAPVT V.

De vniuersali febrium curatione.

CVM ad febriũ vt cœterorum morborũ curationẽ sufficiat, contrariis agere, quibus morbus expugnetur: soli perfrigerationi incumbentes, calorem illum superauctum (quem febrem appellamus) abundè retundemus. Verùm quia dum morbo obsistimus, conseruandarum virium semper est habenda ratio: ita perfrigerandi ille scopus temperandus est, ne vltra cuiusque natiuam temperiem quẽquam perfrigeremus. Ac quoniam qui præter naturam auctus est calor, si causam habeat præsentem à qua intenditur: multò difficilius remittitur, quàm semel eâ causâ sublatâ: in eo laborandum est, vt causam febrem incendentem tollamus, & postmodum in curandi morbi reliquiis occupemur. Quod si symptomata grauem molestiam ægrotanti inferant, diuertendum est à recta methodo; iisque vt vrgentioribus prospiciendum. Quæ omnia cum triplici instrumentorum genere exequamur: victus ratione, pharmaciâ, & chyrurgiâ; horum præcepta vniuersalia in alio tractatu methodi generalis exponuntur, & reliqua sigillatim docẽda sunt, dum singulas febrium species percurremus.

CAPVT VI.

De febris ephemeræ cognitione & curatione.

CALOR pr. nat. in spirituosa & tenuissima cordis substantia accensus, atque inde in vniuersum corpus diffusus, actiones lædens: eam febris speciem constituit, quæ ephemera seu diaria appellatur, & intra viginti quatuor horas terminatur.

Non vna diariarum conditio est: nam licet ab vnitate subiecti non differant, attamen duratione & causâ distinguuntur, vtrimque curatiuis indicationibus diferẽtes. Ephemerarum ergo alia legitima est, alia spuria. Ac legitimã quidẽ aliam exquisitam, aliam non exquisitam agnoscimus. Legitimam & exquisitam eam appellamus, quæ à causa procatarctica minimè perseuerante, spiritibus supercalefactis accenditur, & intra diem naturalem per insensilem transpirationem finitur. Non exquisitam eam dicimus, quæ ab externa quidem causa eâque perdurante excitatur: quæ ideo ad alterum aut tertium diem prorogatur: & ephemera producta nuncupatur. Spuriam eam appellamus, quæ vel ab interna causa, leuius incendium in spiritibus procurante, vel à quacunque sanguinis feruorẽ

inferente

inferente excitatur. Quæ solet vltra vigintiquatuor horas, ad quartum vel quintum vsque diem efferri; & cum sudore desinit. Quæ synochus non putris dicta suas habet differentias: quòd vel à principio ad finem feruor ille sibi æqualis perseueret, acmasticā vel homotonam faciens; vel sēsim increscat, & epacmasticam seu increscentem faciat; & demum sensim decrescat, & paracmasticam seu decrescentem causet.

Quæritur num ephemera sit semper continua; an verò intermittens per periodos recurrat. Resp. cùm in exquisita ephemera, & synocho nullus relinquatur fomes, nullum etiam periodicum habere recursum. In quibusdam tamen, quæ vel cum defluxu in determinatam partem, aut à crudorum succorum agitatione, vel à non magna cutis obstructione nascuntur: talis plerumque recursus aduertitur, docente Gal. 8. meth. cap. 4. ad finem.

Causa proxima ephemeræ est tenuis substantia in nobis supercalefacta, quæ conformitate naturæ tenuiorem cordis substantiam consimiliter alterat: vel licet acrior præ paruitate tamen, non potest suam agendi vim alteri substantiæ imprimere, quàm spirituosæ.

Remotior & mediata causa, alia est per se, alia per acidens. Per se quidem id præstant calidior aër, exercitium vehemens, animi motus vt ira; tum quæ intùs assumuntur calidioris temperaturæ potus, & cibi: seu etiam acriora medicamenta. Ac demum pauca exhalatio putris ex bubone, furunculo, phymate eleuata. Vel tandem semiputris vapor ab humore crudo per vasa aut habitum corporis concitatus; vel à copiosiore lacte in mammis coaceruato; vel à cibis in ventriculo corruptis; aut ab epoti meri copia ebullientibus; necnon à fæcibus intestinorum diù retentis, & per concalefactos spiritus, aut per se etiam, tenuiorem illam cordis substantiam accendens.

Per accidens verò ad hoc ipsum concurrunt, curæ, vigiliæ, inedia, tristitia, timor, & cutis constipatio à frigore aut astringente balneo. Quę vel spiritus vehementer agitando, aut attenuando, vel eosdem circum præcordia cogendo; vel solitum effluuium fuliginum cohibendo, eosdem inflammant.

Speciatim autem legitimæ & exquisitæ febris causa est, spiritus vitalis in corde & arteriis accensus, ab externa quacunque causa. Illegitimæ verò & spuriæ causæ sunt: vel suppressum fuliginosi excrementi effluuium: vel exhalatio effusa ex mitiore putredine, in loco à corde distanti concepta: vel demum vapor ab efferuescente sanguine eleuatus.

Signa febris ephemeræ, ex modo caloris, pulsu, respiratione, & vrinis desumuntur. Calor quidem est mitis respectu cœterarum febrium.

Pulsus solet esse magnus, celer, & frequens aliquando vehemens, nisi ex causa facultatem infirmante febris excitetur. Inæqualitas ephemerarum propria ea est, in qua celerior quidem est diastole, systole autem mediocris.

Respiratio pulsui planè respondet: celerior namque est inspiratio, quâ frigidus aër, attrahitur; quàm expiratio, per quam fuligo expellitur.

Vrinæ sanorum vrinis proximè respondent, & coctæ apparent: nisi

à cruditatibus & crapula ephemera inducatur.

Quæ omnia cùm apparuerint: si à procatarctica causa minimè perseuerante febris sit accensa, legitimam & exquisitam eam esse ephemeram indicabunt.

Non exquisitam verò, causæ perseuerantia significabit.

Spuriæ autem signa sunt; vel prægressa cutis refrigeratio ab ambiente: vel astrictio à balneo aluminoso, vel effumatio per cutem aliquantò insuauior quàm in legitima: vel prægressus bubo, aut similis affectus. Particularim verò vrina rubicundior, & venarum turgentia, cum tensiua lassitudine, eius notæ sunt, quæ ab efferuescente sanguine concitatur.

Signa distinctiua remotiorum causarum, etsi ex relatu ægri desumantur: potest tamen quisque ex prædictis, & facie inspectâ in cuiusque notitiam venire. Eam tamen quam crudi succi per corpus concitati promouent, leuis perfrigeratio præcedens, manifestat.

Omnis ephemera ex se periculo vacat, quæ intra diem naturalem cum multa insensili euaporatione finitur. Ephemera facilè in hecticam degenerat, si natiua ægri intemperies sit calida & sicca: atque is bile abundet, gracilis sit, & hirtus. Vel etiam in putridam transit, quum humores inuenit ad putredinem præparatos. Spuria non multò deterior est prioribus: vnde Hippocr. 4. Aphor. 55. febres ex inguinum bubonibus ortas, omnes malas dixit, præter diarias. Attamen in putridam mutantur; & quæ à sanguinis efferuescentia nascuntur, si notabilis plethora iuncta sit, periculum minatur disruptionis vasorum, aut repentini etiam interitus.

Non ergo est huius curatio neglectui habenda: legitimæ perseuerans causa primùm tollatur; tum per id quod causæ contrarium est, eidem prouideatur. Ita si ex lassitudine orta quietem imperamus. Si à vigiliis somnum prouocemus. Si ab inedia cibum humidum præscribamus. Si satietate & crapulâ ortâ diariâ, vacuatio instituenda est, vel per vomitum, vel per secessum, per lenientia pharmaca, cassiam, mannam, catholicum, sennam, syrupum rosat. solut.

Atque ita pro cæterarum causarum varietate procedendum: vt hilaritas tristitiæ, rerum neglectus, curis & solicitudini, securitas ac confidentia timori opponantur.

Demum relicta intemperies tollenda, refrigerando & humectando. Quod exequemur vel vsu balnei aquæ tepentis, vel refrigerantia epithemata cordi & Iecori admouentes: capiti æstuanti, & lumbis oxyrrhodina.

Cum his victum refrigerantem & humectantem exhibere decet, in quo pisces saxatiles conceduntur. Ad potum his vinum tenue album est vtile, sufficienti aquâ dilutum, vel vice vini decoctum hordei cum syrupo violato, gelatinâ cerasorum.

Non exquisita & producta ex præuio corporis apparatu plethorico aut cacochymo phlebotomiam, aut purgationem, vel vtrumque requirit.

Spuria quæ à bubone, aut phlegmonosis pustulis excitatur, inflammatione per topica mitigatâ, negato vini vsu, tenuique victu præscripto, ex Gal. 1. ad Glaucon. cap. 3. facilè curatur.

Quæ à crudorum ſuccorum motu & diſtillatione naſcitur, ita curatur, vt ſi diſtillatio ſit diſperſa, nec exhauſtæ ſint vires, præſenſque ſit plethora notha: ſanguinis miſſione primùm ſit opus: vel purgatione, ſi mera ſit cacochymia. Mox verò parco victu, moderato ſomno, leni frictione poſt ſomnum vti cōueniet. Et ſi concitati humores in determinatam partem irruant: per ea curabitur, quæ habitâ primùm ratione totius, tum partis mandantis & accipientis prouidentiam habeant.

Quæ à cutis aſtrictione naſcitur, vel balneo, vel molli frictione, & ſudoris leui prouocatione curatur; vel vacuationibus præſtitis ſi opus ſit: ſudor prouocabitur vel aquis cordialibus, vel granis aliquot lapidis bezoardici, ſuperpoſitis ſtragulis.

Quæ verò ab obſtructione cauſatur, humorum craſſorum, lentorum, & multorum ad cutem impactorum, cum plenitudine; ſanguinis miſſione eſt opus. Si verò tantum craſſi ſint, aut viſcidi, in primis viis ſtagnantes, leniente medicamento ſunt detrahendi. Mox attenuantibus & detergentibus vti cōueniet, poſtmodum per purgantia ſunt vacuandi. Et ſi quidpiam ſub cute reſiduum eſſe videatur, id ſudore prouocato, poſt balneum & leuem frictionem exoluendum. Quod ſi obſtructio à plethora ſimul & cacochymia prodeat, primò ſanguinem ducere, dein medicamento purgare licebit.

A ſanguinis autem feruore excitata febris, ſeu ephemera notha, ſeu ſynochus non putris appellètur: ad ſui curationem duo requirit, perſeuerantis cauſæ ablationem, & intemperiei emendationem, ideoque victus ratio debet eſſe refrigerans ac attenuans: aër eligatur frigidus, cibus ſit cremor hordei, panatella ex iure pulli parata, aut veruerce cum herbis refrigerantibus. Potus ſit aqua hordei cum ſyrupolimonū, violato. Vinum omnino denegandum eſt: imo his ægris vehementer ſitientibus copioſa frigidæ potio præſcribenda; modo æger nullâ viſcerum obſtructione laboret, frigidam potionem non abhorreat, & ei ventriculus imbecillis non ſit. Præterea quies & ſomnus conciliandus, temperanda animi pathemata, & aluus libera conſeruanda clyſteribus emollientibus & laxantibus.

Sanguinis miſſio ex Galen. 4. Meth. cap. 4. & 5. larga ſit oportet, ſtatim à principio, præmiſſo clyſtere. Quod ſi ſanguis ex vtero vel hæmorrhoidibus fluere incipiat, permittendum eſt naturæ euacuare; quod ſi non ſuffecerit, arte ſupplendum eſt.

Conferunt intùs Iulapia & apozemata refrigerantia; tum externa, vt tepentis aquæ balnea, epithemata, & linimenta cordis, hepatis, lumborumque regionibus admota: quæ infra particulatim referemus, cùm de ſynocho putri tractabimus. Et ſi tale ſanguinis incendium ab obſtructionibus excitetur: refrigerantibus attenuantia, incidentia, & detergentia exhibenda: tum præparati humores, benignorum pharmacorum ope erunt expurgandi.

CAPVT VII.

De febrium putridarum essentia & causis.

FEBRIS humorosa seu putrida dicitur calor pr.nat.in humorosa cordis substantia accensus, indéq; in vniuersum corpus (nisi impediatur) effusus, actiones sensibiliter lædens.

Causæ immediatę febris humorosæ & putridæ, sunt vapores ex putri quacunque substantia, succo, membro, vermibus, & recrementis quibusdam eleuati, & ad cor pertingentes: acriore suo calore humorosam illius substantiam accendentes: nec non vapores qui ab efferuescente excrementitia bile excitantur: consimilem affectum inferentes. Et proinde asserimus febrem humoralem fieri, non tantum à putrente bile, sed etiam efferuescente. Cùm ex Gal.1.in 1. Epidem. Comment. text.9. discamus ardentem, à solo bilis circum præcordia feruore excitari.

Mediatæ humoralium febrium causæ sunt, primùm quæ copiosiorem bilem citra putredinem in vasis inflammant: tum quæ putredinem ad cor effumantem, in nobis generant. Bilis sui feruoris causas non alias agnoscit quàm alij succi. Putredinis autem causæ, non eædem ab omnibus statuuntur: pro quorum cognitione.

Sciendum primò est, putredinem esse passionem quandam & mutationem rei putridæ. Eamque vel in fieri considerari, & vt est in via; vel in facto esse, seu ad terminum perducta est, qualis apparet in mistorum interitu, vel per maransim seu lentam exsiccationem, vel ab externo agente per combustionem momentaneam, vel per alterationem & successiuam dissolutionem in partes heterogeneas.

Vnde Aristot.4.Meteoror.sum.1. cap.2. putrefactionem definit, corruptionem eius quæ in quocunque humido propriæ & secundum naturam caliditatis, ab aliena caliditate, quæ & ambientis est. Veriùs dici vellem non tam corruptionem caloris, quàm mixti per dissolutionem proprij & sec. nat. calidi, in vnoquoque humido à calido externo. à Galeno 11.Meth.cap.8. dicitur esse mutatio totius putrescentis corporis substantiæ, ad corruptelam à calido externo. Mutatio enim ad corruptelam, seu putredo in fieri denominatur, quasi tendens ad corruptelam. Etsi verò hæ duæ definitiones genere inter se differant, tamen in reliquis sub diuersis terminis re conueniunt.

Causa efficiés dissolutionis mixti in miscibilia per putredinem, tū in suo exordio, quum progressu, & finali interitu, nulla calore efficacior concipi potest, cuius est heterogenea disgregare, qui non alius est quàm externus, qui vel in externo subiecto formaliter aut eminenter inhæret, seu in ambiente insit, seu à syderibus influens per ambientem transfundatur; vel in ea ipsa substantia inest, quæ ipsi etiam putrescenti substantiæ contagij vitio, aut per impeditam transpirationem pr.nat. immixta esse concipitur. Hic autem licet intrò conceptus, solet etiam externus appellari: seu quod suæ intensionis principium capiat ab extra: seu quod ei substan-

substantiæ insit quæ alia est à putrescente: vel quia internis principiis est aduersus.

Subiectum verò & materia putredinis, in quam primò putrefaciés operatur est, quodcunque humidum, quo diffluente facilè mixtum dissoluitur. A qua humidi eliquatione & secretione, fit vt, quæ putrescunt, principio seipsis humidiora reddantur. Mox vero dum humidi & sicci compago dissoluitur, simul calidum inci it ab humido secerni: quod secretum efferuescens facit, vt hinc putrescentia seipsis calidiora euadant. Postmodum quia in huiusmodi dissolutione humidum rarefactum, minùs quàm antea à consociato calido regulatur, fœtorem in putrescentibus corporibus causat.

Ea verò humidi à sicco dissolutio fiens sensim progressa, vsque ad totalem mixti dissolutioné & corruptionem deducitur. Aliàs multò ante consistit, quàm integra heterogeneorum compago dissoluatur, aliquâ solùm humidi portione eductâ; quæ putredo secundum partem appellatur: quæ in humoribus intra nos putrescentibus, & in membris ad necrosim per gangrænam tendentibus, frequenter apparet. Ad quam attendens Galen. mutationem ad corruptelam nuncupauit.

Causæ putredinis in nobis excitatæ, non ad solam prohibitã transpirationem, vt plurimis visum est referuntur. Licèt ea putrescendi occasio sit admodum frequés: quod vt dicit Galen. 11. Meth. cap. 4. calida & humida quæcumque in calidis locis contenta, nisi difflentur facilè computrescant; non tamen ea sola, sed alia multa, quæ putredini sunt opportuna.

Quæ vel ex parte materiæ, aut agentis oriuntur. Materia intra nos putrescens est, primùm quoduis humidum, quod vbicumque consistat, non regitur à natura: secundò humida substantia quæ difflari impeditur, seu ob copiam, seu ex obstructione, aut constipatione viarum. Tertiò deprauata alimenta in ventrem ingesta. Quartò cibi intempestiuè assumpti, & primo nondum concocto superingesti. Vel iidem peruerso ordine deuorati. Et demum omnis excrementorum copia, quæ vel coctricis facultatis vitio, vel expultricis imbecillitate, vel ob errorem admissum, in nobis facilè computrescit.

Agentia verò quæ putredinem excitant, hæc sunt: primùm septica medicamenta. Tum intempestiuus labor, balneorum superfluus vsus, fuliginosi excrementi suppressum effluuium, & id omne quod calorem pr. nat. excitare potest in nobis. Inter quæ maximè eminet particularis aëris constitutio, vt austrina, vel alia pestilens ex latente syderum influxu. Tandem putris omnis substantia, spiritus, aut humor per contagium nobis communicatus, qui suum inquinamentum in eas, quas attingit partes, aut succos latiùs diffundens, putredinem in nobis excitare potest. Modò ea putredo in tam sufficienti copia sit, vt ad cor pertingens humorosam substantiam inflammare possit.

CAPVT VIII.

De febrium putridarum differentiis, & differentiarum causis.

PVTRIDARVM differentiæ ex tribus capitibus trahuntur: ſcilicet ex vario putredinis gradu; vel ex ſui fluxus & perſeuerantiæ modo; vel ex diuerſitate humorum in quibus putredo concipitur.

A primo fonte manat diſtinctio putridarum, in ſimpliciter putridas, & peſtilentes. A ſecundo fluunt continuæ & intermittentes.

Continuæ duorum ſunt generum: vel continuæ abſolutè dictæ συνεχεῖς: vel continentes συνοχοι. Continuæ ſimpliciter vocatæ, eæ dicuntur, quæ cùm ad ἀπυρεξίαν vſque non perueniant, donec ex toto ſoluantur; tamen per periodos exacerbantur. Hinc proportionatæ vocantur, quod ſui generis intermittentibus, quadam typi proportione reſpondeant. Harum verò quædam incompreſſum aſcenſum patiuntur, & ἄθλιπτον ἐισβολὴν incompreſſam annotationem, hoc eſt febrilem exacerbationem abſque perfrigeratione, horrore, aut ſopore. Aliæ cum euidente annotatione redeunt: hinc in ἐπισημασίᾳ ſeu recurrentis febris ſignificatione apparet, quæ febrium intermittentium acceſſiones præcedere conſueuerunt. Qualia ſunt perfrigeratio, horror, rigor, thoracis compreſſio, ſopor, oſcitatio, & ſimilia: cuius ordinis febres ſubintrantes vulgò appellantur; quæ quòd non eundem focum habeant cum prioribus, ſed parem cum intermittentibus referuntur. Iterum continuæ proportionatæ, pro variis exacerbationum periodis, nomina aſſumunt intermittentium, quarum periodos imitantur: vnde continuam quotidianam, tertianam, & quartanam dicimus.

Continentes ſynochi & concluſæ dictæ, illæ ſunt quarum vnica eſt acceſſio, à principio morbi ad finem vſque perdurans.

Quæ vel legitimæ ſunt, vel illegitimæ. Legitimas eas appellamus, quæ ex ſanguine putreſcente naſcuntur: atque hæ vel exquiſitæ ſunt, vel non exquiſitæ.

Exquiſitæ ſunt, quas ſanguis in maioribus vaſis putreſcens excitat. Non exquiſitæ, quæ ſanguine in determinata parte aliqua putrente, naſcuntur.

Illegitimas & nothas eas dicimus, quæ ex bile excrementitia orta, ardentium nomen merentur, teſte Galen. 2. de differ. febr. c. 2.

Harum autem vtræque, vel ſunt homotonæ & acmaſticæ, vel anabaticæ & ecpacmaſticæ, vel demum etiam paracmaſticæ.

Intermittentes febres ad integram apyrexiam peruenientes, ad tempus quidem ceſſant, mox repetunt: in illa intermedia quiete, antecedentis cauſæ & fomitis perſeuerantia continuat, & aliquid pr. naturam remanet, à quo per circuitum febris regeneratur.

Ex tertio demum capite febres aliæ ſanguineæ dicuntur, aliæ phlegmaticæ, aliæ bilioſæ, ac demum aliæ melancholicæ. Ac quoniam quæ ex ſanguine fiunt ſine intermiſſione perdurant: quæ à pituita naſcuntur, frequentiùs intermittũt, & ſingulis diebus repetunt: quæ à bile oriuntur, alternis diebus redeunt: & quæ à melancholia quarto die reuertuntur; ſanguineas ſimpliciter

pliciter synochos & continentes appellamus: pituitosas verò quotidianas; quæ si cõtinuò durent, quotidianæ continuæ dicuntur: si verò intermiserint, sine addito quotidianæ denominantur. Sic de biliosis tertianis, & melancholicis quartanis sentiendum.

Quarum singulæ si à sincero humore excitentur: exquisitæ sui generis appellantur: si verò à diuersis succis simul putrescentibus oriantur, nomen prædominantis assumentes, nothæ dicuntur. Vt ea febris quæ à sincera bile generatur, exquisita tertiana nominatur: si verò à bile quidem excedente, sed vel pituitâ vel melancholiâ simul mixtis exciterur, tertiana notha nuncupatur: atque similis in cæteris denominatio est concipienda.

Singularum differentiarum causæ sunt, & primò simpliciter putridarum, quorumcũque humorum vulgaris putredo: modo vaporem putrem ad cor effundat.

Pestilentes autem facit, excellentia putredinis, quam communis quæpiam causa inducat.

Continuæ absolutè dictæ, & συνεχέες ab excrementitiis humoribus producuntur, vt plurimùm in maioribus vasis inter alas & inguina magnâ copiâ putrentibus; vnde per plures dies ad cor liberè & perseueranter effument. Vt autem periodicè exacerbentur: necessum est materiam putrescentem non totam simul in venis contineri, sed dum eius portio in venis tanquam in foco accensa est, in easdem nouam materiam per certa interualla aliunde transfundi; vt pote ex propriis conceptaculis.

Non tamen inconuenit, tantam esse quantitatem humoris in determinata parte putrentis: vt non ante cesse febris, quàm noua materia ad focum transmittatur, quæ concepti incendij continuationem foueat: vt in his quas subintrantes appellant accidit.

Continentes & synochi, ex copioso humore sine vlla nouæ materiæ accessione, in maioribus vasis putrescente, generantur. Ac quidem legitimæ & exquisitæ synochi, ex solo putrescente sanguine alimentario nascuntur: qui si in maioribus vasis putreat exquisitam facit; si verò in locis determinatis, non exquisitam generat, quæ apparet in omnibus inflammationibus viscerum, vel aliarum partium. In exquisita putredo vehemens concepta: si sensim à partium continentium robore reprimatur, paracmasticam decrescentem causat: si verò causa putredinis cum natura æquis viribus ad statum vsque colluctetur, acmastica eodem tenore perseuerãs, producitur: at si ea fuerit putrefacientis vehementia, vt proprium partium calidum superet, epacmasticam seu increscentem inferet.

Intermissionis febrium ea est causa: quod vbi materia putrens; seu per putredinem, seu vi calidi proprij partium circunstantium absumpta, dissoluta, excocta, aut expurgata est; per certa interualla, noua in putredinis minera colligatur.

Materia illa putrens generatur, cùm vel ex prauo victu, aut partium intemperie, vel meatuum obstructione, excrementitij humores eâ quãtitate & qualitate præditi sunt, vt in destinatis receptaculis nec colligi, nec per conuenientes ductus excerni queant. Quo casu tales succi partim in venas diffunduntur, &

ſanguini confunduntur: partim in minutiora vaſa abdominis, circum viſcera, pancreatis, vel meſenterij impinguntur. Vbi ſemel inculcati ſi expultricis languidioris vitio, ibi commorantes, vt impeditâ tranſpiratione, & calidi influentis liberâ peruaſione prohibitâ, putredinem concipiant: hinc acriores redditi, & moleſtiam locis prædictis inferentes; vel in vicina ſed patentiora vaſa expelluntur: vel in eadem ſede conſiſtentes exagitantur.

Ex qua commotione materiæ putris ad cor pertingentis, febris excitatur; quæ non actu exhalare ceſſat, quàm (vt loquitur Galen. 2. de diff. febr. cap. vlt.) aſſata ſit paucis remanentibus reliquiis. Quo humore ſemel conſumpto, ſi eędem cauſæ perſiſtant, poſt aliquod interuallum; humor priori ſimilis ibidem congeritur & putret, febriſque recurſum facit. Ac ſi in materia iterum congeſta, ante putredo renouetur, quàm prior conſumpta ſit: nulla apparebit febris intermiſſio. Sin contra; ante prior ceſſabit paroxyſmus, quàm ſecundus reuertatur.

Ad eius rei verò explicationem cùm multum conferat notitia loci, in quo putredo primùm accenditur, atque vnde vapores putridi cordi communicantur, quem Galenus citatus focum ſeu fomitem appellat, is primùm explicandus eſt.

Sciendum eſt in febribus intermittentibus, duas ſaltem, aut tres etiam aliquando partes eſſe in vitio. Quarum prima eſt, viſcus aliquod ſeu pars, quæ humorem excrementitium maiori copiâ generat, & congerit, quem præ expultricis imbecillitate ſegniùs expurgat. Vnde Galen. 1. ad Glauco. cap. 5. ait, vix quotidianam excitari, quin ventriculus ſit læſus; tertianam, quin iecur ſit in vitio: aut quartanam, quin aliquod ſit in liene peccatum.

Secundò, aliqua ſemper eſt pars in quam materia peccans, tanquam in ignobiliorem & debiliorem trãſmittitur: & in qua primam putredinis labem concipit, quam febris mineram appellamus: quod vti in mineris, ita & illic abſumpto humore priùs putrente; ſed materiæ antecedentis fonte inſtillare in mineram perſeuerante, alius in minera congeſtus humor iterum putreat: cui loco ſi integrè putrens ſubſiſtat, focum febris facit. Eoque caſu non alium focum à minera aſſerimus.

Quia verò aliquando, non tam imbecilla eſt ea pars, in qua vitioſus humor putredinis rudimentum accipit; quin ab eodem irritata, illum principio febrilis annotationis à ſe excutiat: tertium eo caſu locum concipimus, in quem excuſſus ille humor effundatur: talemque locum focum appellamus; quod putrens humor veluti accenſus, & inde ad cor effumans, illic quaſi aſſari pergat & abſumi: quo diſcuſſo calor febrilis, & paroxyſmus ceſſat tamdiu, donec noua materia, quæ ſimiliter ſuo tempore putreſcat, genita ſit.

Quæ verò ſit illa pars, & in qua regione corporis & putrere incipiant, & in integrum ferueant humores qui febres intermittentes excitant, exponendum.

In abdomine febrium intermittentium focum rectè conſtitui (vt à Fernelio aſſertum fuit lib. 4. patholog. cap. 9.) hæc conuincunt. Primùm quod humores excrementitij qui in ventriculo, aut hepate generantur, vel in venis eiſdem contiguis aceruantur, aut qui in liene & veſica fellis continentur: non

non facilius inde, quàm in capillamenta vasorum mesenterij, pancreatis, vel omenti amandentur. Etenim eæ partes prædictis visceribus sunt vicinæ; ramis eiusdem venæ portæ irrigantur; canales ad expurgationem humorum excrementitiorum destinatos continent: & præ glandium frequentia, ad humores aliunde transmissos excipiẽdos sunt quàm aptissimæ. Ibidem verò congesti humores facilè putrent: quod humida calidis locis contenta facillimè putreant, nisi difflentur.

Idque multa quæ circa intermittentes febres accidũt, testantur: nausea scilicet, vomitus, excretiones per anum, cardiogmi, præcordiorum tensio, & dolor circa ventriculum & intestina, & similia. Cùm enim humor qui in aliqua prædictarum partium putret, à sede in qua primùm putrere cœpit, excutitur: facilè per mesaraïcarum ramos, vel in vẽtriculum, vel in intestina propulsus, prædicta infert symptomata.

Humor igitur qui in minera putrere incœpit, vbi in minutioribus abdominis vasis congestus putredinis labem contraxit, dum excutitur ab expultrice partium; aliquando parte sui vaporosâ magis acri in vicinas membranas & partes sensiles defertur, quas peruadendo, rigori, horrori, ac perfrigerationi occasionem præstat: portione alterâ aliquando in ventriculum, & intestina effunditur: reliquum verò in grandiora & proximiora vasa, venas & cœliacas arterias dispergitur, vbi feruere aut putrere perseueret, donec vel in habitũ absumatur, vel per pepasmum mitescens, pars illius ichorosa per sudorem, aut copiosiores vrinas expurgetur, crassior verò per emulgentes arterias, in vrinarum sedimentum abeat. Quod si aliquando febrium recursus fieri experiamur, citra omnem perfrigerationem & horrorem: tunc humorem in ipsa minera in integrum putrere, neque inde excuti; & eandem esse mineræ & foci sedem. Ex his patet, vbi materia causa febrium putridarum generetur, quomodo paroxysmum excitet, per quas vias euacuetur, & quomodo materia noui paroxysmi causa, iterum generetur; atque ita causa paroxysmorum, & recursus febrium intermittentium, explicata est.

Verùm cùm inter continentes, & intermittentes, continuæ proportionales dictæ sunt mediæ; quod æquè ac priores continuò ferueant, & in posteriorum morem periodos obseruent: ita eædem continentes in eo imitantur, quòd humor qui per illas putret in maioribus vasis accendatur; intermittentibus verò respondent, quod humor qui per continuas putret, non sit totus in vasis simul collectus, sed ab aliquo viscere pr. nat. affecto in vasa sensim transfundatur; vbi postquam putredinem contraxerit, per interualla exacerbationes moueat.

Ex humorum diuersitate febres putridas distinximus in sanguineas, pituitosas, biliosas, & melancholicas, quia non omnes à bile, vt innuit Ioubertus ex Hippocr. seu potius Polybi sententia: alios enim humores febres excitare, & mitior in plurimis exhalantis calidi conditio, & sopor, torpor, linguæ mollities, sitis carentia, & similia (quæ cùm efferuescente bile minime consisterent) atque etiam aliorum succorum excretiones, id nobis indicant. Quare cùm alimentarij & excrementitij

humores putrere possint, differentes febres pro cuiusque diuersa natura excitare valent. Sanguineæ inter has nullam intermissionem experiuntur: pituitosæ cùm intermiserint, singulis diebus repetunt: biliosæ alternis recurrunt: & melancholicæ quarto quoque die reuertuntur.

Vbi tria disquirenda occurrunt: primò num inter morbos solæ febres periodos seruent; & inter has sanguineæ per periodos exacerbentur; aliarum verò periodi, num sint plures tribus.

Secundò an prædictæ febres, semper eum typum seruent: vt pituitosæ quotidie repetant: biliosæ alternis diebus: melancholicæ quarto quoque die reuertantur.

Tertiò vnde prodeat relatas febres, frequentiùs prædictas periodos obseruare.

Quod ad primum spectat, Galen. lib. de morbo. tempor. cap. 2. appellat periodum seu circuitum, morbi reditum ex iisdem ad eadem, per ordinem & circulum quendam. Et typum definit ordinem intensionum & remissionum. Præter febres alij morbi, vt dolores podagrici, insultus Epileptici, capitis dolores, aurium tinnitus, per periodos recurrunt: inter febres sanguineæ synochi legitimæ, ex se periodicos recursus pati non possunt. Sanguine namque in vasis putrente, nulla causa interuenire potest, quæ febrilem periodum faciat. Non enim sanguis per interualla denuò generatur in venis, neque ibidem de nouo congeritur, aut eò affatim per certa interstitia aliunde pellitur, aut attrahitur, nec demùm inde excutitur. Et licet sanguis putrens in bilem transiret, cùm nec eius partes heterogeneæ dissolutæ statim putreant, nec aliunde noua in venas consimilis bilis fit transmissio. Et proinde in hac febre nulla periodica exacerbatio subsequitur. Nisi aliquando in his quæ internas inflammationes comitantur; id fit primò ex eo quod natura solita duelli & induciarum cum morbo alternare vices, diebus moueatur imparibus. Secundò continétes sub vesperam exacerbantur; quòd tunc repressa magis transpiratio, feruorem febrilem augeat. Tertiò in his febribus incompressæ annotationes tertianarum æmulæ aduertuntur, quod continenti complicetur continua tertiana.

Cœteræ febres non plures periodos admittunt, quàm quotidianas, tertianas, & quartanas: attamen Hippocr. quintanæ, sextanæ, & nouanæ febris meminit, sect. 3. 1. epid. text. 27. quarum exempla lege apud Scenchium lib. 6. obser. 61. quæ periodi etsi aliquando appareant: non tamen plura tribus excrementitiorum humorum genera statuenda insinuant. Omnes enim tardioris recursus febres, ab eisdem humoribus nascuntur, à quibus & aliæ: vt mox explicabitur.

Quod ad secundam quęstionem pertinet, dicimus inueniri febres erraticas, quæ nullam seruant periodi paritatem: & præterea biliosas febres, singulis aliquando diebus inuadere, quas duplices tertianas nominamus: pituitosas contra bis primâ die repetere, & secundâ semel, & sic pariliter recurrere, vt obseruauit Forestus lib. 5. obseru. 12. Melancholicas demum citatiores habere periodos, atque inde duplicem, triplicémque quartanam nominari. Sed & tardiùs multò melan-

cholicas

cholicas repetere docuit Auicenna lib.4.fen.1.tract.2.cap. 67. qui asserit quintanas, sextanas, & similes ab humore melancholico cum pituita mixto excitari, in minori quidem quantitate, sed crassiori.

Tertia quæstio vnde prodeat relatas febres frequentiùs prædictas periodos seruare: videtur diuersitatem periodorum febrilium, pendere à varia aptitudine humorum ad putrescendum, ad eum vsque gradum, à quo membrum in quo est fomes febris, ad excussionem illorum irritetur. Ea autem varietas aptitudinis pendet; tum ab speciali humoris natura, & copia: tum à partis, in qua febrilis minera est, diuerso sensu, & robore, maioréque aut minore intemperie.

A particulari natura humoris, aduenit febres ex pituita excrementitia quotidie recurrere; non solùm quòd humidior facilè putrescat: sed præterea quod viscidior, inquinamentum copiosius in minera relinquens; sit in causa celerioris corruptionis eius quæ secundò in mineram influit. Melancholia quarto quoq; die periodicat: quod crassior & terrestrior, non solùm difficiliùs putrescat: sed etiam minùs inquinamenti in minera relinquat. Media inter vtramque est bilis: quæ siccior pituitâ, & humidior melancholiâ, tardius illâ, citiùs autem hâc putret: & priore quidem minus inquinamentum in minera relinquit, sed posteriore abundantius. A maiore auté aut minore humoris copia accidit pituitam solitam in nobis abundare, & quotidie reputrescere: melancholiam verò quæ minimâ copiâ in nobis generatur; rarissimos circuitus facere, atque in quartum diem exacerbationem differre: & bilem in vtriusque medio consistere.

Ab obtusiore autem, vel acutiore sensu partis, in qua febris fomes conseruatur, atque ab eiusdem vario robore, maioréque aut minore intemperie; quis non concipiat, eandem cõsimilis humoris copiam celeriùs aut tardiùs putrere, aut ad expulsionem concuti.

Cur verò paroxysmorum febrilium, alij aliis longiores sint. Id Galeno ex tribus causis oritur 2. de differ.febr.cap.3. quarum prima est humoris multitudo aut paucitas; crassitudo aut tenuitas, frigiditas aut caliditas. Secundò virium ægri robur, aut imbecillitas. Tertiò demum habitus seu texturæ corporis raritas, vel densitas. Quoties enim humor est multus, frigidus, crassus; vires imbecillæ, & densus corporis habitus: longissimi sunt paroxysmi. At quando humor est paucus, calidus & tenuis, vires robustæ: & corpus ægri rarum: breuissimæ sunt accessiones.

Tandem periodorum ordo & constantia, ab æqualitate materiæ secundum eius naturam & copiam; à paritate roboris membrorum tam recipientium quàm mandantium; & obseruatâ simili victus ratione nascuntur. Circuituum inordinatio à contrariis.

CAPVT IX.

De signis febrium putridarum.

FEBRIVM putridarum signa à sex capitibus petuntur: scilicet à calidi effumantis conditione, à pulsu, ab vrinis, ab inuande-

di modo, à symptomatibus febrem consequentibus, & à præcedentibus causis. Ac primò calidum quod à febricitantibus exhalat,in principio acre à tangente sentitur, mox autem mitius apparet.

Secundò in putridis, pulsus peculiarem habet inæqualitatem tum systematicam, tum singularem;collectiuam quidem, quod cùm in his febribus natura putridis vaporibus facultatem opprimentibus variè reluctetur, modò celeriorem, modò minùs celerem faciat, aliquando vehementem,aliàs languidum.Præterea vt dicit Galen. 3. de præsagit. ex pulsib.cap.7. in principio putridarum pulsus submersus, & profundus,paruus,angustus, frequénsque sentiatur:per augmentum verò & vigorem eleuetur,magnusque ac velox reddatur.Singularis autem pulsus inæqualitas ea est quam Galen.1. ad Glaucon. cap. 5. febrilem appellat, quod ea sit disparitas velocitatis diastoles ad systolem: vt cùm maior sit necessitas expellendi copiam fumidorum excrementorum,quàm contemperandi calorem pr.nat. auctum, systole velocior sit diastole.

Tertiò cùm vrinæ in cœteris febribus appareant coctæ, vel simillimæ coctis, in puttidarum tamen principio,vt plurimùm sunt crudæ; humoribus scilicet nondum per pepasmum separatis.

Quartò sæpiùs infesta symptomata febres putridas consequuntur: talia sunt capitis dolor, iactigatio,nausea, vomitus, ingratus sapor linguæ,eiusdem nigredo,animi deliquium,deliria,& similia.

Quintò vt frequentiùs Ephemeræ & hecticæ primariò inuadentes, à vehementioribus causis procatarcticis excitantur:ita putridæ solent magis ab internis & antecedentibus promoueri.

Demùm putridis febribus particulare est,cum perfrigeratione,horrore,aut rigore inuadere;vel saltem præuiam quandam habere lassitudinem, aut cacochymiæ signum aliquod præmittere.Inter putridas, quotidianæ cum perfrigeratione; tertianæ cum rigore;quartanæ verò in principio cum horrore, in progressu cum rigore inuadunt.

Perfrigeratio quæ quotidianarum intermittentium exacerbationes inchoat, & cum pandiculatione & oscitatione sępissimè aduenit:(quas copiosus vapor minimùm acer artuum aut mandibulæ tantum musculos replens & contrahens excitat)est frigoris quidam sensus, qui in externis aut extremis corporis partibus, absque vlla concussione sentitur.Quam non frigidus vapor causat, qui ab internis partibus ad externas irruat:sed illa tantùm priuatiuè causatur ex defectu influentis spiritus vitalis; qui per earum febrium initia ad ima corporis euocatus,externa membra destituit.Intrò verò reuocatur, vt cordi à putri vapore qui à foco febris ex putrente pituita eleuatur oppresso, suppetias ferat.

Rigor est musculorum totius corporis motus concussiuus; cum vel sine actuali refrigeratione, quo facultas animalis parti sensili ab aliqua causa noxia irritatæ compatiens, quod molestum est expellere conatur.Rigorem musculorum totius corporis motum concussiuum,docuit Galen.2. de symptom. caus.cap.5. atque in eo rigoris formalis ratio consistit.

Eundem verò sæpiùs cum perfrigera-

frigeratione apparere dixit idem Pergamenus lib. de tremore cap. 6. quod bifariam contingit. Ac primùm si quando crassa frigidaque pituita per otium & crapulam in habitu collecta; ab exercitio, ira, balneo agitetur, rigorem simul cum manifesta perfrigeratione prouocat: vt in Epiala. Aliàs verò cùm acriores succi seu ex determinata abdominis sede per initia febrium tertianarum intermittentium, seu à maioribus venis proximè ante continuarum crises in vapores ex parte soluti, et partes sensibiles effunduntur: externa primùm refrigerantur, mox etiam rigent. Atque hæc ideò quòd cùm natura primò quidē conetur per spiritus in corporis ambitum diffusos, præsto esse internis partibus sensibilibus, quæ per eam vaporis acris effusionem læduntur; iisdem intrò recurrentibus, externæ partes calido influente destitutæ frigent. Quoniam verò id, ad offensam reprimendam non sufficit, facultas animalis parti læsæ compatiens, & ex instinctu organis sibi subseruientibus imperans: per musculorum concussionem, nititur quod lædit expellere. Quorum sensus vt plurimum à lũbis incipit; quòd nerui à lumborũ vertebris per abdomen disseminati, & primò læsis partibus compatiuntur, atque in illos musculos cõcussionis imperium communicent.

Aliquando verò rigorem absque vlla actuali refrigeratione diximus excitari, vt in nonnullis vehementiore tertianâ licèt intermittente laborantibus aduenit. In quibus calidus ille acerque vapor, qui à materia in minera commota exhalat, tantæ est tenuitatis; vt quàm citissimè in corpus vniuersum effusus, & habitũ ipsum corporis suâ acredine infestans, & more acuum pungens, recursum spirituum ad intra remoretur. Iidem verò sibi ideò frigere videntur, cùm non sint perfrigerati: quod imaginatio, ea quæ internarum partiũ affectiones consequuntur, cum his accidentibus concipiat, cum quibus similes affectus nobis ab extra adueniunt. Vti melancholicorum, phreneticorumque errores indicant.

Concussiui autem huius motus efficiens causa nec sola est materia morbifica, vt palpitationis, nec facultas simul cum causa morbifica; vt tremoris: sed facultas non spontaneo instinctu agens, à causa noxia irritata: non aliter admodum quàm in conuulsione, licet leuiùs.

At noxium illud rigorem prouocans, licet sit varium: acre scilicet pharmacum vlceri delicatiorũ impositum, combustio, puris, aut semiputrentis materiæ, à phlegmone aut à vasis in abscessum excursus, & occurrentia frigida quæ calidam effumationem intrò reprimunt. Tamen hoc loco per noxium illud, intelligimus halitus aut humores qui per sensiles corporis partes moti, nec liberè permeantes eas vel suâ acritudine mordent, vel insito frigore contrahentes, vehementiùs infestant.

Horror tandem inter rigorem & perfrigerationem medius, est subita totius cutis, & suppositorum musculorum cùm vel sine perfrigeratione inæqualis commotio; quam excretrix facultas à noxij alicuius occursu irritata causat. Cuius causæ proximæ sunt eædem quæ rigoris: sed materiam vel copiâ minorem, vel qualitate mitiorem esse oportet, vel tardiùs motam: & par-

tium

tium læsarum hebetiorem sensum, vel robur ad resistendum maius.

Cæterùm tribus his symptomatibus, & præsertim horrori & rigori commune est eas habere differentias: vt alius sit criticus, alius periodicus, alius demùm symptomaticus. Criticum eum rigorem appellamus, qui per febrium continuarum statim apparet. Hinc Hippocr. 4. aphor. 58. à febre ardente habito, rigore superueniente fit solutio. Et aphor. 46. eiusdem: si rigor incidat febre non intermittente, ægro jam debili, lethale est. Nec nõ aphor. 29. eiusdem, quibus in febribus sexto die rigores fiunt, quotidie febres soluuntur. Symptomaticum eum tandem nominamus, qui vel initio febrium continuarum aduenit, vel citra febres aliquando excitatur.

Signa distinctiua differentiarum febrium infra declarabimus. Continuas verò ab intermittentibus ipso initio discernere non semper est facilè, perseuerantes tamen facillimè distinguemus.

Signa prognostica, vel eas imminentes produnt, vel qualis sit futurus earum successus indicant.

Imminentes significant spontanea lassitudo, pandiculatio, oscitatio, vigiliæ, hypochondriorum tensio, viscerum turgentia, pulsatilis capitis dolor, inappetentia.

Quod ad futurum successum pertinet: febres longas aut breues futuras indicabunt ex Hippocr. 1. aphor. 12. accessiones & constitutiones morbi, anni tempora, circuituum successiua incrementa, symptomata mox apparentia, vrinæ, alui excrementa, & sudores. His verò maior aut minor securitas imminet iuxta Hippocr. 4. aphor. 43. febres quæcunque non intermittentes tertia die fortiores fiunt, magis periculosæ: quocunque autem modo intermiserint; periculum abesse significant. Et licet non omnes continuæ sunt lethales, eædem tamen periculosæ. Etenim 2. aphor. 19. acutorum morborum non omninò tutæ sunt prædictiones, neque salutis, neque mortis. Quæcunque pręterea continuæ, quibus grauiora symptomata superueniunt, cœteris sũt periculosiores. Hinc 4. aphor. 48. in febribus non intermittentibus, si partes exteriores frigidæ, interiores vrantur, & sitim habeant, mortale. Item aphor. 34. 4. à febre habito, si tumore non existente in faucibus strangulatio repentè euenerit lethale. Desuper aphor. 37. eiusd. lib. frigidi sudores cum acuta febre facti, mortem significant: cum mitiore, longitudinem morbi. Vide reliquos aphorismos ad febrium putridarum prognostica spectantes l. 4. aphoris. citato, ab 43. vsque ad 68.

CAPVT X.

De vniuersali febrium humoralium, seu putridarum curatione.

CVM omnis curatio per indicationes progrediatur; in febrium putridarum curatione à duobus præsertim fontibus eruuntur: à morbo scilicet qui contrariis curatur; & à natura quæ similibus conseruatur.

Morbus autem hic cùm sit calida intemperies, frigidis remediis indiget, humidis etiam opus est, vt exsiccato quæ per accidens sequitur, præcaueatur.

Verùm quia præsente causâ, humore

more scilicet putrente, aut efferuescente, vix immodicus ille calor reprimi potest: enitendum est vt putredinem, feruoremque temperemus; & si quid putrefactum est, vel superassatum expurgetur.

Putredinis causæ duæ sunt frequentiores: quarum prima est, aëris ambientis constitutio, ea quæ in nobis contenta sunt, aut solidas etiam partes corrumpens.

Altera verò est, prohibita transpiratio; seu materiæ, seu viarum vitio adueniens.

Putredini ab aëris praua constitutione nascenti, quâ arte prospiciendum sit; quando de febribus pestilentibus agemus, explicaturi sumus.

Prohibita autem transpiratio, quia obstructionem sequitur, vel maiorum vasorum, simul cum obstructione cutis, aut citra hanc: vel minorum vasorum infarctorum à copia, vel crassitie, & viscidita humorum excrementitiorum: non ante libera reddi potest, quàm omnis auferatur obstructio.

Ac cutis quidem obstructio fit, vel densatis exiguis meatibus ab externo frigore: aut eisdem astrictis ab adstringente balneo: aut eiusdem poris infartis, tam à crassis & lentis humoribus, quàm à succis, qui ex ira feruentes affatim in cutem ruunt.

Vasa autem obstruuntur, vel ab humorum copia, & sanguinis massâ, maiora vasa ad vires replente: vt in exquisitis continentibus, quas synochos putres appellant. Vel secundò ab excrementitiis tantum humoribus, copiâ & qualitate, crassitie scilicet & viscidita peccantibus; quod in febribus intermittentibus accidit: necnon in continuis proportionatis; in quibus plethora notha, à crassorum viscidorumque succorum permixtione, adnotatur.

Quæ cùm ita sint, cùm ex Gal. 11. method. cap. 10. quod vltimum in resolutiua methodo est inuentum, id primum omnium in curatione est peragendum: ab obstructionum curatione auspicandum erit. Mox satagendum ne putredo serpat. Tertiò quod semiputre, aut naturæ inutile redditum fuerit, expurgandum. Ac tandem si quæ residua sit intemperies, temperanda.

Quare primùm quibus auxiliis obstructiones tollere oporteat perquirendum est; quæ pro varia sede causæ, & sedis conditione, differentibus remediis, illis subueniendum esse videtur.

Ergo si in maioribus vasis sit obstructio, quam succorum alimentariorum copia inferat, sanguinem venâ sectâ mittendum esse statim indicabitur: eâ copiâ quam superabundantia requirat, & vires tam præsentes, quàm quæ ad morbi solutionem requiruntur, ferant; præmissis auxiliis aluinam colluuiem purgantibus.

Quod si prædictæ vasorum obstructioni coniuncta sit cutis obstructio, pro causæ diuersitate in ipsius curatione progrediendum: quæ si à frigore densata sit, molli frictione, rarefactione, & illinitione cum oleo amygdalarum dulcium illi subueniendum: quæ eiusdem astrictionem emendat; vt etiam tepens aquæ dulcis balneum. At si crassities lentorve succorum candem excitauerit, cap. 6. quibus sit tollenda docuimus. Demum si à succis per iram feruentibus, & simul cum impetu in cutem irruen-

tibus, facta sit cutis obstructio, sudore prouocato, vt cap. 6. dictum est, ibi medebimur.

Si obstructionem autem grandiorum vasorum causet sola vtriusque ordinis humorum excrementitiorum cum alimẽtariis simul mixtorum copia: eodem phlebotomiæ remedio primùm, mox etiam purgatione opus erit.

Neque obiiciatur ex Auicen.l.4. fen. 1. tract. 2. cap. 7. sanguinem esse frænum bilis, illumque eo casu non esse detrahendum: etenim quanta sanguinis portio respectu ad totam massam effunditur; tantum & bilis, respectu ad id quod sanguini permixtum erat, detrahetur: & quod reliquum erit sanguinis, æquè erit residuæ bilis frænum, atque tota sanguinis moles, quæ totam illam bilem reprimebat.

Si verò multa bilis in aliqua parte grandiorum vasorum, pauco sanguini permixta, non liberè transpirans putreat; in cœteris tamen vasis superabundet sanguis; quia huius copia magis impedit liberam bilis in prædicto loco putrentis transpirationem, erit etiam ille incisâ venâ educendus. Nec inde bilis feruor metuendus; siquidem hoc facto maius periculum effugimus, suffocationis scilicet caloris oppressi, quàm sit damni à feruore illo succedente.

At si plures causæ concurrant ad vasorum obstructionem, siue in eadem sede, siue in diuersis; quid eo casu agendum sit, Gal.explicuit 11. meth. cap. 4. omnibus per contraria occurrendo. Siquidem fieri potest vt, & coarctatum sit corpus, & exigui meatus densati, & multi simul ac lenti sint humores. In huiusmodi autem complexu cœpisse à sanguinis missione conuenit: ac abundantiâ vacuatâ tum ad extenuandos humores venire, ab hoc ad remittenda quæ sunt constricta, & rarefacienda quæ sunt densata.

Quod si excrementitiorum humorum sola crassities aut visciditas, citra multitudinem in vasis, aut suspectum sanguinis motum obstructionem faciat, inutilis est phlebotomia: sed pro ratione antecedentis materiæ quæ posset à primis viis in partem obstructam deobstruentium remediorum vsu deerrare; purgatione erit opus. Ad obstructionem verò tollendam, aduersus crassitiem quidem attenuantia, viscidiratem autem incidentia & detergentia conuenient. Quia verò horum plurima calida sunt: minùs calida erunt eligenda; qualia forent radices cichorij, lapathi acuti, graminis, asparagi, brusci: folia cichorij, endiuiæ, capillarium, ac similium: oxymel dilutum, syrupus acetosus.

Tandem si obstructio sit in abdomine, distinguendi sunt casus: vel enim nullum in grandioribus vasis plethoræ exquisitæ aut nothæ vitium coniungitur. Vel contra alterutrum peccatum inest: atque etiam vtroque casu, abdominis obstructio, vel à crassis fit & viscidis humoribus, vel à tenuibus, aut mixtim ex vtrisque. Si ergo mesenterij obstructio, citra peccatum in maioribus vasis accidat: eáque vel à tenuibus humorib⁹, bile flauâ, aut sero eliquato causetur; citra venæ sectionem leni & minorante medicamento, moliri purgationem oportebit. Tum ad ea quæ obstructiones tollunt, per iulapia, apozemata, fotus & semicupia, si expediat transeundum est. At si eadem à crassis & viscidis succis inducatur, qui

omninò

omninò infarti sint & hæreant: nec phlebotomiâ indigemus, neque ante purgatione est opus quàm humores attenuati sint & incisi, & partes obstructæ laxatæ fuerint. Si verò plethora simul seu exquisita, seu notha in vasis deprehendatur, obstructione in abdomine ex tenuibus & turgẽtibus ex parte natâ: primùm leni medicamento expurgatio facilè cedentium procuranda, mox mittẽdus est sanguis. At si humores firmi sint & infarti, phlebotomiâ tantũ principio indigebimus, præmisso aut subsequente clystere; mox verò ad ea quæ vitium humoris obstruentis emendent, & obstructionem tollant, transeundum erit.

Ex his constat quomodo respondendum sit iis qui ex doctrina Galeni lib. 8. meth. cap. 4. & 11. eiusdem cap. 10. obiiciunt, non ante reserandis obstructionibus, etiam à crassis & tenacibus succis, studendum esse, quàm venam secuerimus: etiamsi plenitudinis signa non adsint. In iis etenim locis Galen. non agit in vniuersum de obstructionibus curandis: sed de ea cuius causa est permixta cum sanguine in maioribus vasis contento; vel cuius fluxio ad partem obstructam prohibenda: quæ ambo venæ sectione perficiuntur. Cùm verò addit, etsi plenitudinis signa non adsint; id tantùm intendit; non expectandam esse plethoricam syndromem. Quod citra eum concursum signorum plenitudinis ad vasa, in multis facilè sanguis ad vires abundet.

Ad illud autem quod rursùs obiicitur ex Galen. lib. 11. meth. c. 15. saluberrimum esse dicente, in febribus venam incidere, non continentibus modò, verùm etiam aliis omnibus, quas putrescens humor concitat. Quod cùm supra non fuerit à nobis receptum, à Galen. mente aberrare videmur. Quem tamen locum sic explicamus; in eo de continuis febribus, non de intermittentibus loquutum. Etenim cùm venæ sectio, non aliunde quàm à venis euacuet: humor autem qui febres intermittentes per interualla reuocat, non in venis maioribus putreat; sed sæpiùs à distemperatis visceribus, in determinatam abdominis sedem, vbi est minera putredinis transmittatur: non posset natura per venæ sectionem, eâ sarcinâ leuari; cùm humor peccans in his locis non contineatur, vt per phlebotomiam attractus, naturam exonerare possit.

Vbi ergo aperiendis obstructionibus prouisum fuerit: satagendum est, ne putredo vlteriùs serpat. Quod ex Galen. cap. 13. 11. methodi requirit in fiente quidem putredine, refrigerationem, ventilationem, & semiputridorum concoctionem. In facta verò euacuationem. Quæ ergo putrent, refrigerantibus, attenuantibus, & acritudinem humorum mitificantibus sensim à putredine vindicantur.

Quam humoris putrentis mitificationem cùm Auicennas coctionem appellat, non intelligit πέψιν sed πεπασμὸν, hoc est maturationem, quam Galen. 6. epid. sect. 5. text. 6. ad mediocre temperamentum adductionem significare scribit. Nolumus tamen cum Auicennæ interprete asserere, illam humorum coctionem, esse æquationem eorum ad consistentiæ mediocritatem, per incrassationem tenuis, & attenuationem crassi: siquidem bilis & ichores si incrassentur, obstructione auctâ, putredinem augebunt.

Humores coquentia ac præparantia,& putrilaginem eorum reprimentia, propriis capitibus explicabimus,quæ ſanè eò tendunt, vt ſimul & ſemel obſtructionibus reſerandis inſeruiant, putredini obſiſtant,& calorem temperent.

In quorum vſu eò vſque perſeuerandum eſt,donec ſucci, vel vniuerſim, vel ex parte ſint mitificati, quo tempore à natura ſecreti, conuenienti vacuatione ſunt expurgandi. Atque id quidem, tum pro humoris conditione, tum pro naturæ inclinatione.Etenim ex Hippoc. Aphor.22.lib.1. concocta medicari oportet non cruda. Et ex eodem, Aphor.25.eiuſd. lib. ſi qualia purgari oportet purgentur,confert, & leuiter ferunt: ſin minùs contra. Quæ ducere oportet quò maximè natura vergit, per loca conferentia eò ducere. Sic aliquando per ſudores,vrinas,vterum vacuantur.

Tandem vbi detracto incendij fomite, & materiâ peccante vacuatâ, ſi reſiduus ſit in membris calor, huius intemperiem emẽdare oportebit,tum refrigerantibus Iulapiis, aut decoctis, tum epithematibus; quæ principum viſcerum regioni tepida admoueantur: imò & aquæ tepentes balneo.

Verùm dum prædicta aduerſus morbum exequimur, naturæ eiuſque viribus per alimenta ſuccurrendum eſt:in quorum adminiſtratione,horam potiſſimùm cibationis obſeruamus,tempore ſcilicet interualli: vt docuit Hippocr. in acceſſionibus abſtinere oportet:nam cibum dare nocuum eſt.

Quæ omnia cùm in regulari febrium curatione obſeruare oporteat:accidit aliquandò nos ad irregularem curandi methodum diuerti, ob occurrentium ſymptomatum vehementiam, vt docet Galen.lib. 11. Meth.cap. 11. & 1. ad Glauco. cap.14.vbi hoc generale præceptum habetur,metiendum eſſe quanta ſit febris, quantumve ex accidentibus periculum immineat: atque ad id quod vehementius eſt intendendum, non poſthabitâ omninò alterius curâ. Inter particulares caſus, ille eſt notatu dignus: quod ſi quis febricitet(inquit) & adſit lethorica diſpoſitio: verùm ex recentibus cruditatibus ſit, ac morſum ſentiat, afflictumque os ventriculi:nunquid hîc ad febrem reſpicientes, ſolam multitudinẽ euacuare tentabimus? An priùs ori ventriculi prouidebimus?mihi quidem ita agendum videtur.Multos enim ſæpiùs vidi,qui ita affecti erant,quoſdam interiiſſe, alios ad extremum periculum fuiſſe perductos, cùm Medici eos euacuare tentaſſent,antequam os ventriculi corroboraſſent.

Ita cùm in principiis acceſſionum,à cibis abſtinere oporteat: tamen vel ob aduenientem ſyncopen, vel ob ventriculi morſum in biliofis, ineunte acceſſione, Galenus cibum, imò & panem vino intinctum exhibuit lib. 10. Meth. cap.4.

CAPVT XI.

De febre ſanguinea, ſeu ſynocho putri.

MEDICI eam differentiam inter febres συνεχεῖς ſeu continuas, & σύνοχοι ſeu continentes ſtatuerunt:vt continuas eas appellent, quæ licet omni ſenſibili intermiſſione careant, tamen remiſſionem

ſionem aliquam, & ſubſequentem exacerbationem abſque annotatione euidente experiuntur. Continẽtes autem ſunt, quæ non ſolùm nullam habent intermiſſionem, ſed præterea quæ à principio ad finem nullam exacerbationem, aut periodicam remiſſionem ſenſibilem admittunt.

Febris ſynocha putrida eſt, quæ ſine omni remiſſione aut intenſione à principio vſque ad finem affligit, à ſanguinis in venæ cauæ ramis maioribus putredine orta.

Dum ſanguinem dicimus, eum alimentariorum humorum complexum intelligimus, qui in ſanis etſi heterogenearum ſit partium, tamen ab omni excrementitiorum humorum ſenſibili permixtione liber, in venis continetur; quem putrere conſtat, eumque per pepaſmum mitificatum in pus, aut ſubſtantiam puri reſpondentem conuerti. Eo verò putrente, quoniam à vaſis cordi continuis euaporatio putris perenniter effertur; neque aliunde nouus in vaſa refunditur, cùm non alibi quàm in vaſis idem contineatur: febrem verè continentẽ excitat.

Cuius vt ſupra explicatum eſt, triplex eſt differentia. Ea enim vel homotona eſt, vel paracmaſtica, vel epacmaſtica: ſeu eodem tenore perſeuerans, decreſcens, aut increſcẽs. Quod ſi eiuſdem conditionis ſanguis in determinata ſede, ac maximè cordi propinqua, putrilaginem concipiat: continentem non exquiſitam, ac ſymptomaticam infert. Quæ quibus ex cauſis periodicas aliquando patiatur exacerbationes, ſupra c.8. retulimus. Tertiò ſi ſanguis in vaſis maioribus copioſæ bili permixtus putreat, ſed ita vt nullâ conſimilis humoris excrementitij nouâ acceſſione foueatur: continentem illegitimam generat. Quartò demùm, eo ſimiliter mixtim putrente, nouo tamen excrementitio humore per interualla ab hepate, ventriculo, aut liene in vaſa transfuſo: fit febris continua proportionata; hi enim humores vix ſoli putrent intra venas, ſed ſanguinem cui commiſcentur pari vitio inquinant. Tandem ſi excellens putredo, totam ſanguinis maſſam inuadat, pro exquiſita ſynocho, malignam continentem aut peſtilentem facit.

Inter has autem omnes febres, eam ſimpliciter ſanguineam & legitimam atque exquiſitam ſynochum putrem, ſeu continentem appellamus; quam alimentariorum ſuccorum maſſa venis concluſa, magna ex parte putreſcens excitarit.

Legitimæ ſynochi cauſæ; vel ſunt remotæ, vel proximæ. Sub remotis ea omnia comprehendimus quæ ſanguinem copioſiorem generant: at proximas eas eſſe dicimus, quæ in ſanguine putredinem, non tamen excellentem cauſant. Prioris ordinis ſunt, modicè calidior ægri temperies, adoleſcentia, & quæ illi ſuccedit ætas, temperata anni conſtitutio, euchymorum ciborum liberalior vſus, otium, & conſueta aliqua ſanguinis vacuatio ſuppreſſa. Quæ ſi omnia aut plurima concurrerint, copiam ſanguinis colligunt. Poſterioris ordinis ſola eſt cutis aut vaſorum in habitu plethorico non leuis obſtructio: quæ à prohibita tranſpiratione, feruorem, & mox putredinem inferre eſt nata.

Signa legitimæ continentis & exquiſitæ ſanguineæ, ex ſex illis

fontibus putridarum eruuntur. Primùm calidum exhalans vaporosum & subacre est. Pulsus sunt magni & celeres, & molles: & communem putredinis inæqualitatem retinentes. Vrinæ subrubræ sunt & crassæ. Præterea ea præcesserunt quæ vel copiosiorem sanguinem generant; vel repetinam cutis obstructionem intulerunt. Quintò hæc febris seu cum, seu sine perfrigeratione inuadat: tamen citra sensibilem remissionem, aut exacerbationem, ad extremum perseuerat vel eodem tenore, vel sensim increscendo, vel paulatim decrescendo. Eadem demum habet tensiuum capitis dolorem, cum ridiculis deliriis, rerumque rubearum visis, lumborum dolorem, oculorum item, & genarum ruborem.

Acuta est hæc febris: omnium tamen periculosissima est epacmastica, maximè si cum prauis signis iungatur. Ab ea verò homotona minùs periculum minatur, & minùs adhuc paracmastica. Solet hæc febris, sæpiùs hæmorrhagiâ, sudoribus, aut per vrinas die quarto, aut septimo solui. Nonnunquam rubris papulis per cutem effusis, modo cum signis laudabilis criseos eueniant.

Quæ verò illegitima est, euacuatione per aluum terminatur, quæ in legitima est suspecta, non enim materiam morbi euacuat; & vires exoluit.

Curatio huius febris, generales putridarum indicationes sequitur, nempe ablationem causæ, & caloris febrilis alterationem. Sanguis ergo vt copiâ peccans minuendus: pori cutis aperiendi, causis obstructionis ablatis. Symptomata quoque lenienda. Imprimis aluo leniente enemate expurgatâ, sanguis venâ sectâ largè ducatur, vel vnâ vice, vel partitè iuxta vires; ex basilica dextra, tum ex sinistra; vel ex inferioribus venis, ob suppressionem hæmorrhoidum aut mensium.

A sanguinis missione, lenis purgatio iuuabit ex infuso tamarindorum, rhabarbari, lenitiuo Nicol. syrupo ros. solut.

Si cutis obstructio febri occasionem dederit, illi medendum, exteriùs quidem per frictiones leues, & illitiones: interiùs verò per iulapia & apozemata, quæ refrigerando attenuent, & incidant, vt febrilis ardor retundatur, obstructiones reserentur, idipsum quod; utret mitificetur.

Inter refrigerantia, lactuca, acetosa, oxylapatum, trifolium acetosum, endiuia, dens leonis, hordeum, pruna acidula, borrago: ad attenuandum radices graminis, acetosæ, asparagi, pentaphili: semina frigida maio. succus granator. limonum, acetum, spiritus sulphuris, vitrioli.

In quorum remediorum vsu ad septimum diem perseuerare expediet. Quo transacto, cùm iam signa coctionis apparuerint; naturâ nihil pro morbi solutione moliente, ad id quod iam putruit, & pepasmo mitificatum est, aut orgasmo agitur euacuandum, vtilis futura est purgatio. Ad quam mitiora prædicta conueniunt: addito sennæ decocto, & polypodij in synocho illegitima.

Si circa quintum diem, coctionis signis apparentibus, nullâ obstructione, nulloque tumore viscera infestante, & ventriculo non infirmo, æger magno æstu premeretur, & frigidam appeteret; saluberrimum

rimum foret tantam tali ægro frigidam exhibere, imo & niue refrigeratam (si illi fuerit assuetus) quantam vno haustu potare ad satietatem posset. Quò non solum calor febrilis extinguatur, sed & materiâ iam coctâ, per vomitum, aluum, vel sudores euacuetur.

A purgatione, aut post criticam euacuationem, si reliquiæ caloris pr. nat. appareant; vel ante etiam si facultatis vitalis adsit imbecillitas, epithemata cordis & iecoris regioni admota vtilissima erunt.

Capiti ad dolorem sedandum, & somnum conciliandum (his præsertim diebus, in quibus nulla apparent futuræ hæmorrhagiæ, aut sudoris indicia), frontalia ex vnguento populeo possunt admoueri. Lumborum regioni æstuanti, illitus ex cerato refriger. Gal. præparandus. Tandem symptomatibus quiescentibus, & febre; ad corporis siccitatem introductam temperandam, balneo aquæ tepentis vtemur.

Victus sit tenuis; quoniam & sanguis abunda, & morbus est breuior: sitque is refrigerans & humectans, simulque crassos humores attenuandi, & viscidos detergendi vim habens.

CAPVT XII.

De malignis & pestilentibus febribus.

MALIGNI significatio multò amplior est quàm pestilentis: minùs propriè dicũtur morbi maligni, atque febres; quæ quauis ex causa ortæ, seu etiam vehementi, seu ex dignitate partis, ac imbecillitate, id habent vt difficilè euincantur. Propriè tamen malignæ febres appellantur, quæ ab excellenti quadam putredine generantur. Sic apud Galen. 5. in 3. epid. comm. text. 23. malignitas abundantis humoris ex magnitudine consistit putredinis.

Quia verò in hac putredinis excellentia datur adhuc magis & minùs, contingitque vnum aut alterum ex vehementia putredinis febrire, eodem tamen morbo populariter non grassante; aliàs accidit ex vi causæ communis, plurimos per idem tempus congenere febre teneri; & per contagium se diffundere: duæ hinc malignarum febrium propriè dictarum species emergunt. Prima est sporadicarum aliquos particulatim affligentium, quæ simpliciter malignæ nominantur: quas continuas aut intermittentes esse contingit, modò grauiùs multò ægrotantes afficiant, & cum indiciis excellentioris putredinis quàm vniuscuiusque conditio vulgò ferat. Altera differentia est illarum quæ malignæ simul & pestilentes appellantur; quasi pestis naturam imitantes. Quarum adhuc duæ sunt species. Aliæ enim imitatione tantum pestilentes vocantur, quod populariter grassantes communem habeant causam à qua ingens illa putredo malignitatis fundamentum insinuatur. Aliæ verò propriè pestilentes, quod pesti morbo epidemico consocientur. Pestis autem apud antiquos, licet nullius determinati morbi sit nomen, ea tamen est eius idea, vt quicunque morbus vno in loco multos inuaserit, & multos perimat, pestis dicatur.

At vulgò pestis nomen inditur vel malignæ omni febri populariter cum contagio grassanti, quam mali-

gnæ papalæ, anthraces, & bubones vt plurimùm comitantur: vel frequentes anthraces cum bubonibus contagiosis, seu febris interueniat, siue non, pestis appellantur.

Febris pestilens & contagiosa à plurimis in ephemeras, humorosas, & hecticas distinguitur: quia putredinis & corruptionis indicia præ se ferunt hæ febres, & proinde ab his causis spiritus, humores, & cordis totius substantia facilè coinquinari potest, atque dissolui.

Causæ febrium minùs propriè malignarum sunt, vel humoris excrementitij copia & crassities naturæ vires superantes, seu in determinata abdominis sede putrentes, seu per vasa diffusi: vel viscerum aut totius corporis intemperies, & imbecillitas; vel graues errores in principio commissi.

Causa febrium propriè malignarum in genere vna est, putredinis scilicet excellentia, quæ penes aliquod istorum trium attenditur, vel penes substantiam putrescentem, vel putredinis progressum, vel penes causam. Ex parte substantiæ, quæ est in materia admodum adusta, vt bile porraceâ in vasis genita, æruginosâ, isatode, & atrâ: penes putredinis progressum illam excellentem appellamus, humoribus excrementitiis, seu massæ sanguinis aduenientem, per quam humidi seu proprij ichoris à reliqua terrestriore substantia dissolutio fit plurimùm progressa; quæ quatenus tanta est, vt partium dissolutarum actiuitas naturæ magnam molestiam inferat, excellens appellatur.

Penes causam tandem dicitur, quæ à tantæ actiuitatis causa introducitur, vt & celerrimè operetur, & difficillimè eidem resistatur.

Prouentum præadustæ illius materiæ causant, particularis anni siccior calidiorque constitutio, ægri temperies, & prauorum potuum & eduliorum vsus. Ad citatiorem putredinis progressum facit, vel innati calidi oppressi imbecillitas, in his qui lautiùs alti, otio indulgent, vel oportunâ venere feruorem in succis concitarunt; vel in mœrorem aliquem inciderunt.

Tandem causæ putrefacientis vehementiâ: ex cœlorum maligno influxu, & venenata animalium pharmacorumque effusione, potentissimè corpora corrumpuntur.

Causæ febris per imitationem pestilentis, pares sunt priori; desuper communem habet causam, à qua plurimi simùl offenduntur. Huiusmodi sunt fontes inquinati, vel prauorum eduliorum esus, vel malignus aër putri exhalatione infectus: vel demum qui à syderum influxu per austrinam constitutionem humores corrumpentem, inquinatur.

Causæ febris pestilentis contagiosæ eædem sunt quæ pestilentis per imitationem dictæ: sed quæ ad maiorem sæuitiam & malignitatem peruenerunt; qui tali febre laborant, inquinaměta μιάσματα vicinis corporibus prædispositis effundunt, & parem labem iis imprimunt. Etenim contagium nihil aliud est quàm infectio per copulentũ quidpiam aut vaporosum, ab ægro corpore effusum sanis communicata, parem affectum admittenti insinuans, qualis in effundente fuit: seu per medium fomitem, seu per effusionem in distans, seu per contactum fiat: vt explicatum fuit parte theoric. tract. 3. lib. 1. cap. 6.

Signa febrium tam propriè & simpliciter

simpliciter malignarum, quam pestilentium, secundum magis & minùs differunt, & variè se produnt, pro excellentis putredinis conditione; secundam quam ab aliis putridis distinguuntur. Cùm enim multa materia vehementer putret, & dissolutio heterogeneorum in ea magnum progressum faciat, euidentiora suæ cacoëthiæ signa profert: cùm autem vehementia actiuitatis causæ putrefacientis tanta est, vt non ante progressus putredinis manifestetur, quàm interitum adduxerit, multò deteriorem facit.

Per singulos ergo signorum putridarum febrium fontes discurrendo. Primò calidum quod à febribus malignis aut pestilentibus euaporat, aliquando tangentibus mite apparet. Aliàs importunè ferit. Prout calidum illarum febrium est, vel colliquans humidum, vel æstuans & deurens.

Pulsus præter communem omnibus putridis inæqualitatem, solent principio esse in magnitudine mediocres, celeres, frequentes, inæquales, & inordinati; mox parui frequentes, languidi, & sine ordine inæquales. Ac demum cum ingenti paruitate frequentes, & languidissimi. Verùm aliquando corde nō lacessito, sed latenter procedente putredine; pulsus mediocres apparent, optimos Medicos vt ait Gal. fallentes. lib. 3. de præsag. ex pulsib. cap. 3.

Vrinæ in malignis febribus, aliquando sunt crassæ ex flauo rubescentes; alias tenues sed flammeæ; quandoque subobscuræ & liuescentes, à calidi insiti extinctione. Plerumque oleagineæ, ob colliquationem. At sæpè in iisdem, maximéque in pestilentibus, similes sunt sanis; seu quod liquamē succorum, naturalis seri conditionem æmuletur, vt in diabete: seu quod à caloris imbecillitate & exolutione, ac putredinali feruore simul concurrentibus, quædam velut moderatio coctionis appareat, in vrinis.

Alui excrementa in malignis propriè dictis, vt plurimùm liquida sunt, diuersorum colorum, admodum fœtentia, & pinguia à colliquatione, quæ plerumque febres pestilentes consequitur ex Galen. 3. in 3. epid. com. text. 57. eadem in nonnullis propriè malignis & pestilentibus, quasi à sanis excreta visuntur: putredine in imo vasorum latente.

Causæ prægressæ, malignitatis, vel pestilentis conditionis suspicionem inferunt.

Symptomata tandem grauissima his febribus superueniunt; vigiliæ, deliria; aliàs cataphoræ, & profundi sopores, memoriæ læsiones, anhelitus fœtores: vomitus graueolentes, animi deliquia, & syncopes eisdem accidunt. Quosdam sitis ingens vexat, alij cum linguæ asperitate & nigredine, sitis carentiā. In omnibus motricis facultatis ingēs deiectio adnotatur, necnō inappetentia. Plurimis ac pestilentibus maximè papulæ par cutem effunduntur: nonnunquam pulicares, aliâs latæ, aliquando rubræ: aliâs liuidæ, aut nigræ. Quibusdam aphtæ, parotides, bubones, aut carbunculi adnascuntur. Facies plerumque his Hippocratica est, ab Hippocr. 1. progn. text. 6. & 7. descripta. Nonnulli repentino interitu ruunt, vix vllo sensibili symptomate præcedente.

Signa distinctiua differentiarum, & primò malignarum simpliciter, hæc sunt: omnia habent sympto-

mata principio, vt plurimùm mitiora, sensim increscentia, plerumque exanthemata, seu papulas proferunt, & nondum populariter grassantur. Pestilentes autem per imitationem appellatæ prioribus hoc addunt, quòd vulgò quidem grassentur, & plurimos inuadant, ac perdant, sed sint absque contagio. Quod illis laborantes nulla effundant inquinamenta consimilē morbum aliis inferentia. Præsertim cum in tali epidemica constitutione aduertam⁹ morbos huiusmodi in plures gliscere, communis causæ vitio, qui alios ægrotantes non inuiserint, quàm in illos qui ægris astiterint.

Pestilentes tandem contagiosæ à prioribus, vehementiore malignitate, celerio e pernicie, & præsertim contagio discernuntur; tantæque sunt perniciei, vt relictis in fomite miasmatis in alios se diffundant.

Inter has autem humorales, ipso principio vehementissima habent symptomata: vti vomitiones cum animi deliquio, sæuissimos capitis dolores, & reliqua iam dicta.

Ephemera pestilens se prodit ex insigni virium prostratione, citra vllam excretionem internam putredinem attestantem; sine bubonibus & anthracibus.

Hectica pestilens hoc habet, vt qui eâ corripiuntur, parum ad sensum pr. nat. immutati, se ne febrire quidem existimantes, ægros ad interitum ducunt. Eóque magis prodigiosum, quòd cùm facultas vitalis tunc sit imbecilla, tamen possit mediocrem pulsum, & qui sanorum conditionem imitetur parere, vt adnotatum diximus à Gale. quòd licet Mercuriali, lib. 5. prax. cap. 17. ex ingenti euentationis necessitate, & facultatis imbecillitate, oriri censeat: cùm magnum & celerem facere impediatur, moderatum præstat. Quæ ratione in vna aut altera differentia pulsus locum haberet: sed in præsenti perseuerat sine vlla inæqualitate; cùm in his febribus, grauis ea quæ nostris corporibus imminet noxa, non tam primarum qualitatum temperiē euertat, quàm mixtionis coalitum aggrediatur, principio vitalem facultatem non admodum infirmari contingit, & non tam à vehemētia caloris, quàm ab indiuiduali putrefacientis temperie, ac substantiæ modo lacessitam, mediocres pulsus facere: quod ea, & temperiem integram ad tempus retineat: & ab vsu, vix sensibiliter aucto, minimùm irritetur.

Signa distinctiua causarum ex dictis discernuntur.

Quod ad prognosim: malignam aut pestilentem febrem imminere præuidebimus, tum ex corporum aptitudine ad putredinem concipiendam; tum ex causarum eam inducentium præsentia; & ab insuetis casibus instruemur, si grassantium morborum curationes, solito sint difficiliores: si sæuiora symptomata morbos vagantes comitentur; quàm pro singulorum specie consueuerint: si ex miti principio, præter apparentem causam, multò deteriorem conditionem per augmentum acquirant. Euentus morbi colligitur magis aut minùs periculosus, ex his quæ cap. 9. præcedenti docuimus.

Ad prophilaxim febrium malignarum; principio plethora misso sanguine minuenda est: & cacochymia iteratis mitioribus purgationibus est corrigenda. Mox si quæ sint in visceribus & vasis obstructiones: per

per attenuantia, incidentia, & detergentia referandæ, additis refrigerantibus, & acidis. Fonticuli in tibiis aperti sunt salutares. Causæ non naturales sunt moderandæ, ne ad harum febrium generationem concurrant.

Pestilentium febrium præcautio, præter superiora tria requirit: quorum primum est, citò in loca plurimùm inde distantia abire, & tardè reuerti.

Secundum in emendatione prauitatis aëris consistit. Præparando suffitus odoratorum. Et qui domo egrediuntur, aceto composito ex infusione angelicæ, zedoariæ, rutæ, scordij, nares, tempora & carpos illiniant.

Vltimò antidotorum vsus confert: vt theriacæ, mithridatij, Oruietani antidoti, & Moybani, aquarum cinamomi, theriacalis, imperialis.

Demum amuleta, scilicet hydrargyrum: & sacculus ex arsenici puluere confectus, conueniunt, si cordis regioni appendantur.

Ad therapiam tam malignarum, quàm pestilentium prima surgit indicatio, obstructionum reseratio; secunda putredinis excellentis quæ malignitatis fons est, emendatio; tertia partium principum corroboratio; quarta putrentis materię euacuatio; quinta symptomatum superuenientium mitigatio; sexta tandem naturæ per alimenta conseruatio.

Obstructio in malignis febribus demitur primùm sanguine misso, si plethoræ exquisitæ, aut nothæ indicia appareant: parcâ tamen manu, & intra tertium diem. Quod si venam secare non concedatur, vel hirudines ano admotæ, vicem phlebotomiæ supplebunt: vel cucurbitulæ naribus applicatæ: vel surarum scarificationes. Si verò solius cacochymiæ, citra plethoram signa se prodant; purgatio conueniet. In alterutra euacuatione cauendum, ne natura alicuius excretionis ad cutem, vel emunctoria notas insinuet. Malignum enim illud, nonnisi ad perniciem intrò reuocatur. Purgatio feliciùs instituitur cum pharmacis mediocrium virium, quàm vehementioribus, cardiacis admistis: sed ad vtramque vacuationem maximam virium rationem habere oportet. Quę si non admodum fuerint infirmæ, modum vacuationi imponent: si verò effœtæ iam sint: aliis auxiliis quàm vacuãtibus subueniri postulant, his scilicet quæ attenuando, incidendo, & detergendo, vasorum infarctus aperiunt.

In malignis & pestilentibus febribus, in quibus euidẽs est virium prostratio, facultatum atoniam seu per intemperiem toti substantiæ aduersantem, seu per exolutionem inductam consequens: alexipharmacis potiùs vires reparantibus, & malignitati obsistentibus est opus, quàm vacuatione vllâ, præterquam fœcum, per clysteres lenes, ; recuratâ.

In pestilentibus autem seu præmissis dictis remediis, seu ob virium imbecillitatem omissis: maximè cõueniet sudorem prouocare, exhibitis aquis cardiacis, scabiosæ, nucum, cardui benedicti, bardanæ, vlmariæ ad ℥ viij. cum ʒ. ß. theriacæ veteris: vel cum ℈ xij. pulu. bezoar, cum decocto radicum pentaphilli, & pauci ligni sassafras. Cooperire ægrum oportet, & postea sudorem detergere, ac tandem iusculo nutrire.

Secunda indicatio exposcit ea

quæ putredinem emendant, & malignitatem reprimunt:variè compoſita pro varietate æſtus febrilis, intenſionis putredinis, conſtitutionis ægrorum,& anni temporis : ex quibus fiunt Iulapia, ſyrupi, pulueres, & potiſſimùm ex plantarum ſylua. Præcipua ſunt radices angelicæ,gẽtianæ,helenij, ſcorzoneræ, ſucciſæ, imperatoriæ,carlinæ, petaſitis, vetonicæ altilis, vincetoxici, pentaphili,contrayeruę,pimpinellæ.Item folia,ſucci,aut aquæ ſtillatitiæ : ſales galegæ,dictamni,ſucciſæ, ſcordij,ſcabioſæ,cardui bened. vlmariæ, acetoſæ,veronicæ maris,rutæ : ſuccus mali aſſyrij, limonum, aurantiorum.Semen ocymi, napi,acetoſæ,hyperici, grana kermes, baccæ Iuniperi.Flores garyophillorum,calendulæ,Iaſmini,bugloſſi, roriſmarini. Lignum aloës, ſantala. Inter foſſilia corallia,bolus armena, terra ſigillata,lapides pretioſi, atque aurum.

Quæ omnia tum ad præcautionem puluerata ad ℈. j. cum conſerua aliqua cordiali debent aſſumi: vel iam febrientibus nunquam ſola exhiberi, ſed cum refrigerantibus mixta, & aridis ſuccis iam dictis temperata.

Tandem vſuueniunt antidota, theriaca, mithridatium, oruietani antidotus, & quæ ad Moybanum ab Schenkio refertur lib.7.obſeruat, confectio alchermes, de hiacintho, pulu.diamargariton,de gemmis,lætificans Gal. & exteriùs epithemata cum aquis cardiacis, nec non emplaſtra ſi cum conſeruis,& balſamo Peruuiano prædicta medicamenta miſceantur:atque etiam linimenta, ſi cum aqua vitæ, cinamomi, imperiali diſſoluantur. Oleum ſcorpionum deſcr.Mathioli.

Tertiæ indicationi ad principum partium robur, ſatisfaciunt odorati ſuffitus,& antidoti ſub varia forma exhibitæ, & externa cor roborantia deſcripta.

Quarta indicatio erat ſemiputris materiæ euacuatio, quam in febribus malignis, & peſtilentibus nothis,a parente coctione, & naturâ nullam euacuationem moliente, purgante medicamento detrahere conceditur.In verè autem peſtilentibus humoroſis, ab alimentorum vitio natis ; mitificatis iis ope alexipharmacorum, vtiliter euacuantur purgatione per aluum. Si verò aëris vitio, aut per contactum febris ea contracta fuerit, à purgantibus planè abſtinendum erit. Et quia natura ſolet virus ad emunctoria tranſmittere per bubones, vel in aliquam partem per anthraces,vel in cutem per papulas,oportebit illam excretionem quamuis ſymptomaticam omni arte iuuare.

Nonnulli phœnigmos & veſicantia carpis, tarſiſque admouent.

Symptomatibus demùm quæ hiſce febribus ſuperueniunt, ſubuenire oportet, vt ſuo loco dicemus.

Poſtremò cibus ſit boni ſucci & facilis coctionis, liquidus potiùs quàm ſolidus, qui iis rebus quæ huic febri conueniunt condiendus.

Potus ſit aqua vnâ aut alterâ ebullitione correcta, in qua aurum ſit extinctum, aut cornu cerui maceratum, cui poteſt admiſceri vinum granatorum acido-dulcium, vel gelatina ex ſucco ribes, berberis,& ceraſorum,aut ſyrup.de limonibus,de aggreſta,granatorum : vel vtantur decocto radicis pentaphili, acetoſæ,cum aliquot guttis ſpiritus vitrioli. Vinum bene dilutum conceditur.

De

CAPVT XIII.

De febrium phlegmaticarum seu quotidianarum differentiis, & curatione.

QVVM multiplex sit pituitæ conditio, & locus in quo ea putrescit varius: plures sunt quotidianarum febrium differentiæ. Etenim si pituita alimentaria, hoc est sanguis crudior in maioribus venis putreat, continentem excitat: quæ symptomata profert illorum æmula, quæ quotidianam continuam consequuntur. Quod si pituita excrementitia sec.nat. genita, subdulcis aut insipida, in grandioribus vasis collecta putreat, quotidianam continuam facit. Eiusdem verò cõditionis phlegmate, in mesenterio congesto, & putrente: continuam lentam generat, plerumque ad hecticam vergentem; quam Auicenna laticam appellauit. Atque hęc œdemata schirrodea per mesenterij glãdes genita, consequitur. Vel ea ipsa si in quadam mesenterij parte minùs imbecillâ collecta, putredinem per partes contrahat, quotidianam intermittentem exquisitam excitat: quæ ἀμφημερινὸς πυρετὸς dicitur à Gal. eaque semel intra diei naturalis spatium inuadit. Cuius paroxysmi ob humoris copiam, aut maiorem ad putrescendum aptitudinem, prioris inuasionis horam plurimùm anticipent: fit continua quotidiana per subintrantiam. Si verò humor qui in mineram refluit, breuioribus interuallis colligatur, atque ita fit ad putrescendum facilis, vt post duodecim aut circiter horas febrilem accessionem renouet: duplicem quotidianam facit. Tandem huius ordinis intermittens, prout interdiu magis, vel noctu acriùs vexat, ab Hippoc. alia diurna, alia nocturna appellatur.

Quod si excrementitium phlegma pr.nat. genitum, acidum scilicet, aut salsum, vel quod fit ex permixtione insipidi cum bile aut melancholia, putreat: quotidianam notham generat, sed multiplicis conditionis. Etenim vel salsum phlegma intra grandiores venas putredinem concipit; & spuriam ardentem causat. Vel in determinato aliquo loco putredine contractâ, symptomatibus biliosam refert, cùm tamen quotidianæ typum retineat.

Illud verò crassioris & simul acidæ pituitæ genus, vitreæ scilicet; si in aliqua abdominis regione partim putrilaginem concipiat, partim imputris exagitetur, epialam generat; quod placidè & leniter calefaciat; caloris simul & frigoris sensu membra perfundens.

Demum in quacunque quotidiana, si ex ventriculi imbecillitate, & humoris putrentis in os ventriculi effusione, frequens accedat syncope: febris fit syncopalis humorosa, ex Auicen. lib. 4. fen. 1. tract. 2. cap. 52.

Causæ febrium quotidianarum sunt, quæ pituitæ prouentum faciunt, nimirum totius corporis, aut ventriculi frigidum & humidum temperamentum, sexus muliebris, ætas puerilis, aut senilis, anni tempus hibernum, frigidior regio, & victus ratio, copiâ aut qualitate eduliorum, multam generandæ pituitæ materiam suggerens. Proxima huius generis febrium causa, ipsa est pituitæ putredo: quæ à prohibita

transpiratione pituitæ vbiuis cumulatæ prodit, & hæc ab obstructione nascitur; quam induxerit humorum crassities & viscіditas: aut cutis repentina refrigeratio & astrictio.

Causæ differentiarum supra expositæ sunt.

Signa quotidianæ exquisitę sunt primò calor minùs vehemēs quàm in aliis: calidum quod exhalat, eâ inæqualitate tangentis manum afficit: vt ea quasi ab acri dispersa fuligine passim vellicetur, & à multo vapore humido cumulatè effundatur: vt innuit Gal. 2. de differ. feb. cap. 2.

Pulsus sunt parui & rari, necnon inæquales & inordinati: præsertim tēpore annotationis & exacerbationis. Iidem etiam molliores quàm in cæteris febribus sentiuntur. Vrinæ primis diebus albæ & tenues minguntur: mox verò crassæ & perturbatæ, crassum & album sedimentum deponentes.

Inuadit febris hæc cum leni extremorum perfrigeratione, vel oscitatione aut pandiculatione. Et solet in horas octodecim suos paroxismos protrahere. Symptomata sunt, capitis grauitas: sensus & motus hebetudo, somnolentia: color albus, parua aut nulla sitis: pituitosi excrementi excretio, & accessione declinante nullus sudor. Ac tandem causæ quæ præcesserunt, pituitam excrementitiam sec. nat. genitam fuisse indicant.

Continens pituitosa à cæteris differt, indesinente perseuerantiâ, & exacerbationis carentiâ. A latina verò distinguitur; quod hæc à principio leuem annotationem quotidianam habeat, longius verò producta, nullam habens exacerbationem, lenta sit & mitior, plerumque in hecticam desinens: Continens verò pituitosa acuta sit, & magnum febrilis ardoris præferat incēdium. Ac demum latica antequam habitualis euadat, ab hectica pulsus mollitie facilè disparatur.

Quotidiana continua, quotidie manifestas habet sine perfrigeratione exacerbationes, ad differentiam subintrantis, cuius exacerbationes cum perfrigeratione, vel oscitatione & pandiculatione adueniunt: vtriusque autem symptomata, intermittentium accidentibus similia sunt: sed illis vt plurimum aliquantò grauiora.

Ardens spuria, & intermittens quæ illam imitatur capite sequenti suis notis indicabuntur. Epiala per easdem corporis partes, calorem & frigus simul præbet. Syncopalis, per singulare illud symptoma à cæteris disterminatur.

Fernelius rarissimas esse quotidianas, sæpiusque tertianas duplices pro quotidianis censuit vsurpari: atque id quidem quod pituita rarissimè putrescat: contrarium tamen accidit ex causarum prædictarum concursu. Diuturnæ sunt hæ febres, nec omninò securæ, & potissimum si ex læsione oris ventriculi, frequentes animi defectiones inferant.

Ad curationem prædictarum febrium; tollendæ primùm obstructiones: cùm enim copia & humorum qualitas obstructionem faciat; vtrumque vitium emendandum est.

In continente quid præstare oporteat, supra explicatum est.

In continua quotidiana venâ in brachio sectâ, sanguis pro natura ægri, & anni tempore mittendus est:

est : præmissâ primarum viarum expurgatione per epotum leniens aliquod medicamentum.

At in intermittente si nullum sit consociatum plethoræ vitium, prætermittenda est venæ sectio. Sed vomitus est prouocandus si nausea ægrum infestet: atque id ex tepido decocto hordei, caricarum, & raphani ad ℥. vj. cum ℥. ij. oxymelitis simplic. per inferna verò ex decocto senæ, agarici, carthami, aut thurbit, cum electuario diacarthami, & melle rosato.

Secundò vt humoris pituitosi putrentis crassities & viscíditas emendetur, attenuantia, incidentia, detergentia, & putredini aduersantia sunt in vsum reuocanda: cuncta moderantes pro pituitæ varietate, mitiora & minùs calida vsurpando: de roborando ventriculo simul cogitantes. Interiùs inter cœtera exhibentur Iulapia & apozemata. Materia Iulapiorum, sunt aquæ cichor j graminis, capillor. vener. betonicæ, melissæ, agrimonij, fœniculi, absinthij, hyssopi: vel eorumdem decocta. Tum syrupi de cichorea simp. capillor. vener. mel rosatum, syrup. de radicib. de betonica, de hyssopo, & de prassio; oxymel simpl. & compos. ad ventriculi robur addimus syrupum de absynthio, de mentha, conseruationis citri. Aromatizãtur puluere diarrhodon, diamargariton, diagalangæ, aromatic. ros.

Attenuantia pituitam mitiora supra recensuimus cap. 10. quæ in continuis quotidianis eligẽda sunt: plurima præterea putredinem reprimentia proximo capite retulimus. Præter quæ in intermittentibus præsertim vtilia sunt radices brusci, fœniculi, petroselini, eringij, apij, rubiæ maioris, galangæ, acori: imò & calidiores in epiala, vt peucedani, angelicæ & similes. Eiusdem ordinis sunt cortex radicis capparorum, fraxini, medianus sambuci, lignum sasaphras. Folia capillarium, betonicæ, melissæ, cardui vulgaris, apij, fœniculi, berularum, chamædryos, chamæpyteos, eupatorij vulgaris. Imò in epiala, folia hyssopi, thymi, serpilli, satureyæ, maioranæ, centaurij vtriusque. Inter semina assumantur semen fœniculi, petroselini, apij, dauci, leuistici, seseleos, cicer rubrum. Flores rorismarini, saluiæ, betonicæ, caryophyllorum seu vetonicæ altilis, genistæ, leucoij, calendulæ, solissequij, & similes conueniunt. Ex quibus ea quæ efficaciùs vrinas mouent, nonnisi parcè per febris incrementum sunt vsurpanda.

Incidentia acida sunt capite vndecimo relata; vt acetosa, oxylapathum.

Ad detergendum valent hordeũ, caricæ, mel, brassica, lentes, cicera.

Ex prædictis medicamentis apozemata præscribuntur quæ ex paucis & vtilibus sunt componenda, omissâ illâ inartificiosâ simplicium mixtorum farragine, quæ ad fastum potiùs, quàm ad ægrorum commodum comparatur. Sit ergo hoc apozematis exemplum.

℞. radic. asparagi, fœnic. Petroselini an. ℥. j. galangæ ʒ. ij. folior. cichorij, oxylapati, agrimoniæ, pimpinellæ, betonicæ, capillor. vener. chamæpitheos, absinthij minor. mẽthæ, an. m. ß. cicerum rubrat. ʒ. ij. semin. fœnic. seseleos an. ʒ. j. flor. rorismarini, buglossi, rosarum rubearum an. p. j. coquantur in aqua q. s. colaturæ ℥. xx. dissolue sacchari opti. ℥. v. mellis despumati

mari ℥. iij. fiat apozema clarum, aromatisatum ʒ. j. puluer. aromat. ros. pro quatuor dosibus.

Qui apozemata respuunt sufficiet ad præparationem humoris per multos dies vti decocto radicum graminis & eryngij, ac foliorum agrimonij. Atque inter præparandum expediet, per interualla lenia purgantia exhibere. Eisdem inter cœtera, decoctum ligni sassaphras vtilissimum est. Sufficiet autem, ligni tenuiter secti ʒ. ij. in sesquilibra aquæ ad tertiæ partis consumptionem incoquere pro Iulapio, quod sacchara dulcoretur: residuum autem in libris quatuor aquæ fontanæ coquatur ad tertiæ etiam partis consumptionem pro familiari potu & huiusmodi decocta alternis diebus renouare conueniet.

Tertia intentio eò collimat, vt putrescentis materiæ portionem mitificatam, euacuemus: vel per vomitum, si ægrum grauis nausea infestet: ad quod vtilia sunt agarici, radicum azari, florum genistę, foliorum attriplicis decoctum cum oxymelite: vel infusum croci metallorum cum vino albo in robustioribus.

At quando in intermittentibus pituitosus humor deorsum magis vergat, purgatio per inferna instituenda erit cum agarico, semine carthami, turbith, hermodactilis, sena. Compositis etiam vtimur, electuario de citro solut. diacarthami, diaphœnico, benedictâ laxat. Pilulis cocciis, aggregatiuis. Si pituita ob residuam aliquam crassitiem, non ita facilè tota purgationi cesserit; iterato per aliquot dies præparantium vsu, alio postmodùm pharmaco eius reliquias in integrum expurgare conueniet.

In continuis quotidianis, si materia putrens iam euicta in vias vrinæ inclinare videatur: naturæ motum insequendo, per ea quæ attenuando vrinas prouocant, illius adiuuanda est excretio; diuretica apozematibus immiscentes. Ad hoc ipsum plurimùm valet decoctum sassaphras.

Quarta demum indicatio suggerit febrilis intemperiei reliquias extinguere, & partium dyscrassias emendare, ipsumque ventriculum corroborare.

Ad primum valent interiùs assumpta. Syrupus de cichorea, de endiuia, aut de pomis simplices: conseruæ rosarum, violarum, borraginis. Exteriùs verò epithemata cordi & Iecori admota.

Ventriculum autem roborabimus interiùs eum syrupo de mentha, & cydoniorum æqualiter mixtis: necnon cum trochiscis diarrhodon, de berberis: aut puluere plesarconticon. Exteriùs vtimur fomentis, linimentis, emplastris, aut cataplasmatibus.

Syncopali verò humorosâ laborantes: quæ ex magna succorum crudorum copia, vnà cum oris ventriculi offésione nascitur; ex Gal. 12. meth. cap. 3. nec sanguinis missionem, nec purgationem sustinent: quos tenuiter alendos docet, tribus primis diebus, asperasque frictiones artubus instituendas: quarum loco leuem iterare vacuationem per interualla expediet, cum pilulis de hiera, cum agarico, aut sine quibus: & mox ad incidentium & attenuantium vsum transire. In quo censu sunt diaspoliticon, diatrionpipereõ, diagalanga, diacinamomum, & decoctum sassaphras.

Victus ratio sit attenuans, incidẽs, & abster

& abstergens. In principio & augmento, parcè hos ægros alere conuenit : cauendo ne futurâ morbi longitudine non consideratâ, tam parci simus in alendo, vt æger morbo succumbat, vel cùm ad statum peruenerit, cogatur pleniore cibo vesci. In vigore vniuersali par penè ciborum quantitas eisdem exhibenda est, quæ in principio. Cibi sint boni succi facilisque coctionis, nullatenus viscidi : atque ideò carnes potiùs quàm pisces. Cibi condiantur petroselino, fœniculo, thymo, hyssopo, cinamomo. Quinimò si pituita quæ peccauerit acida sit & vitrea, caryophillos etiam, piper, & zingiber assumere licebit.

Potus in principio sit mulsa, vel aqua decoctionis hordei, cum radice graminis, eryngij. Coctione verò apparente vinum album, aut rubellum dilutum conueniet.

CAPVT XIV.

De biliosarum febrium differentiis, & curatione.

BILIOSARVM febrium, quæ à bile vel efferuescente, vel putrente, & humorosam cordis substantiam accendente, producuntur: variæ sunt differentiæ, vel ex materiæ diuersitate, vel ex diuersa putredinis sede. Ex priori capite bilis plures sunt species ; quædam alimentaria, alia excrementitia; & hæc vel secundum naturam genita, vel pr. nat. necnon quæ excrementitia est, vel in maioribus venis, vel in determinata quapiam parte putrere potest.

Verùm quæ alimentaria dicitur, si cum aliis sanguinis portionibus heterogeneis mixtim ferueat, aut putreat, alterutrius ordinis synochum facit. Is tamen si à sanguine tenuiore & calidiore excitetur, synochus biliosus appellatur.

Excrementitia verò bilis sec. nat. genita, si in maioribus vasis circum cor, magnâ copiâ affatim aut ferueat, aut putreat ; febrem ardentem seu causam inducit; quæ ex sua duratione non interrupta, continentibus adscribitur. In his autem vrēs caliditas, sitisque incompescibilis hominem torquet. Huiusmodi autem symptomata adueniunt alteri, quæ à copiosiore pituita salsa ibidem putrente nascitur : quæ causus nothus & spurius appellatur. Eadem excrementitia bilis flaua per minora viscerum vasa effusa, erysipelatosum affectum inferens, si ferueat, aut putreat: ardentem non exquisitam generat, eamque lipyriam ex particulari symptomate sæpiùs comitante nuncupamus.

Si verò ea ipsa bilis paulò minore copiâ in grandioribus vasis magis à corde distitis, putreat. Atque illi noua bilis à Iecore in vasa transmissa succrescat : continuam proportionalem facit, quæ tertio die exacerbata, intermittentis tertianæ typum redolet, & tertiana continua nuncupatur.

At si eiusdem generis sincerus humor, extra maiores venas in aliqua determinata abdominis sede putreat : febrem facit intermittentem, quæ quia tertio quoque die repetit, tertiana solet appellari. Summè exquisita ex Galen. 4. aphor. 59. vbi flauam bilem habet redundantem, & locum tempori similem, calidum videlicet & siccum, hominis ætatem & temperaturam similem

Quæ ſi ab exquiſitæ notis aliquantulum defecerit, ac præſertim ſi paroxyſmos habeat horas duodecim excedentes, ſimpliciter tertiana nũcupatur.

Quæ ſi præterea tam longas habeat acceſſiones, vt vltra horas vigintiquatuor protendantur, talem extenſam Galen. appellauit.

Quam ſi adhuc contigerit ita perductam eſſe, vt ad breuem integritatem perueniat: illi Pergamenus τριταιοφυὴς nomen imponit, 2. in 6. epid. tex. 23. à continuis diſcrepant, quòd cum rigore aut horrore inuadentes, poſt horas quadraginta cum ſudore remittunt: tertio tamen die pariliter repetunt.

Quod ſi adueniat ab eiuſdem humoris putredine febrem ſingulis diebus recurrere: eam duplicem tertianam appellamus.

Si verò aut eiuſdem conditionis bilis, alteri humori excrementitio permixta: aut ea quæ pr. nat. eſt genita, vitellina, ſeu porracea febrem excitauerit: tertiana notha vel ſpuria nominatur: ſeu ea continua ſit, ſeu intermittens. Quam cùm porracea genuerit, malignam experiemur.

Ac quidem quæ ex permixtione bilis cum pituita, vel melancholia naſcitur; ſi bilem habeat ſuis ſymptomatibus ſe manifeſtantem, altero tamen humore eorum quæ bili propria ſunt aliquid remittente tertiana notha ſolet appellari. Si verò ambo humores æqualiter mixti, ſymptomata prodant, quæ vtriuſque humoris mixtim putrentis feruorem æqualiter referant: tunc propriè ſemitertiana nuncupari poteſt. Licet Gale. 2. de differ. feb. cap. 8. talem intermittentem tertianam productam malit appellari. Huius autem ſemitertianæ apud latino-arabes, ea eſt differentia: quod ſi bili pituita commiſceatur; ſemitertiana maioris famæ, quæ frequentiùs apparet, appelletur: at ſi melancholia bili admixta ſimùl putreat, ſemitertiana minoris famæ, ſeu infrequentior nominetur.

Ab æruginoſa verò bile putrente, ex flaua acriùs in vaſis efferueſcente per febres ardentes, aut tertianas continuas: gradũ malignitatis eiſdẽ ſuperaddet. Si verò æſtuoſioris tempeſtatis vitio, & eduliorum acriorum vſu, copioſa fuerit genita, eaque in vaſis maioribus putreat: acutiſſimam & malignam febrem inferet, de genere continentium, planè lethalem; quam alteram illegitimi cauſi ſpeciem nominare licebit. At demum parcior genita, in partem determinatam expulſa, malignum tumorem ſeu puſtulam anthraci congenerem procreabit; cui febris continua ſymptomatica ſuccedet: quod malignitate ſuâ viciniores ſuccos corrumpens, eam febrem inducat.

Demum in qua, bile per initia paroxyſmorum in ſuperius orificium ventriculi confluente; ſyncope aduenit, ſyncopalis minuta ab Auicenna lib. 4. fen. 1. tract. 2. c. 53. appellatur.

Cauſæ febrium bilioſarum ſunt, quæ copioſiorem bilem congerunt, tum quæ in congeſta feruorem aut putredinem excitant. Temperatura ſcilicet calida & ſicca, præſertim in viro iuuene & gracili, tum anni tempeſtas calidior: vigiliæ, immoderata exercitia, curæ, ira, inedia, cibi acres, aut ſalſi, vel dulces, ac meri potus.

Cauſæ differentiarum ex dictis colliguntur. Nam intermittentium produ-

produ

productarum causa est, vel magna bilis copia: vel crassi humoris cum bile permixtio, qui periodum minimè peruertat.

Signa ardentis febris communia sunt, quòd neque noctu, neque interdiu remittat, vrenteque caliditate, & siti incompescibili hominem torqueat: modo nulla à capite distillatio, ex ichorosa colliquatione coniungatur. His succedit linguæ asperitas, siccitas, vehemens nigredo, vigiliæ, inquieta iactigatio, delirium. Legitimus vterq; causus tam exquisitus, quàm non exquisitus, plurimùm conueniunt cum signis tertianæ legitimæ, singula tamen habent intensiora. Inter exquisitum & non exquisitum causum, ea est differentia: quod in non exquisito, ea appareant quæ particularem alicuius visceris læsionem indicent: seu id sit Iecur, seu ventriculus, seu etiam pulmo.

In causi illegitimi altera specie, ex prauitate humoris æruginosi, interiora incenduntur: spiritibus tamen per ingens incendium exolutis, frigiditas partium extremarum contingit. In qua multa malignitatis indicia apparent; pulsus procedente morbo languidi, inæquales, intercisi: & aliquando grandinosa ęruginem imitantia vomuntur.

Causi nothi & spurij ex pituita salsa geniti indicia, præter iam dicta, profert in lingua salsedinem, necnon pro biliosis excretionibus, pituitosas.

Cõtinuæ tertianæ legitimæ symptomata sunt, prioribus mitiora. Et hoc habet proprium, quod tertio quoque die exacerbationem patiatur: necnon pulsus habet magnos, celeres, frequentes, omnis inæqualitatis præterquam febrilis expertes.

Continua tertiana notha ex vitellina aut porracea bile intra venas genita: symptomata omnia habet vehementiora, quàm legitima.

Ea verò continua tertiana notha, quæ ex pituita aut melancholia cum bile mixtis oritur: remissiora habet symptomata quàm legitima: pręsertim si pituita bili permisceatur. In alterutriùs autem permixtione, excretiones sunt mixtæ: necnon pulsus inæquales & inordinati.

Intermittentium exquisitarum signa sunt. Calidum exhalans multum & acre, in vigore penè exurens, quod ægros se denudare cogit. Spiritus magnus est ac densus. Pulsus in accessionis principio minùs quàm in quotidianis inæquales sunt & inordinati: sed aliquantò duriores, ob maiorem siccitatem. Vrinæ subfuluæ, aut subflauæ sunt. Cum rigore quasi carnem pũgente inuadunt: quem vomitus biliosus plerumque sequitur. Earum demum paroxysmi non vltra horas duodecim durant, atque iidem cum sudore finiuntur. Acutos, capitis dolores, sitim vehementem, æstum, iactigationem, oris amarorem, cardiogmes, deliriaque nonnunquam inferunt. Præcesserunt etiam vel adsunt causæ, quæ bilem generant.

Duplex tertiana, vti & triplex: ex frequentioribus paroxysmis, tertianæ tamen naturam retinentibus innotescit. Illa singulis diebus; hæc ter intra biduum recurrit.

Tertiana notha intermittens maioris aut minoris famæ, non cum rigore, sed cum horrore inuadit. Longiores habet paroxysmos, quàm

exquisita. Præterea ex ægri constitutione, & causis prægressis; non solùm bilem, sed plures excrementitios humores abundare colligimus; vt in continuæ tertianæ nothæ signis explicuimus.

Febres quæ ab æruginosa bile fiunt: se ex præcedente incendio, & consequente malignitate produnt.

Ac demum syncopalis minuta, ex peculiari symptomate, biliosæ febri superueniente, à reliquis discernitur.

Quod ad prognosim pertinet: causi & tertianæ exquisitæ, æstate magis excitantur, hyeme autem apparentes deteriores sunt, quia tempori minime congeneres. Tertianæ verò nothæ, & semitertianæ maioris famæ, hyeme aut vere sæpiùs generantur: minoris autem famæ frequentiùs autumno.

Causus legitimus acutissimus est, & periculo plenus, ob symptomatum consequentium vehementiam. At exquisito non exquisitus est grauior: ob viscerum affectum, qui tunc lethalis est ex Hippocr. 4. Aphor. 48. cùm partes exteriores fuerint frigidæ, & interiores vrentur. Neque tamen omnis ardens est funesta. Nam ex eodem 4. Aphor. 58. qui à febre ardente correptus est, à morbo liberatur, si rigor successerit. Quinto aut septimo febris terminatur hæmorrhagiâ, aut sudore, aut bilioso alui fluxu, aut vomitu. Quibus non succedentibus perniciosus est rigor, teste Hippoc. 4. Aphor. 46. si rigor incidat febre non intermittente, ægro iam debili, lethale est.

Spurius causus à pituita salsa genitus, diuturnior est, & periculosior legitimo; quod pituita salsa difficiliùs ad pepasmum ducatur. Soluitur abscessu.

Continua tertiana minimè secura, ex Hippocr. Aphoris. 43. 4. vt supra dictum est cap. 9. In intermittentibus aduenit aliquando, ex imbecillitate ægrotantis, partis affectæ præstantiâ, aut transmissione humoris in partem principé, mors sequatur. Quæ sunt exquisitæ iudicantur septem periodis, vt tardissimè, ex Aphor. 59. 4. nothæ verò longiores sunt, aliquando per sex menses durant, ex Galen. 1. ad Glaucon. cap. 8.

Curatio harum febrium instituenda per eas indicationes quas superiùs cap. 10. docuimus. Cùm ergo hæ vel sint continuæ, vel intermittentes: & inter continuas, aliç à solo feruore bilis, aliæ à putredine in vasis maioribus, vel cordi proximis, vel paulò remotioribus excitentur: statim initio, seu ad feruorem succorum in vasis simul cũ bile efferuescentium imminuendũ, seu ad obstructiones reserandas, detrahenda est materia.

Quia verò illa cũ sanguine permixta est, ideo principio venâ sectâ sanguinem mittere oportet, satis magnâ copiâ (pro viribus tamen) in ardentibus, & parciùs aliquantò in continuis.

In legitimo verò & non exquisito causo, ratione Erysipelarosi viscerum affectus, doloris pleni: sanguinis missio, saltem vt reuulsiuum, aut deriuatiuum remedium indicabitur.

Quod verò Auicennas 20. cap. fen. 4. lib. 1. timet, humorum scilicet cholericorum ebullitionem: quæ non contingit, bile sanguini permixtâ: sed cùm bilis in primis viis contenta, sanguine intempestiuè (scilicet

(scilicet ante primarum viarum expurgationem) misso, attrahitur in venas:& in illis efferuescens maiorem phlogosim facit.

Antè venæ sectionem in ardentibus, sufficiet lenem clysterem infundere. In continuis verò proportionatis, quia ex abdomine noua semper bilis in venas transmittitur; si à principio oris amaror, vel nausea ægrum infestet, ante leni medicamento primas vias purgare conueniet, quàm sanguinem mittamus. In ipsis autem ardentibus, citra Erysipelatosum affectum ventriculi, aut intestinorum: vbi sanguinem miserimus, purgante etiam pharmaco o us erit.

In altera tamen spurij causi specie, quam æruginosa bilis intra venas patrens concitat:ab omni purgante abstinendum:sed clysteribus lenientibus & refrigerantibus vti sufficiet:& refrigerantibus auxiliis, ac alexipharmacis feruorem temperemus, & malignitati aduersemur.

Si verò febris sit intermittens,& citra plethoræ suspicionem, nulla est mittendi sanguinis occasio: sed potius lenis est præscribenda purgatio, statim in principio: vt obstructionis & febris materia antecedens, eo remedio saltem imminuatur. A purgatione verò, si forsan coniuncta plethora videatur,& vrinæ sint crassæ, quæ rubrum præterea sedimentum deponant, opportuna erit venæ sectio. Quantum autem euacuare oporteat: copia sanguinis, & vires ægri definient.

Ad purgationem verò discernendum est, num febris sit legitima biliosa, an notha. Tum an natura ad superiora magis, an ad inferiora vergat. Si enim in legitima biliosa intermittente, oris amaror, vel nauseâ appareat: sitque æger gracilis qui non difficilè vomat: purgatio per superiora conueniet, cauendo hyemem iuxta Hippocr. 4. Aphor. 4.6.& 7. idque ineunte accessione præstandum. In robustis quidem cum infuso duodecim granorum croci metallorum, in vino albo. Minùs verò robustis exhiberi poterit drachma vna radicis melopeponis puluerata, cum vini albi quantitate sufficienti:& paulò post digitis, aut pennâ in os immissa, vomitio prorritetur. Si verò relatæ conditiones absint:purgatione per inferiora erit opus, horâ maioris remissionis facienda. In exquisitè biliosis benigniora pharmaca conueniunt, vt cassia, tamarindi, rhabarbarum, syrupus rosat. sol. electuar. catholicon, lenitiuum, diaprunis simp. manna.

In tertianis verò spuriis, admiscere oportet senam, semen carthami, agaricum, turbith, polypodium, epithimum; tripheram persicam, diaprunis solut. diaphœnicum, confect. hamec, quæ sunt commiscenda pro iudicio Medici præscribentis.

Secunda indicatio, est feruoris temperatio, & putredinis coërtio. Quæ ambo refrigerātibus quidem absoluimus: sed eadem humectantia,& leniter incrassantia esse oportet. Cuius generis sunt viola, lactuca, nymphæa, portulaca, semperuiuum minimum, vmbilicus veneris, cichorium, endiuia, borrago, hordeum, succus anguriæ; ex quibus fiunt apozemata Iulapia.

Exteriùs ad eundem scopum varia admouentur capiti frutalia, & epithemata cordis & hepatis regioni,& litus lumbis:& carpis herbas vrticæ, semperuiui, vmbilici

veneris, contusas, aut earundem succos cum linteis circumponimus.

Optimum omnium remedium ad feruorem harum febrium, & causi præsertim legitimi & exquisiti reprimendum; aquæ frigidæ potus, iis conditionibus obseruatis; quas in synocho non putri cap. 6. retulimus ac cap. 11.

Ad putredinem autem coërcendam, ea eligimus quæ refrigerando attenuant, & detergunt, cuiusmodi sunt pro legitimis tertianis cichoreum, endiuia, sonchus, dens leonis, acetosa, hepatica, trifolium acetosum, oxylapatum; vinum granatorum, hordeum non excorticatum, semina frigida minora. Syrupus de limonibus, de aggresta, de succo granator. De cichorea, acidum citri sacchara condit.

Ad eorum autem humorum qui tertianas nothas, aut spurium causum excitant, pepasmum procurandum, præter iam dicta, adde radices graminis, asparagi, brusci: semina frigida maiora, violarum, acetosæ: necnon pimpinellam, agrimonium, betonicam, capillum vener. fumariam, lupulum, ceterach. syrup. bizantin. de duab. aut quinque radicib. de pomis, &c. præstantissimum est ad diuturniores tertianas nothas, decoctum sassaphras.

Ad aromatizationem apozematum, valent puluis elect. triasantali, diarrhodon abbat. trochisc. de caphura. puluis diamoschi dulc. diamargariton. frig. confect. de hyacinto.

Tertia curatiua intentio, ad materiæ semiputris, per pepasmum euictæ purgationem, collimat; de qua in prima indicatione dictum est. Verùm si intermittentes febres spuriæ diuturniores sint; non semel purgasse conueniet, sed iteratis purgationibus eam illuuiem detrahere: vtque faciliùs rebellis ea materia purgationi cedat, ea erunt ex præcedenti capite mutuanda remedia, quæ ad crassos & lentos humores præparandos conuenire docuimus. Cùm secundò aut tertiò purgatum fuerit corpus; nec poterit putredinis materialis fomes, mineræ tenaciùs adhærens detrahi: delicatioribus quidem, pilulas aggregatiuas, aut coccias vtiliter exhiberi: robustioribus verò, etiam stybium præparatum.

Tandem si per vrinas, humorem peccantem (naturâ eò inclinante) expurgare oporteat: quibus remediis id exequi valeamus, capite præcedenti fuit explicatum.

Quarta demum intentio eò dirigitur, vt febrilis discrasię reliquias deleamus, post ardentium, & legitimarum continuarum curationem: quod fit balneo tepentis aquæ. Debet autem administrari citra horrorem, neque dum aliquod viscus est imbecillum; nec cum multitudo crudorum humorum in primis viis continetur. In vicem balnei vti licebit epithematibus, & linimentis regioni hepatis admotis. Exhiberi possunt per os conseruæ violarum, & rosarum, trochisci de caphura, electuar. diarrhod. triasantali.

Quantum ad rationem victus: aër frigidus eligatur aut talis arte paretur. Quies corporis & animi iniungatur.

Somnus concilietur præsertim in causo, & continuis tertianis: exteriùs frontalibus ex puluere requiei Nicol. paratis, vel vnguento populeo, alabastrino, cum granis aliquot opij, & croci. Cauendo ista cùm

cùm crisis per hæmorragiam imminet, quoniam materia ad cerebrum repercussa posset phrenitim, aut cerebri sphacelismum inducere. Solemus etiam tibiarum lotiones imperare ex tepido decocto herbarum refrigerantium, ac capitum papaueris. Per os autem in eundem finem exhibemus Iulepum ex syrupo de papauere, violato, de nymphæa, cum aquis lactucæ, buglossi. Vel exhibemus laudanum Paracelsi gr. v. aut vj. cum conseruæ florum garyophyllor. ℥. ij. formâ boli. Vel ℥. j. philonij romani, cum ℥. ß. confect. alchermes.

Aluum minimè astrictam esse oportet, clysteribus est emollienda.

Causo & legitimâ alterutrâ tertianâ laborãtes, tenuiùs alere oportet: pleniùs autem aliquanto eos, qui alterutram notham patiuntur. Omnibus vtilis est cremor hordei, Ius pulli, & carnium vituli, oleribus refrigerantibus alteratum. Necnon carnes pullorum, vitulinæ, gallinarum, hœdinæ. In intermittentibus per accessiones abstinere oportet: syncopalem excipias, in qua propter animi defectionem, in principio accessionis, licet panem vino intinctum exhibere.

Potus sit aqua hordei cùm syrupo de limonibus, violato, aliquot guttis spiritus vitrioli, præsertim in causo. In syncopali claretúm ex aqua saccharata leuiter cocta, & cinnamomo aromatizata, saluberrimum est. Vinum in intermittente, antequam coquatur morbus, prohibendum: at vbi coqui cœperit, extra paroxysmos exhiberi poterit.

CAPVT XV.

De melancholicarum & Quartanarum febrium differentiis, & curatione.

MELANCHOLICVS humor si intra nos putrescat, putrem suum vaporem ad cor vsque effundens; febrem sui nominis melancholicam excitat. Continentẽ quidem si intra vasa alimentaria putreat: continuam verò, si excrementitia sanguini in venis permixta, putredinem concipiat. Intermittentem facit, si extra maiora vasa in determinata aliqua parte abdominis, excrementitia melancholia putreat.

Vtraque vel legitima est, vel spuria. Legitima quum sola melancholia sec. nat. genita putret: spuria autem, quando vel illi alius commiscetur humor, vel species melancholiæ, pr. nat. genitæ putredinem cõtraxit.

Intermittens aliquando simplex est, alias duplex vel triplex, vt infra explicabitur.

Causæ febrium melancholicarum sunt, quæ melancholiam naturalem generant, temperies frigida sicca totius, vel solius hepatis; præternaturalem autem, eiusdem visceris calida & sicca intemperies; alimentorum crassæ & nigrę substantiæ vsus, curæ, vigiliæ, mœrores, & similia. Putrescẽdi causa est obstructio, & consequens prohibita trãnspiratio: aut maligna qualitas à cœlo influens, aut ab aëre communicata.

Signa quartanarum intermittentium, & legitimarum, primò petitur

ex

ex eo quod exhalat cum calore, mordacem ficcitatem exerens.

Pulsus in principio accessionum obscuri, parui, tardi, & rari; in vigore autem celeres sunt & frequentes, cum illa singulari inæqualitate febrili.

Vrinæ à principio albæ, tenues, & aquosæ, ac percolatę: progrediente verò morbo coloratiores, & subsidentiam habent crassam & subnigram.

Inuadunt hæ febres cum horrore, deinceps cum rigore: & per vlteriores paroxysmos, cum vehementi concussione ossifragâ ὀστικ πῦ. Eædem quarto quoque die repetunt; quarum accessiones ad viginti quatuor horas protrahuntur. Durat rigor ad duas aut tres horas, cui vehemens calor succedit, nullo in declinatione apparente sudore, nisi post aliquot paroxysmos.

Solent quartanarij in principio inappetétiâ teneri, postmodum verò vbi febris aliquandiu durauerit, in vehementem famem incidunt. Tandem ex causis prægressis, natiuâ ægrorum temperie, ætate, anni tempore, & diætâ prædicta signa viam faciunt ad continuas etiam, licet raras discernendas.

Quartanæ spuriæ à mixtione humorum genitæ, signa præ se ferunt illorum: ita si quando à deusti humoris putredine excitentur; quæcunque apparebunt symptomata grauius incendium inesse significabunt; & causas prægressas humores deurentes præextitisse.

Febres eæ licet omni ætati aduéniant, frequentiùs tamen quadragenarios & seniores infestant, sæpiùs item autumno apparent ex Hippocr. 3. apho. 22. aliquando primò inuadunt: aliàs erraticis febribus succedunt. Eædem tar è mouentur, nullo tamen errore admisso vix annum excedunt. Intermittentes securissimæ sunt & facillimæ. Nam vt testatur Hippocr. 5. aphoris. 70. à conuulsione vindicant, & aliis malis, vt constat 6. epid. sect. 6. text. 7. si tamen febri quartanæ, Iecoris aut lienis tumor durus coniungitur: immedicabiles hydropes consequuntur.

In curatione huiusce febris, vt in aliis putridis, quò faciliùs obstructiones referentur, ea materia quæ peccat, & infartui occasionem præstat, minuenda est. Si alimentaria melancholia in venis putreat; aut melancholia excrementitia: iniecto clystere, venam secare conueniet: quo etiam remedio vtendum erit, quando plethora coniuncta fuerit cum intermittente, eligendo venam internam, aut mediam brachij sinistri. Necnon inferiores venę secandæ, venâ largo vulnere incisâ, si fluit sanguis niger audaciùs mittendus: si verò flauus aut tenuis statim supprimendus.

At si absque plethora languido & extenuato corpore quartana intermittens teneat: citra sanguinis missionem, medicamento leniter purgante, minuendus erit humor, ne à vehementibus humor ille iam satis per febrem exæstuans, exasperetur.

Remedia ad id præstandum sunt cassia, rhabarbarum, polypodium, epithimum, sena electuarium lenitiuum, catholicum, syrupus violatus, rosatus solut. Ex quibus vel boli, vel potiones parari possunt.

Imminutâ materiâ; qui in vitio est humor, attenuantibus præparandus est: à calidioribus & ficcioribus abstinendo; temperata & humida

mida vsui erunt. Medicamenta hęc ad Iulapia, & apozemata concinnanda sunt: radices asparagi, brusci, fœniculi, petroselini: cortices radicum capparorum, & tamarisci, medianus cortex fraxini, & sambuci: folia borraginis, buglossæ cum radicibus, fumariæ, lupulorum, calendulæ, melissæ, veronicæ, phyllitidis, ceterach. poma redolentia, cappares, mali assyrij, aurancij cortex: semina fœniculi, anisi, petroselini, dauci, ameos. Demum flores borraginis, buglossi, calendulæ, garyophyllorum, aurãcij. In prædictorum decoctis, aut aquis stillatitiis dissoluimus syrupos de pomis, de fumaria, de cichorea, de succo buglossæ, & chamædrios. Quibus cardiaca quædam, & spiritus recreantia semper admiscere iuuat. Fugiendi sunt syrupi compositi de fumaria, de pomis, de epithymo, & polypodio, quæ purgantia validiora admittunt. Quia humores agitando turbant, & impediunt coctionem.

Quoniam verò crassus ille humor, & ex pituita permixta tenax; non potest totus simul ad pepasmum deduci; postquam aliquot dierum præparatione, quidpiam ad excretionem paratum esse aduertemus: purgatione vti conueniet, & citra fastidium ægrotantis, præparationem humorum, & præparatorum purgationem alternare.

Dum autem his præparantibus vtimur, Aëtij consilio lib. 5. cap. 84. fomentis & epithematibus ex decocto altheæ, maluæ, violarum, linariæ, attriplicis, & similium laxandum erit abdomen, his additis quæ flatus discutiant.

At quia rigor in principio accessionum plurimos grauissimè torquet, spina dorsi linienda theriacâ aquâ vitæ solutâ, oleo scorpionum descript. Mathiol. oleo de piperibus, de euphorbio, de lateribus; essentiâ thymi, rorismarini, & saluiæ.

Tandem coctione iam euidenter apparente, quæ ex vrinis deprehenditur, de humorum euacuatione cogitandum est. Quæ quatuor modis tentari solet: scilicet sectâ venâ, medicamentis per inferiora purgantibus, his quæ vomitum cient: ac tandem per ea quæ insensibiliter humorem peccantem exoluunt.

Quidam in ipsa coniunctionis luminarium hora, saluatellam in manu sinistra secandam suadent.

Purgantia sunt sena, epithimum, hellebori nigri radices, lapis lazuli lotus, aut armenus. Inter composita diasenna, catholicon, confectio hamec, pilulæ de fumaria, de lapide lazuli.

Vomitus ad melancholicam materiam eradicandam, seu potiùs pituitosam prodesse plurimùm poterit, si ventriculus sit nauseabundus, in ipso paroxysmi principio. In robustioribus crocus metallorum à gr. xij. ad xx. in vino albo oligophoro cum ℈. j. pulueris diamargaritonis frig. infusus præbetur.

Insensiliter vacuant humorem coctum theriaca, mithridatium. Nonnulli phœnigmos & vesicantia carpis admouent, vt est frustum radicis dentilariæ Rondelet.

Tandem vacuato aut insensiliter dissipato humore: intemperies quæ in visceribus restat, aliique viscerum affectus emendandi.

Ad ventriculi robur præter fotus, illinitiones, & emplastra, maximè vtilis erit vsus vini absynthites, aut syrupi de absinthio.

Lien tumidior propriis remediis erit curandus. Ad siccitatem hepatis

& corporis corrigendam, balneum tepentis aquæ multùm competere videtur.

In legitima quartana talem viuendi normam instituere conuenit: quæ moderatè calefaciat, & efficaciùs humectet.

In spuria vero ad frigidum tantillum inclinare expediet.

Aër ergo pro legitima quartana laborantibus, sit in actiuis temperatus: in nothis ad frigidum vergat: in quibusque verò ad humidum inclinet.

Motus vehementiores caueantur: moderati autem permittantur.

Somnus sit mediocris, & vigiliæ vitentur. Animi pathemata vehementiora, his omnibus sunt noxia, præsertimque metus & tristitia.

Aluus libera conseruetur, iniectis clysteribus. Victus non debet esse tenuis, sed largior in principio & augmento, in diebus intermissionis: in statu verò tenuior est exhibendus.

Vitentur omnia quæ nigrum, crassum & viscidum succum generant: qualia sunt ferarum & porcorum carnes, bouinæ, & leporinæ, necnon auium palustrium. Pisces præterea cetacei, cartilaginosi, & viscidam mucosamque carnem habentes. Ac demum legumina, caules, pastilia, &c. contra verò laudantur auiculæ montanæ, pullorum, Gallinarum, perdicum, iuniorum columbarum, itemque hœdinæ, ac vitulinæ: necnon pisces saxatiles.

Verùm acrioribus cibis, salsamentis, pipere, synapi, & similibus vtemur, cùm excrementitia melancholia sec. nat. genita intermittentem effecerit; cùm morbus à vigore aliquantulum declinauerit.

At si melancholiam ex aliorum succorum vstione genitam febrem quartanam inferre contigerit: acriora hæc illa exasperabunt; sed horum loco humectantia exhibenda: qualia sunt hordeum, borrago, buglossa, poma, pruna, passulæ, liquiritia, & similia; quorum vsus in continuis est opportunus.

Potus per accessionem sit vulgaris ptisana cum syrupo de pomis soluta, postquam rigor, & perfrigeratio cessauerit. Per intermissionem verò vinum probatur album.

CAPVT XVI.

De febris hecticæ cognitione, & curatione.

HECTICA est intemperies calida, in cordis totiusque corporis solida substantia æqualiter accensa.

Differentiæ hecticarum sunt multiplices: primùm à conditione caloris præter naturam oritur hectica simpliciter dicta, & hectica pestilens. Hectica simpliciter à solo immodico calore sensim ad exsiccationem pergente, excitatur. Hectica pestilens, in qua calor præt. nat. putredinem toti corpori, atque ipsius etiam cordis substantiæ, insinuat: de qua cap 12. egimus.

Secundò febris hectica distinguitur in incipientem & progressam. Incipientem eam nuncupamus ex Galen. 1. de differ. feb. cap. 9. in qua ex prætèrnaturali calore, non à multo tempore concepto in solidis cordis & reliqui corporis partibus, ipsorum humida substantia effer-uescens nondum consumitur. Progressam verò vocamus, in qua ex

longiore

longiore prædicti caloris perseuerantia, humidæ illius substantiæ facta est aliqua consumptio. Cuius ex Galen. 10. Meth. cap. 11. triplex est gradus, pro triplici humidæ substantiæ membrorum diuersitate. Vel enim roridus partium humor caloris vehementiâ ita absumitur, vt ad reparandum quod continuò effluit, pro more minimè sufficiat. Et febri talem humorem acriùs depopulanti, hecticæ marasmodis nō exquisitæ nomen indimus. Vel substantia illa carnosa quæ singulis similaribus membris est propria; à caloris depascentis acredine iam exoluitur: & hectica quæ eò peruenit, marasmodes exquisita nominatur. Vel demum pingue illud, & magis excoctum partium humidū, quod calidi infixi & vitę fomentum est, simul etiam exsiccatur: & fit torridus marcor, seu marasmus, vel hectica consummata.

Tertiò alia est solitaria, & nulli alteri morbo complicata; alia verò alteri morbo coniungitur, vel putridæ febri, pulmonum vlceri, aut cuipiam simili.

Causæ hecticarum simpliciter dictarum tam internæ, quàm externæ sunt eædem atque ephemerarum, imò & quę humorosarum. Sed eas aut vehementiores esse oportet, aut subiectum ad calorem concipiendum admodum aptum esse. Vnde accidit febres hecticas nonnunquam per se primò inuadere. Sæpiùs verò hecticæ alias febres consequuntur, ardentesque præsertim, inflammationes & erysipelata iecoris, aut ventriculi: vel aliàs diuturniori empyemati, vlcerique pulmonum superueniunt.

Signa hecticis omnibus communia, hæc sunt; calidum quod ab illis exhalat, cùm principio tangenti mite appareat, post aliquam moram acre sentitur: cùm interim ægri se febrire non existiment, quòd intemperiem æqualiter ab omnibus corporis partibus contractam sentire nequeant. Arteriæ cum celeritate & frequentia pulsus hoc habent; quod illis superinducta cutis, calidior quàm alibi sentiatur. Arteria non in omni hectica dura est: etenim in hectica incipiente arteria nondum siccitatem contraxit.

Præterea in quocunque tabificæ, seu progressæ gradu, quacunque horâ cibentur ægri, post vnam aut alteram horam solitò calidiores apparent, & eorum pulsus aliquantò maior & celerior redditur. Atque id quidem accidit, quod ex cibo potuque iam attenuato & rarefacto in ventriculo, copiosus quoquouersùm effusus vapor, vt aqua calci, sic solidis se partibus insinuans, superincalescens, copiosam calidam effumationem in cutem effundat, quæ tangentibus ob maiorem calidi effumantis copiam, aucti etiam caloris speciem præstat: pulsus maiores & celeriores quàm ante euadunt: quod per eorum vaporum effusionem arterię quadantenùs mollescant.

Hecticorum vrinæ, sanorum vrinas proximè imitantur. A quibus tamen vt plurimùm differunt: quod citrino colore paulò saturatiore tingantur.

Demum ex causis externis & procatarcticis, vel internis vehementiùs corpus iam siccum afficientibus.

Signa distinctiua hecticæ cum putrida coniunctæ sunt ex Gal. 11. de differ. febr. c. 9. quod cùm ex accessionum & remissionum perio-

dis, putridam ægrum infestare appareat: præterea effumatio quæ à sic febriente exhalat, acrior sit quàm putridæ conueniret. Minor etiam sit pulsus & frequentior. Necnon cutis arteriæ superinducta calidior. Et quod cum humorosa febris remittitur, ægro se febrire non existimante, adhuc perseuerans febris sentiatur, de calidi effumantis acritudine, & pulsus celeritate. Quibus si accedat eas causas, eamque ægri constitutionem præcessisse, ex quibus solida cordis corporisque substantia, calorem pr. nat. contraxerit: certum erit putridæ hecticam esse sociatam.

Hecticam incipientem ex Gal. 1. de differ. febr. cap. 5. cognoscemus: primùm quod cùm febris ex his causis sit accensa, quæ ephemeras excitare consueuerunt: nullâ ex vrinis apparente notâ putredinis, febris vltra quartum diem perseueret, sensim increscente effumationis acritudine circum arterias.

Pulsus non ita parui sunt, & duri atque in aliis hecticæ differentiis. Et calor tangentibus maior appareat: minùs autem acris sentiatur.

Marasmodem non exquisitam detegemus, si calore minimùm remisso ab eo quem antea in hectica incipiente deprehendebamus; de nouo accidat, ab assumpto quacunque horâ cibo, cum incompressa annotatione, cutem calidiorem à tangente percipi: pulsus maior ac velocior efficitur. Præterea corpus incipit emaciari, & cutis exsiccari. Pulsus tandem cum celeritate & frequentia, ad paruitatem, imbecillitatem, & duritiem conuertuntur.

Exquisita marasmodes ex eo innotescit; quod exhalātis calidi post aliquam moram acritudo maior percipiatur, macies increscat, cutis siccior duriorque sentiatur; tempora collabantur, pulsus sint parui, frequentes, imbecilli & duri. Præterea quod in vrinis quædam quasi aranearum tela innatet, quæ baculi cuspide collecta, & igni admota non liquatur, vt in colliquantibus febribus aduenit: sed plerumque leuiter crepitat.

Marasmi tādem notæ sunt: quod eo laborantium oculi sint concaui, palpebris conniuentibus. Sordes eis adhærentes siccæ: collapsa apparent tempora. Cutis frontis arida Vitalis coloris flos in facie extinctus: cum tanta corporis macie, vt consumptâ carne cutis ossibus superinducta videatur. Compressum est abdomen, & præcordia thoracem versus contracta. Pulsus demum duri, debiles, & frequentes qui sensim ad miuros deficientes transeunt.

Inter hecticæ differentias quæ pestilens est, nullâ est medicabilis arte: sicuti nec marasmus.

Quæ putridæ iuncta est; quia non ante curari valet, quàm humorosa fuerit sanata: & hæc plerumque calidis indiget, aut deobstruẽtibus, aut vacuantibus; quorum vsu illa increscit: periculi plena est. Sic quæ phtisi, aut visceris alicuius inflammationi consociatur, ex indicationum repugnantia curatu difficilior est.

Inter diuersos hecticæ gradus, ille qui in sola humidi efferuescentia consistit: difficiliùs cognoscitur, quàm curatur. At tabida alterutra quæ inter incipientem & marasmum est media: prout ad priorem magis accedit, ita difficilioris est cognitionis, & facilioris curationis: &

& contra quò magis ad marasmum vergit. Ætas in hecticam procliuior, est iuuentus & pueritia. Illa quidem ob acritudinem caloris: hęc verò propter humidi facilem consumptionem.

Anni tempus demum hecticis molestissimum est autumnus ex Hippoc.3.Aphor.10.

Pro febris hecticæ curatione, cùm acciderit hecticam alteri morbo coniungi, vtpote pulmonum vlceri, viscerum phlogosi, antiquæ obstructioni, febri putridæ: ante omnia procurandum, vt morbus iunctus curetur: & cùm curatiuæ indicationes sibi inuicem aduersantur; eâ erit opus solertiâ, vt primò quidem illius affectus coniuncti curationi attendamus: sed ita vt hecticæ indicationem non negligamus.

Quando verò hectica solitaria fuerit: siue recens impressa, vel marasmodem exquisitam nondũ prætergressa, solâ alteratione curabitur: in alterantium autem vsu, refrigerantibus humectantia sunt consocianda. Media per quæ his intentionibus satisfit, ex victus ratione, & pharmaciâ petuntur.

Aër primùm ad humidum & frigidum inclinet, quærendo loca quæ propinquos habent fluuios vel cubiculum frequenter aquâ irrorando, vel pauimentum aspergendo, salicis, populi, vitium foliis. Motus omnes inhibere oportet, & quietem consulere. Somnus moderatus esse conuenit, cauendumque à vigiliis.

Mœror, animi anxietas, ac curæ vitandæ sunt. Aluus libera conseruetur clysteribus emollientibus & laxantibus, cum melle violato, cassia, & lenitiuo.

Inedia maximè est noxia: quare si anorexia ex præcedenti morbo adsit, appetentiam reuocabimus, iis quæ humectant & refrigerant. Si nulla sit inappetentia, prospiciendum est, ne plus ciborum in ventrem ingerat quàm coquere valeat. In prandio & cœna iuscula exhibeantur oleribus refrigerantibus & humectantibus alterata. Huius ordinis sunt endiuia, borrago, buglossa, lactuca, portulaca, acetosa, &c. inter fructus vtilia sunt mora, pruna, cerasa, ficus recentes, quæ primâ mensâ ministrantur. Cucurbitæ & anguriæ iusculis incoquantur, poma cocta, pyra, melones conferunt. Carnes sint boni succi, tales sunt pullorum, gallinarum, perdicum, phasianorum, cuniculi, iunioris leporis, necnon vitulinæ, veruecinæ, hœdinæ. Oua recentia, gallorum testes, ranarum coxæ, & pisces saxatiles elixati eisdem conueniunt.

Potus sit aqua cocta, in qua vel saccharum, vel syrupus violatus, capillor. veneris, granatorum dissoluatur. Si feruor febris sit mitior vinum concedendum erit.

Medicamenta sint tantum alterantia: purgantia enim hîc minimè sunt ex vsu; & eo casu tantum si cruditates in primis viis, ex praua victus ratione colligantur. Tunc vtile erit tamarindorum decoctum: cassiæ recens extractæ colata infusio: & thamarindorum pulpa in bolo assumpta: syrupus rosatus solut. & manna in sero lactis dissoluta.

Alterantium medicamentorum; alia per os exhibentur, alia exteriùs ministrantur. Interiùs assumenda sunt iulapia, apozemata, condita, & opiatæ. Iulapia ex aquis stillatitiis, vel decoctis lactucæ, cichorei, violarum, nympheæ, buglossi,

borraginis, melonum, anguriæ: cum syrupo violato, papaueris rhœadis, capillarium, cerasorum, granatorũ, de aggresta, de pomis redolentibus. Quæ aromatizari poterunt puluere corticis citri, florum garyophillorum, aurãtiorum siccorum, vel cum puluere diamargaritonis, diatragacanthi frigidi, confectionis de hiacintho.

Apozemata ex prædictorum radicibus, & foliis, seminibus violarum, lactucæ, papaueris albi: iuiubis, prunis, sebesten, thamarindis, passulis, hordeo: ac floribus violarum, nympheæ, borraginis buglossi, calendulæ, leucoij, garyophillorum, auranciorum parari poterunt.

Condita & opiatæ ex conseruis prædictorum florum, pulueribus, aut confectionibus cardiacis; radicibus, fructibus, aut corticibus conditis; aut syrupis antea relatis, aut saccharo præscribuntur.

Exteriùs conueniunt epithemata & linimenta, quæ viscerum regionibus admouentur. Olea adhæc vtilia sunt, rosatum, violatum, & nenupharinum; quibus olei amygdalarum dulcium. vel liliorum; necnon gallinæ, anatis, aut hœdi axungiæ, vel butyri portio, imo & lac admisceri potest. Vnguenta sunt resumptiuum, rosatum Mesue, & populeum. Cerata sunt refrigerans Gal. & santalinum.

Tandem ad refrigerandos & humectandos hecticos quos nondum marasmus tenet, cœteris omnibus præferendum est balneum, quo sic vtendum: labrum paratur ligneum oblongum; in quod aquâ dulci tepente ferè plenum æger immittitur. Aliqui aceti optimi quartariũ vnũ aut alterum admiscent: alij vini albi quartaria duo aut tria, in balneũ effundunt. Sensim tamen permittendum teporem illũ remitti. Quidam ditiores, in lactis caprilli, aut ex diuersis quadrupedibus emulcti balneum immittunt. Moram in balneo in robustioribus, per æstatem ad sesquihoram præscribimus ante prandium. Ad vesperam verò per horam. Imbecillioribus autem per horam integram, aut dimidiam. Egressos è balneo leniter exsiccare, illinire, & quieti committere oportebit, deinde eosdem conuenientibus alimentis nutrire. Huiusmodi autem remedium non semel tantum, sed sæpiùs vsurpandum: quod per duos aut tres dies continuatum, vbi per aliquot dies intermissum fuerit: mox iterum, ac tertiò repetatur.

Verùm ante balnei ingressum primò cauere oportet, ne id fiat quàm perfecta sit prima concoctio, & intestina fæces deposuerint: tum ne famescentes in balneum introducamus; sed aliquot antea horis lac, aut iusculum exhibuisse iuuabit.

Quod si qui nobis proponitur æger, iam aliqualem maciem contraxerit, & ad hecticam marasmodem peruenerit: huic non solum per alterantia medendum est, sed renutritione est opus: & potissimum vsu lactis, & hordei.

Lac hecticis optimum est humanum, à quo asininum, & ab hoc caprinum. Lac à mamma sugi debet, vel tepidum assumi, & illi admisceri saccharum rosatum. Commodissima lactis assumendi hora ea est matutina, in principio parcior exhibenda est copia, ad quatuor videlicet vncias adultis, cum quatuor sacchari drachmis. Exinde verò sensim augenda est quantitas ad

vncias

vncias nouem, aut libram integram. Ac demum in lactis vſu,ſi id citra omnem querelam ab ægrotantis ventriculo feratur:per ſeſquimenſem, aut menſem perſeuerandum erit. Aduertendum tamen ex Hippocr. lib.5. aphor. 69. lac quibuſdam noxium eſſe,quibus minimè præſcribendum eſt. Ab aſſumpto lacte hecticos dormire iuuabit.

Cremor hordei pari horâ exhibetur, à minore ad maiorem copiã, progreſſu ſenſim facto. Primò hordeum cortice purgatum lentè ad perfectam crepaturam in aqua fontana coquitur: tum cocti medulla per ſetaceum extrahitur; extractæ cochlearia duo aut tria diſſoluuntur in ſufficienti quantitate emulſionis paratæ in iure pulli ex amygdalis decorticatis; vel ex ſeminibus frigidis maioribus mundatis, aut ſemine papaueris. Ita ſolutus cremor ſenſim per duas horas, ad ignem lentum, illum per breuia interualla exagitando, ſic coquitur:vt nec effundatur, nec in polentam abeat, ſed ſorbitionis formam retineat: tandem ſaccharo dulcoratur, & vt dictum eſt exhibetur. Et reliquum extractæ medullæ in vaſe vitreo coopertum in biduum reſeruatur; & quarto die hyeme,aut tertio æſtate iterum vt ſupra præparatur.

Aliqui hordei farinam à furfure ſeparatam ſacculo cannabino concluſam per horas quinque aut ſex in aqua coquunt; ſic coctam in camino ſuſpendunt,vt exſiccetur. Farinæ ita præparatæ cochleare vnum aut alterum in iure pulli diſſoluunt, & per tres horæ quadrantes coquũt leni agitatione cauentes ne grumeſcat. Tandem ſaccharo dulcorant, & ad horam quintam matutinam exhibent, per aliquot menſes in eius vſu perſeuerantes.

Si ad maraſmum hecticus peruenerit,renutriendo vitam ipſius prorogare conabimur:loco Iulapiorum & apozematum refrigerantium, & balneorum,ſub tepidis epithematibus humectantibus & refrigerantibus, cordis, hepatiſque regioni admotis eſſem contentus. In minùs imbecillis ſemicupium ſufficeret. Lac aſininum exhibeatur. In paſtu his veſcatur quæ ſunt boni ſucci,& facilis coctionis, ſæpiùs & parum cibi in die capiendo. Ad hæc iura carnium expreſſa, conſummata, gelatiuæ, carnium contuſa illis exhibenda.

CAPVT XVII.

De compoſitarum & implicatarũ febrium differentiis, cognitione, & curatione.

FEBRES aut ſunt compoſitæ, vel complicatæ:illæ cùm plures eſſe videantur, vnam tamen febris ſpeciem faciunt. Huius generis duæ ſunt differentiæ. Aliæ enim ratione materiæ: aliæ verò ratione formæ compoſitæ eſſe dicuntur.Ratione materiæ, appellantur, in quibus plures humores ſimul in eodem loco putrent: cuius ordinis ſunt plurimæ febres nothæ,& inter illas quæ ſemitertianæ à latinis appellantur, ab hæmitritæo Græcorum differentes: de quibus ſupra actum eſt.

Compoſitæ ratione formæ, illæ eſſe dicuntur, quæ cùm ex materia ſuæ ſpeciei conueniente conſtent, periodum tamen alienam ſequuntur:quales agnoſco omnes duplices,

& tri

& triplices propriè appellatas : vt duplex quotidiana, duplex tertiana, & duplex quartana. Quomodo autem tertiana duplex à duabus tertianis, aut quotidiana duplex à duabus quotidianis distinguatur, mox abundè explicabitur.

Duplex enim tertiana illa à Gal. lib. 2. de crisib. cap. 9. dicitur, quæ singulis diebus repetens, parem in vtroque sequitur, indiuidualis febris typum: quia ab eodem humore in eodem loco quotidie putrente excitatur. Quod si habeat secundæ accessionis typum quadantenùs discrepantem à typo primæ: duarum tertianarum erit implicatio, non verò duplex tertiana. Quia ab eiusdem quidem speciei humore, sed in diuersis locis, alternis diebus, alternatim putrescente accenditur. Idem dicitur de duplici quartana.

Febres complicatæ dicuntur illæ, quarum singulæ particularem suam formam retinent, & suo speciali se produnt. Licet enim febres cum aliis morbis implicari possint, vt cum pleuritide, peripneumonia, hydrope, & similibus aduenit: non tamen de iis hoc loco agimus, sed de febribus quæ inter se varie complicantur.

Quæ implicatio multiplex est: vel enim primò febres diuersorum generum simùl eundem tenent. Vt quando putrida cuiusuis speciei, cum hectica coniungitur. Vel secundò eiusdem generis (putridarum scilicet) diuersæ species inter se commiscentur; atque id quatuor modis. Etenim vel continentes cum intermittentibus copulantur. Vel diuersæ continuæ periodicæ in eodem simùl discretâ facie conueniunt. Quæ duæ implicationum differentiæ, licet non sint impossibiles, tamen difficulter discernuntur. Præterea quod non infrequens est: continuæ cum intermittentibus coëunt, vt quotidiana continua cum tertiana intermittente, vel cũ quartana, aut quotidiana interpollata. Tertiana continua, cũ quartana, quotidiana, aut tertiana intermittentibus. Et quartana continua, cum quotidiana, tertiana, necnon & quartana interpolatis. Postremò diuersæ intermittentes implicantur.

Quarum febrium possibiles cõplicationes quàm exactissimè licet, exprimemus; si dicamus tertianam cum quotidiana, vel secundum materiam, vel secundum formam aut componi, aut implicari. Secundum materiam quidem simul componũtur: si bilis & pituita simul commisceantur, simúlque putreant. Quod adhuc bifariam accidit: vel enim in maioribus vasis putrent; quo casu tertianam notham continuam inferunt: vel in particulari aliqua abdominis parte putredinis labem contrahunt: vbi semitertianam maioris famæ appellatam excitant. Secundũ formã verò duobus adhuc modis vel componuntur, vel implicantur. Componuntur quidem, eo modo quo ex superioribus explicatum abundè videtur, duplicem tertianam notham fieri, seu ea sit intermittens, seu continua. Implicantur verò si bilis & pituita separatim putrentes, eorum singuli circa idem tempus febrem suæ sortis accendant; quarum quælibet suis signis se prodat. Quod quadrifariam præsertim accidit: etenim vel pituita in maioribus vasis putret, & bilis in abdomine, fitque ex quotidiana continua, & tertiana intermittente, verus Græcorum hemitritæus. Vel bilis intra maiora vasa putre-

putredinem concipit, & pituita in abdomine; & fit ex tertiana continua, & quotidiana intermittente paruus hemitritæus. Vel in diuersis grandiorum vasorum regionibus, hîc pituita, illic bilis putret: quotidianæ continuæ, & tertianæ continuæ, rara & sine nomine implicatio. Vel tandem in diuersis abdominis partibus separatim ambo hi humores putrent: sicque ex tertiana intermittente, & quotidiana interpolata implicatis, fit Archigenis hemitritæus, lib. 2. de crisib. cap. 8. apud Galen. notatus. Vbi aduerte febres has implicatas, posse vel exquisitas esse, vel nothas; vel vnam exquisitam & aliam notham.

Tandem plures eiusdem speciei febres se mutuò implicant, vt duæ tertianæ, tres tertianæ, duæ quotidianæ, aut quartanæ similiter.

Intermittentium tam similium quàm dissimilium implicationes bifariam fieri contingit, ex Gal. 2. de differ. feb. cap. 7. nam vel eodem tempore incipiunt: vel vna alteri succedit. Illas confusas appellat: has verò complexas. Auicennas ait trifariam implicationes accidere; vnde febres has intrantes, alias coalternatas, alias demum communicantes nuncupat. Intrantes, quando febrium altera alteri increscenti, aut vigenti superuenit. Coalternas nominat, quarum vna tunc inchoat, quando alia iam integrè desiit. Communicantes verò quæ simul inuadunt. Meminisse tamen oportet, quasdam febres dici continuas per subintrantiam, quæ nullam implicationem habent, sed ob anticipationem paroxysmorum ad modum continuarum affligunt. Quod his vt plurimùm contingit, quæ quotidie repetunt.

Causæ prædictarum differentiarum, tam compositarum, quàm implicatarum sunt huiusmodi. Compositarum notharum causæ, vt dictum est, ex diuersis humoribus mixtim eodem loco putrescentibus prodeunt.

Quæ duplices aut triplices appellantur, oriuntur ex eiusdem speciei excrementitio humore, qui pro copia, partis transmittentis sensu, atque ex febris mineræ intemperie celeriter in mineram refunditur, & putrescit; vt intra spatium accessionis ordinariæ, bis aut ter duas aut tres accessiones faciat.

Primi generis implicatarum causa, est habitus calidi & sicci aptitudo ad hecticam contrahendam, & humorum excrementitiorum in vasis & extra vasa putrescentium cõcursus.

Secundi generis prima species ex eo oritur, quòd cùm massa sanguinis putrilaginis vitium conceperit: simul excrementitius aliquis humor in aliqua abdominis sede particulatim putreat.

Secunda species seu differentia secundi febrium implicatarum generis, ex eo nascitur, quòd diuersi humores excrementitij in his locis eâ copiâ & fomitis suggestione seiunctim putreant, vnde perenni effumatione ad cor, vtrinque sui generis febrem accendant.

Tertia eiusdem generis differentiæ, inde principium ducit: quod humorum excrementitiorum alij in maioribus vasis, alij in abdominis parte aliqua putreant: aut eiusdem speciei humoris pars in venis, & portio alia in abdomine putrescat.

Particulatim hemitritæi Græcorũ ea est causa: quod pituita in grandioribus venis, bilis verò in deter-

minato mesenterij loco compu-trescat.

Quartæ demum huius ordinis differentiæ causa est : quod vnius speciei humor in vna particularis abdominis sede putredinem contrahat, & alterius speciei aliquis, in alia abdominis parte putreat, atque vterque febrem suæ sortis accendat.

Tertij demum generis implicatæ febres, hanc causam agnoscunt; quod eiusdem speciei excrementitius humor secundum portiones differentes, in duobus diuersis mesenterij locis, eodem aut diuerso tempore, putreat.

Signa imprimis febrium notharum ex supradictis repetenda.

Duplices triplicesque ex iam dictis facilè discernuntur.

Hecticæ cum putrida coniunctæ notas, capite præcedenti indicauimus.

Continenti intermittentem esse consociatam significabunt, nullius intermissionis vestigium cum signis putredinis, cui tamen periodicæ accessiones & remissiones consocientur. Harum autem typus, coniunctę intermittentis speciem deteget.

Continuam alterius speciei continuæ implicatam ostendunt, exacerbationes quæ cum annotatione incompressa inuadentes per differentes periodos alternatim sibi respondendo recurrunt. Differt autem ab hemitritæo, quod hæc sit horrifica, aliæ verò non item: vtrisque tamen commune est non desinere.

Continuæ intermittentibus implicatæ discernuntur; & potissimum exquisita hemitritæus: quod nunquam ad perfectam integritatem veniens; singulis diebus cum aliqua pulsus contractione exasperetur: alternis autem seu imparibus, seu paribus, duas habeat exacerbationes: quarum altera cum rigore aut saltem cum horrore incipit. Quod si accidat tertianam intermittentem notham esse, bile cum pituita non mixtis, sed confusè in minera putrentibus: diebus duplicis exacerbationis paroxysmi erũt horrifici, horrore sæpiùs eodem die recurrente. Ex eo quod materia non eodem impulsu à minera in focum expellatur.

Intermittentes vnius speciei, alterius naturæ intermittentibus implicatæ; nisi simùl inuadant, propriis typis discernuntur. Si verò simul inuaserint, compositas nothas imitantur: ab his tamen differunt, quod cum impari motu ad vigorem accedant: singulæ tunc se symptomatibus euidentiùs manifestant.

Tandem diuersæ eiusdem speciei febres implicatæ, discernuntur ex paritate specialis typi.

Febres complicatæ & nothæ cœteris sunt periculosiores, & diuturniores; cùm plus affligant quàm simplices & exquisitæ. Tum quod humoribus diuersorum generum simul peccantibus, plures partes principes aut officiales sunt in vitio; atque ideo natura inde imbecillior euadit: curatu sunt difficiliores; cùm quæ vni humori sunt commoda remedia, alteri non conueniant. Hinc grauissimæ & periculosissimæ sunt hæ febres; & prę- sertim continuæ continuis implicatæ: nam præterquam quod duplicem habent vigorem, vnde magna ægris accidit molestia Præterea difficillimum est sic ægrotantibus apposite remedia, aut alimenta ministrare.

Ad prædictarum periculum & naturam proximè accedunt cõtinuę

cum

cum intermittentibus complicatæ. Inter quas Hippocr. 1. Epidem. hemitritæum ait, præ cœteris maximè lethalem eſſe: cui morbi aduenîant acuti: & quâ tabidi, ac qui aliis longis morbis detinentur, præcipuè ægrotent.

Curatio harum omnium febriũ, maximam requirit Medici prudentiam, ne dum vni mederi ſtudemus, alteram exaſperemus.

In nothis & ſpuriis febribus curandis, obſeruanda quæ à communibus febrium indicationibus inſinuantur, cap. 5. & 10. explicata. In ſpecie proponatur aliquis qui febre nothâ laboret ex bile æqualiter mixta cum pituita: ſi ea ſit continua, primùm poſt minorantis pharmaci vſum, ſecanda erit vena, & ſanguis pro viribus mittendus. In præparantium vſu incidentia, detergentia, & refrigerantia eligenda erunt; vt oxylapathum, acetoſa, cichoracea. Vbi verò coctionis indicia apparebunt, purgante bilem erit opus. Mox reliquiarum præparationi iterum attendere, additis attenuantibus ratione pituitæ, qualia ſunt capillarium folia, pimpinella, radices graminis, & aſparagi; ſemen violarum, acetoſæ, & fœniculi. Coctione iam progreſsâ pituitam purgatione ſufficienti detrahemus. Et ſi interea ad viarum laxitatem procurandam, vel deinceps ad viſcerum intemperiem emendandam quidpiam præſtandum ſit: illud ex iis quæ cap. 14. docuimus requirendum erit.

Si verò febris huiuſmodi notha, fuerit intermittens non aliâ quidem opus eſt arte. Sed num in ea ſanguinis miſſione ſit opus, an verò ab eâ abſtinendum, diſcere ex iis oportebit, quæ ſupra examinauimus. Melãcholiâ autem bili mixtâ, refrigerationi & humectationi ſtudendum erit. Tum balnea hoc caſu opportuna erunt, ſtatim ac primæ coctionis rudimenta in vrinis apparebunt. At ſi melancholia ſit frigida & ſicca, humectatione largâ indigebimus; moderatiore autem refrigeratione. Pituitâ verò nigro illi humori permixtâ, modicè refrigerantia erunt attenuantibus & detergentibus admiſcenda: præualente pituitâ, incidentia efficaciora eſſe conueniet. Cæterum huius meminiſſe præcepti oportebit in his febribus; iteratis opus eſſe purgationibus; inter quas longa præparatio interſerenda eſt. Cúmque humorum pars poſt partem coquatur, non vnâ ſed repetitis purgationibus detrahuntur.

Febres duplices aut triplices nihil à ſimplicibus diuerſum requirunt in remediorum ſpecie: ſed in alendi & medendi occaſione captanda. Cùm enim intermiſſionum & remiſſionum tempora in his ſint quàm in ſimplicibus multò breuiora: procurandum eſt vt alimenta & medicamenta quàm longiſſimè licebit ab exacerbationum & particularis ſtatus horis præſcribantur; cibum quidem per incrementa dare expediet, medicamentum autem in acceſſionis declinatione.

Hecticam cum putrida implicatam ita curare oportet, vt primò attendamus putridæ, & in mittendo ſanguine parciores quàm putrida ſolitaria requireret, & in purgantium electione minùs calida, remiſſiuſque exſiccantia proponamus: atque vbi curata fuerit putrida, ad hecticæ curam omni ſtudio conuertamur.

In continuis implicatis ea ſe-

qui præcepta conueniet, quæ ad continuas nothas curandas propofuimus. Cautiones eas obferuando, quas in duplicium cura attulimus.

Continentes intermittentibus copulatas ita curabimus, vt primò leniffimo pharmaco exhibito: aut faltem clyftere iniecto, fanguis pro plethoræ conditione, & ægri viribus educatur. Mox cœtera præfcribantur, quæ ad continentis curationem fpectant; aliquâ fimul intermittentis ratione habitâ.

Continuæ cum intermittentibus concurrentes, pari ratione curantur ac continentes cum interpolatis implicatæ. Verùm fanguinis miffio non femper in exquifita hemitritæo celebratur: nam ratione tertianæ intermittentis implicatæ, ante leni pharmaco ex rhabarbari & caffiæ infufo, aut mannâ brigantinâ in fero lactis folutâ, bilem in prima regione contentam expurgamus, quàm fanguinem educamus. Quod ad alterantia pertinet, quia pituitæ in venis putrenti, bilis in mefenterio putrentis feruor fuperuenit, maiore refrigeratione erit opus, quàm fola quotidiana requireret: illis tamen quædam citra euidentem calorem attenuantia & incidentia, ratione pituitæ erunt admifcenda.

Intermittentibus diuerfarum fpecierum implicatis laborantes, funt medicandi pari ratione, atque illi qui intermittentibus nothis afficiuntur.

Quæ demum eiufdem fpeciei febres implicantur, non aliam fui curationem requirunt: quàm quæ ad folitarias eiufdem naturæ curandas expofita fuit.

CAPVT XVIII.

De febrium fymptomatibus.

Syptomate quæ frequentiùs febrientes diuexare confueuerunt, hæc numerantur. Æftus à nimio febris ardore nafcens. Laffitudo à plenitudine. Ad motum imbecillitas & fegnities: quæ vel ab oppreffione neruorum præ humorum copia nafcitur, vel à malignitate eorundem. Iactatio ab interno ardore. Capitis dolor à vaporum copia, aut acritudine. Pectoris oppreffio, & dyfpnœa, vel à diftillatione, vel ab inflammatione hypochondriorum, vel à ventriculi, aut abdominis infarctu, vel demum à craffiorum vaporum ab abdomine furfùm elatorum intra thoracem morâ, procurata. Tuffis à catarrho, vel à vaporum thoracem peruedentium acritudine: aut à pulmonum exficcatione. Lumborum dolor, à feruore fuccorum in vena arteriaque defcendente contentorum. Vigiliæ à cerebri ficcitate, quam exhalationes furfùm elatæ inferunt. Delirium à perturbatione imaginũ interno fenfui impreffarum. Sopor à crudorum crafforumq; vaporum, necnon humorum in cerebrũ tranfmiffione: fitis à ventriculi ficcitate. Linguæ ariditas & afperitas, à ficcitate; eiufdem linguæ nigredo, quã craffæ fuligines eleuatæ imprimũt. Lentor dentium, linguæ & palati; à pituita à febrili calore incraffata. Guftus deprauatio, ab humoribus prauis è ventriculo in linguã tranfpofitis. Cibi faftidium à calore ftomachum laxante, vel à ventriculi infarctu,

infarctu: vel à malo quopiam vapore. Aliàs fames febrientes infestat: vel ab effusione acidæ melancholiæ: vel à cucurbitinis vermibus procurata. Animi item defectus & syncope: à malignitate humorum, aut vaporum, cor vel superius orificium ventriculi offendentium nascens: vel doloris acerbitatem, diuturniores vigilias, aut immodicam quamcunque vacuationem consequens. Singultus ab stomachi infarctu, quem acris humor, aut vapor facit. Nausea & vomitus, ab humorum acritudine, & copia. Alui astrictio ab interna siccitate, aut inflammatione intestinorum. Eiusdem alui fluxus: vel imbecillitatem coctricis, & retentricis ventriculi ac intestinorum: vel humorum acrimoniam, & facultatis excretricis irritationẽ consequens. Icterus ab effusa in cutem bile nascens. Perfrigeratio, horror, & rigor à causis suprà explicatis orti. Sanguinis vndeuis fluxus, qui ab illius efferuescentis tenuitate vasa peruadẽte, vel ab eiusdem acrimonia facultatem vasorum expultricem irritante; excitatur. De quorum omnium symptomatum natura & curatione, alibi tractaturi sumus: de sudore tamen superfluo, papulis, variolis, & morbillis hîc nobis agendum.

CAPVT XIX.

De immodico sudore in febribus.

SVdant febrientes multipliciter: vel enim in continuis coctâ materiâ, diebus iudicatoriis criticè sudor aduenit, qui saluberrimus morbos indicans ex Hippoc. 4. Aphor. 36. non est cohibendus. Imò si parcior sit prouocandus, vel superiniectis stragulis, vel leuioribus sudorificis, vt aquâ cardui benedicti, scabiosæ, & nucum. At sudores qui secùs adueniunt, laborem portendunt; longitudinemque morbi, aut recidiuam; à quibus nulla est expectanda morbi solutio. Ab illis autem indicatur, ea humorum vitia, quæ vanam huiusmodi irritationem faciunt, arte emendanda esse.

Verùm in febribus nonnunquam copiosior aduenit sudor, quibusdam quum dormire cœperint: ac tales vel parciùs nutriendi sunt, si copiosiorem cibum capiant; vel euacuatione indigent per purgantia medicamenta, ex Aphor. 41. lib. 4. quia cacochymia his sudoribus materiam parat; conuenit primùm longo apozemate attenuante, & vrinas moderatè ciente humores præparare, mox præparatos purgare, non vnico solùm, sed iterato etiam medicamento. Quòd si humores ad excretionem apti appareant, purgante apozemate in tres aut quatuor doses partito, illos expediret sensim educere.

Si verò sudor continuò fluens quempiam molestet, vires exoluens syncopem minetur. Seu is ex Gal. 1. de sympto. caus. cap. 7. propter nimiam cutis raritatem, seu propter retentricis facultatis imbecillitatem, seu propter excretricis immoderatum motum, seu tandem propter tenuitatem humorum, qui ad cutem feruntur adueniat, cohibendus erit. Cui intentioni pro varietate causarum, variis auxiliis erit satisfaciendum.

Cutis enim rarior effecta refrigeranda erit & densanda. Primùm quidem imminutis operimentis,

mox refrigerato aëre ambiente. Quę si non sufficiant, vel fomenta ex rosis, balaustiis plantagine, semperuiuo, salice, gallis, malicorio, erunt admouenda inguinibus, & hypochondriis. Linimenta item ex oleo cydoniorum, mastichino, violato. Vnguento rosato Mes. aut cerato infrigidante Galen.

Retentrix verò facultas imbecilla reddita à frigida intemperie, calidi innati exolutionem consequente, roboranda erit reficientibus, quæ moderatè calefaciant; additis iis quæ astringunt; cuiusmodi sunt iuscula ex carnibus perdicis, pipionum, ac similium, quibus terra sigillata, margaritæ, coralli immisceantur.

Irritata autem expultrix vel à copia, vel à mala qualitate erit demulcenda, vel vacuatione per secessum, humorem reuellendo, vel eiusdem acrimoniam per assumpta tam medicamenta, quàm alimenta temperando.

Humores tenuiores vel per admixtionem seri, vel quod illi à vehementia caloris febrilis sint liquati. Serum quidem hydragogis, vel vrinam mouentibus erit vacuandum: calor autem immodicus temperandus, ipsaque tandem humorum tenuitas incrassantibus eduliis, vt alicâ, orizâ, pedibus & intestinis animalium; tum medicamentis, vt syrupo violato, de portulaca, de papauere, diacodio, theriacâ recente, necnon laudano opiato erit emendanda.

CAPVT XX.

De exanthematum, ecthymatumque differentiis & curatione.

ANTIQVI pustulas aut papulas cuti adnascentes indistinctè ἐξανθήματα καὶ ἐκθύματα appellarunt. Verùm ex Galen. 3. in 3. Epid. comm. text. 51. videtur inter illa, eam posse differentiam constitui, vt ἐκθύματα dicantur pustulæ quæ ex materia crassiore cum impetu ad extremam cutem erumpente, eamque in tumorem eleuante nascuntur: ἐξανθήματα verò seu cutaneæ efflorescentiæ appellentur papulæ quæ ex tenuiore materia fiant, cutem non attollente, sed superficiarias tantum maculas imprimente: horum duæ sunt differentiæ; prima est earum macularum quæ in continentibus & malignis febribus apparere consueuerunt, quas alij purpuram, alij petechias, papulas, lenticulas, aut maculas nominant. Harum autem differentiæ desumuntur, vel à copia, vel à magnitudine, colore, & tempore morbi quo apparuerint.

Altera exanthematum differentia in eo puerili morbo aduertitur, qui à nostratibus rosa appellari solet, seu Erysipelata dispersa.

Ecthymatibus autem annumerantur variolæ, morbilli. Variolæ sunt pustulæ epidemiales, pueros vt plurimùm affligentes, nonnunquam adultos, secundò ac tertiò aliquandò inuadentes: quæ febri tam continuæ, quàm intermittenti superuenientes, rubentes primùm

varorum

varorum magnitudine erumpunt, mox etiam suppurantur, & in crustas tandem degenerant, aliquando fouea in cute relicta, aliàs nullam in cute foueam relinquentes.

Harum plures sunt differentiæ à copia, magnitudine, figura, concomitantium papularum varietate, necnon à celeritate aut tarditate emergendi, vel suppurandi petitæ.

Variolas æmulantur aliæ pustulę, quæ ichorem continent, intra quatuor aut quinque dies deficientes, quas variolas fatuas vulgus appellat.

Morbilli dicuntur minutulæ illæ pustulæ rubræ, cum febre pueris epidemicè aduenientes, nunquam suppurantes: quas galli rogeolam, Prouinciales à sinapi granis, ob eminentiæ paruitatem senespion appellarunt.

φλυζάκια ἀπὸ τῦ φλύζειν quod est feruere, reliquæ omnes pustulæ appellari possunt, quæ cum febre maximè pueris accidunt.

Phlysaciorum aliæ sunt phlegmonosæ, pustulæ puncturis cimicum, vel bullis quæ in his qui vrticis sunt cæsi eleuantur similes, breui euanescunt.

Aliæ sunt vlcerosæ, quæ latæ sunt quædam bullæ, aqueo humore plenæ, in crustas intra paucos dies desinunt. Quas nostrates, ex eo quod sponte rumpantur, vulgari idiomate sclatas appellarunt. Dubium est, num huiusmodi papulæ, seu purpura, necnon variolæ antiquis fuerint cognitæ, earumque fiat aliqua mentio apud Hippocratem, & reliquos Græcos qui Arabes præcesserunt; cuius decisionem vide apud Metindolum.

Causa efficiens exanthematum & ecthymatum, alia est omnibus communis, alia singulis eorum generibus particularis. Omnibus cōmunis, alia proxima est, alia remota. Proxima est succorum in vasis efferuescentia, quæ seu in simplici ebullitione consistat, seu putredinis excellentiam coniunctam habeat, cuiusdam semper secretionis heterogenearum partium sanguinis est author: cuius acritudine natura irritata, illius ad cutem expulsionem aliquando symptomaticè, aliàs quasi criticè procurat.

Remota exanthematum ecthymatumque communis efficiēs causa, efferuescentiam in succis excitans, non alia est quàm particulares quædam syderum constitutiones. Quod duplici ratione probatur, ac primùm quidem ex eo, quod huiusmodi ebullitiones non quibusuis temporibus sporadicè accidunt, sed per certa quædam interualla adueniant: nec nisi post plures annos recurrant. Non potest alia causa reperiri, quæ tot casuum varietatem admittat, quàm cœlorum influxus. Secundò ex eo probatur quod eruptiones huiusmodi epidemiales sint, & vna vno tempore, alia alio grassetur, & vigeat: epidemialis autem morbi causa communis est cœlum & sydera.

Causa propria & peculiaris multiplex est, pro varietate materiæ quę à natura in cutem pellitur.

Papulis enim cutem suffundit tenuior sanguinis portio ichorosa, quæ per putredinem excellentem secreta, in cutem expellitur.

Rosam facit tenuissima massæ sanguinis portio biliosa, per simplicem efferuescentiam separata.

Variolas efficit pituitosa sanguinis portio, cui aliquando melancholici aliquid admiscetur; quæ per

putredi

putredinem secreta, naturam irritat ad sui expulsionem in cutem, aut etiam viscerum conuexa, & ventrium concaua.

Variolæ fatuæ ab ichore pituitosi sanguinis per solam efferuescentiam secreto.

Morbillos eleuat biliosioris sanguinis portio, quæ per putredinem segregata naturam promouet ad sui expulsionem.

Phlysaciorum phlegmonosorum causa, est tenuis quædam pars terrestris portionis succorum, quæ per efferuescentiam separata, in cutem expellitur. Tandem phlysacia vlcerosa, fiunt ab ichorosa portione succorum pituitosorum & biliosorum.

Harum autem excretionum illæ quidem symptomaticæ sunt, quæ febribus per essentiam genitis in principio aut augmento superueniunt. Criticæ verò quæ materiâ per pepasmum euictâ in statu morbi fiunt, morbum soluentes: at quasi criticæ, quæ citra alium præcedentem affectum, aduenientè succorum efferuescentiâ, seu solâ, seu putredini coniunctâ, naturâ ad cutem expellente emergunt.

Nostræ sententiæ aduersantur qui cum Arabibus sentiunt variolas & morbillos fieri ex sanguinis menstrui inquinamento, quod per ebullitionem succorum in vasis secernatur, crassius quidem in variolis, in morbillis tenuius. Sed illis non assentimur, quia nulla malignitas sanguini menstruo, vt menstruum est, necessariò est annoxa. Quæ præterea si illi foret adiuncta, cùm sanguis ille à matre acceptus, non in venis lateat, sed in substantiam membrorum grandioris iam fœtus dicatur fuisse conuersus: cùm nulla fiat dissolutio partium heterogenearum membrorum viuentium, non poterit inquinamentum illud, inde secerni. Quod si dicatur cum Augenio, ex labe in membris à prauo eo nutrimento concepta, prauitatem quandam portioni sanguinis, qui in iam natis infantibus generatur, imprimi; atque eam sanguinis portionem sic infectam per aliquod tempus in venis reseruari, donec naturæ laborem faciés, demum vel ab aëre, vel ab innato calore, efferuescentiâ succorum procuratâ, à natura in cutem propellatur. Quomodo fieri potest, prauum illum sanguinem tamdiu intra vasa reseruari, vt non ante sexagesimum ætatis annum, vel in alimentum membrorum non sit conuersum vel in variolas tunc solum emanantes non priùs abierit.

Mercurialis sententia non magis est admittenda, quia hæreditariis morbis variolæ non possunt annumerari. Cùm hæreditarij morbi pendeant ab intemperie alicuius principis partis, alterutrius generantis semini communicata: ebullitio autem succorum, quæ variolarum est causa, nullius principis visceris intemperiem sequatur, sed ab ea alteratione nascatur, quam certæ quædam syderum configurationes in nos influunt. Ebullitionem autem à nulli⁹ principis visceris vitio procurari ideò certum videtur: quod à fixa visceris alicuius intemperie, firmi & perseuerantes affectus producantur: oportet variolas, quæ semel vt plurimùm, rarò bis per vitam apparent, ab alia causa excitari, quàm à natiua aliqua cuiuspiam visceris intemperie.

Verùm cùm variolæ epidemiales esse consueuerint, earum imminen-

tium

tium notitiam maximè ex astrologia habere possemus: quia verò manca admodum est astrologiæ cognitio; alia signa peculiaria sunt inuestiganda; præsertim vbi semel vigere cœperint, & se in aliquibus indiuiduis manifestauerint.

Febre ergo præcedente vel concomitante omnes prædicti affectus emergunt. Si erupturæ sint papulæ seu purpura, malignitatis quædam notæ se produnt, & præter vitalis facultatis oppressionem, vel sopor aduenit, vel loquacitas maior, faciei oculorumque rubor, aut delirium, vel animi deiectio, & caloris febrilis incrementum.

Erysipelata parua dispersa, iactigationem præuiam habent, infantibus molestam, à qua mox rubore perfunduntur.

Variolis erupturis, primùm oscitatio frequens, capitis grauitas, soporque aduenit. Mox increscente feruore, dorsi lumborumque dolor accedit. Postmodum nausea & vomitus, respirandi difficultas, & sicca tussis; itemque nasi pruritus: sternutatio frequens, necnon capitis dolor, terrores præterea in somno: Epileptici insultus. His totius corporis grauitas & torpor superuenit; cùm materia excernenda in habitum effunditur: cui punctio in cute succedit; hinc rubore inæquali cutis suffunditur, & miliares quædam maculæ apparere incipiunt, & mox eminere aduertuntur, paulatim increscentes.

Variolę fatuæ mitiora omnia habent, & celeriùs apparentia quàm in prioribus: quibus miliares eminentiæ sparsim succedunt, intra paucos dies euanescentes, vel citra suppurationem in tenues crustas abeuntes.

Morbilli emersuri, omnia penè habent similia vt in variolis; sed pro sopore vigiliæ; pro tensione punctiones; pruritus maior feruorque acrior est, & rubedo per cutem effusa intensior.

Phlyzacia phlegmonosa celerrimè apparent, cum pruritu: at rubor dilutior est aliquantò quam in morbillis.

Phlyzacia vlcerosa, talia cùm imminent efferunt symptomata, qualia variolas fatuas emersuras præcedere diximus.

Exanthematum & ecthymatum diuersa sunt tempora. Principium ab initio efferuescentiæ, ad excretionem apparere incipientem, producimus.

Augmentum à prima eorum apparitione ad cessantem eruptionem efferimus. Statum ab eo tempore quo de nouo erumpere cessant, ad id protrahimus, quo primùm exsiccari incipiunt, vel bonis ægri rebus euanescere. Declinatio id totum quod ad integram sanitatem est reliquum includit: nam in lethalibus nulla est vera declinatio.

Quod ad prognosim spectat, quęcunque prædictarum eruptionum cum deterioribus symptomatibus inchoant eò periculosiores, minus ex his semel eruptis periculum imminet, si à medio veris ad medium autumni grassentur. Præterea malus & perniciosus est retrocessus. Item si variolis & morbillis papulæ accedant, præsertim liuidæ, & nigræ, vt plurimùm sunt lethales.

Quò maior est tam exanthematum, quàm ecthymatum copia, tardior eruptio, tardiorque est suppuratio, aut resolutio, eò res ægrorum in peiore sunt statu.

In specie papulæ symptomaticè

emergentes; febrem malignam esse indicant, & malæ sunt, præsertim nigræ. Criticè autem erumpentes, & simul cum sudore emergentes, non malæ.

Ab sparsis paruis Erysipelatis, parum periculi imminet, modo alteri morbo non consocientur.

Variolæ paucæ celeriter erumpentes, dissociatæ, rotundæ, breuî suppuratæ,& in quibus citò remittitur febris,éstque vox & respiratio libera;non malæ: dummodò nulla in re peccetur; nam ob id ex materiæ recursu,aut febre superueniente intereũt in vera declinatione. Perniciosæ verò contra,partes internas occupantes,cum raucedine, & difficultate respirandi, præsertim si clauum nigrum habeant in medio, aut si liuescant;tum illæ in quibus febris post eruptionem intenditur, aut alui fluxus superuenit.

Variolæ fatuæ, nisi cum petechiis appareant, vix periculum vllum habent annexum.

Morbilli celeriùs sua tempora percurrunt quàm variolæ, nec minùs sunt his periculosi, ob feruorem & febrem intensiorem coniũctam. In cæteris variolarum securitatem aut periculum imitantur pro varietate symptomatum illis assidentium.

Phlyzacia phlegmonosa citra periculum apparent, & breuî cessant.

Vlcerosa verò, non omninò si n periculo erumpunt.

Curatio prædictorum affectuum non vna est, quoniam eruptiones quæ symptomaticè fiunt,etsi particularem sui curationem non requirant;hoc tamen habent,vt aliquando insinuata à morbo remedia vel prohibeant,vel limitent, vt mox in specie docebimus. At in aliis eruptionibus quæ quasi criticè fiunt; etsi naturâ rectè agente totum illi negotium committendum sit,sedulò tamen attendere oportet ad naturæ motum; ne illius regularem enixum quidpiam remoretur; néue quidquam eundem acriùs irritet.

Quod ad peticulas spectat, his erumpentibus in maligna aut pestilente febre,quæstio est nũ phlebotomiâ & purgatione vti conueniat:an verò potiùs diaphoretica & sudorifica sint vsurpanda. Qua in re sentiendum; quod febres huiusmodi vel præuio morboso a paratui plethorico, aut cacochymo superueniant; vel tota malignitas ab extra insinuatur.

Si primùm expedit ante apparitionem papularum sanguinem pro ratione plenitudinis, sectâ venâ misisse à cubito, nisi iam euidens sit translatio materiæ in cerebrum; vel hæmorrhoidum, aut mensium suppressio aduertatur: tunc enim venas inferiores secare satius est: necnon iuuat purgans medicamentum,ad primarum viarum expurgationem exhibuisse; virium semper habitâ ratione. Alterum verò horũ remediorum quod sit præmittendum, docebit alterius vitij excessus maior. Iam verò emergentibus papulis, neutro remedio humores à circunferentia ad centrum reuocãte,vtendum erit. At potiùs diaphoreticis iuuandus erit naturæ motus, additis iis quæ malignitati aduersantur: & pro phlebotomia cucurbitulę dorso & natibus cum scarificatu vsurpandæ; vel hirudines ano admouendæ, & pro pharmaco clysteres iniiciendi.

Præterquam tamen si ingens simul coniuncta sit plenitudo; tunc enim

enim apparentibus etiam papulis ſanguinem mittere venâ ſectâ expediet, vt natura oneris quo premebatur leuata, reliquum liberiùs expellat. Idem de purgatione ſentiendum, ſi ingens ſit cacochymia, & ſint lumbrici.

Si verò citra morboſum apparatum præcedentem, malignitas ab extra ſit ægro inſinuata, nullo prædictorum remediorum inſigniter euacuante eſt opus: ſed tantum clyſteribus fæces eluendæ: infuſa autem cum aëre vel per contactum accepta miaſmata, alexipharmacis ſunt euincenda, & diaphoreticis in cutem expellenda. Quæ ſimul exequemur cum bezoartico lapide exhibito à gr. vj. ad xv. aut ex aqua ſuccove ſcorzoneræ; drachmâ ſemis pulueris contrahyeruæ: aut decocto drachmæ vnius eiuſdem. Ad attrahendum virus ad cutem, & iuuandam peticularum excretionem, plurimum facet Ætij linimentum, ex aqua & oleo, pauco nitro admixto. Cauendum eſt ne corpus ægri refrigeretur, nec tamen ſtragulorum pondere oneretur: tum debellanda malignitas tam per intùs aſſumpta, quàm per exteriùs admota; de quibus abundè ſupra cùm de febribus malignis & peſtilentibus egimus.

In roſa, phlyſaciis phlegmonoſis & vlceroſis, necnon variolis fatuis, ſi vehemens ardor & ebullitio adnotetur, illis nondum apparentibus vel recèns emergentibus, expedit poſt aluinas fæces elutas, ſanguinem mittere pro cuiuſque viribus. Si verò feruor fuerit mitior, ætaſue tenerior, aut vires non ferant, ſatius erit à venæ ſectione abſtinere; ſed alterantibus iulapiis aut decoctis, quorum vis leniter adſtringens ſit & alexipharmaca, ſuccorum efferueſcentia reprimenda, & malignitas euincenda, vt mox referemus. In his omnibus cauendum ne cute quomodocunq; denſatâ, materia intrò recurrat.

Pro variolarum ac morbillorum curatione, diſtinguenda ſunt tempora: ac in principio cùm ſola adeſt ſuccorum efferueſcentia, conſtante plenitudine; ſtatim ſectâ venâ minuenda eſt, poſt fæces per clyſterem excretas. Nec ſolùm puberibus hoc remedium conuenire credatur, ſed etiam impuberibus, imò & iis qui triennium nondum exceſſerũt: imitatione Auenzoaris. Et nos idipſum non rarò cum felici ſucceſſu probauimus. Verùm validas eſſe vires neceſſum eſt, nec vehementiorem apparere malignitatem oportet, ne dum ægrum interire continget, remedium culpetur. Quod ſi iunioribus, aut aliis, vena in brachio tundi nequeat: phlebotomiæ vice hyrudines in vſum venient, quæ popliti, aut cubito admoueri poterunt: vel cucurbitulæ cum leui ſcarificatione, natibus præſertim, tum etiam ſcapulis.

Vbi verò Medico tardiùs vocato, principium effluxerit, & variolæ copioſæ apparebunt, à phlebotomia abſtinendum erit, propterea caueatur poſt tres dies, niſi tanta ſit puberum præſertim plethora, vt ægrũ à ſanguinis abundantia opprimi aduertamus: eo enim caſu licebit apparẽtibus etiam variolis, & morbillis venam ſecare.

Num verò purgare expediat præſente cacochymiâ ante variolarum eruptionem, dicimus ſi magna excrementorum illuuies in primis viis ſtabuletur, leue pharmacum, ex rhabarbaro thamarindis, ſyrupo roſato,

aut de cichoreo cum rheo exhibẽdum: etsi multò securius fuisset, purgationem ad præcautionem antea præmisisse.

Quod si præter dictam causam aliquid variolarum expulsionem temoretur, humorum quippe crassities, vel malignitas: crassities quidem attenuantibus, malignitas autem alexipharmacis erit emendanda: ad hanc ergo intentionem proderunt, quæ ad peticularum excretionem antea vtilia esse docuimus; exteriùs verò regionem cordis, spinam dorsi, carpos, illinere iuuabit oleo scorpionum Math. vel oleo Hetruriæ Ducis: atque his quæ ad malignitatem domandam, viresque facultatis vitalis recreandas, supra meminimus.

Secundum cui in principio attendere debemus, est si quidpiam insit; quod naturam acriùs ad excretionem irritet; humorum scilicet efferuescentia, & eorumdem acritudo maior, aut sæuior malignitas; quæ ab importuna totius iactigatione, & cutis punctione significantur: refrigerantia cum moderata incrassandi, aut adstringendi vi, maximè vtilia sunt. Ad id recentiores laudant aquam stillatitiam vlmariæ, turionum quercus, aut lentis palustris, ab vnciis tribus ad sex epotam; cum vel sine syrupo de limonibus: aut florum caryophillorum expressus succus, ad vncias tres haustus; itemque cyani herbæ decoctum ac puluis: ac tandem boli armenæ veræ drachma semis, aut vna, ex aqua oxalidis. Atque tunc à prioribus illis abstinendum, quæ tenuiorum partium, & calida, diaphoresim, expulsionemque ad cutem adiuuant.

Per idipsum principij tempus, victus moderatè tenuis instituendus, cibos eligendo boni succi, & iuscula alterata borragine, endiuiâ, oxalide: at vbi naturæ motum iuuare conueniet, capillaribus, & radicibus graminis, aut fœniculi additis. Quando verò feruorem retundere opus erit, lactucam, portulacam assumemus.

Potus sit aqua decoctionis radicum acetosæ, aut pentaphylli, cum tantillo rasuræ cornu cerui. Vinum febre præsente non probatur, nisi vires sint admodum imbecilles.

Accedente ergo augmento, prospiciendum erit, ne laryngi, faucibus, oculis, aut naribus huiusmodi virus transmittatur: quibus læsis æger vel suffocationis, vel cœcitatis, vel impeditæ deglutitionis periculum incurrat.

Laryngi & faucibus prospiciemus præscripto gargarismate, ex succo granatorum acidorum; ex decocto plantaginis cum hordeo, aut lentibus integris: in quo dissolui possunt, syrupus de rosis siccis, Iulep Alexandrinum, diamorum, dianucum, roob citoniorum, & similia. In pueris oportebit prædictas partes illinire cum tenui panno lineo, bacillo alligato, prædictis liquoribus intincto.

Oculis prouidebimus, si illos illiniamus aquâ rosarum aut plantaginis, admixto croco: vel in liquida mucagine seminis citoniorum cum tantillo camphoræ; necnon decocto granorum sumach, & berberis, croco etiam addito: prædicta remedia debent palpebris imponi & sæpiùs renouari. Si verò oculorum inferiora fuerint affecta, vtile erit hoc collyrium: ℞. albi rhazis sine opio ʒ. j. ß. aquæ rosar. aut plantaginis ℥. iij. camphoræ ℈. ß. de quo instillentur

lentur ſæpè aliquot guttæ intra oculos. Facie & capite importuniùs intumeſcente hirudines poſt aures, tum ſub mento admouendæ.

Nares inungemus cerato refriger. Gale. aut butyro recenti. Itemque mucilagine ſeminum citoniorum, aut pſyllij in aqua roſarum extracta.

Aduenit aliquando in augméto, ægros epilepticos inſultus pati: ad quod cucurbitulæ ſcapulis cum ſcarificatu apponédæ: mox bezoarticum puluerem cum decocto radicis pœoniæ exhibebimus.

Vbi verò ad finem augmenti moxque ad ſtatum peruenerimus, proſpiciendum eſt ſymptomatibus ſuperuenientibus; ad plantarum & palmraum dolorem leniendum imprimis tepente fotu vtendum, qui ex decocto capitum liliorum, radice altheæ, foliis maluæ, ſemine fœnugrœci, lini paretur.


Faciei prurigo demulcebitur, ſi ea cum penna liniatur oleo amygdalarum dulcium: vel oleo ex vitellis ouorum; cauendo ne ægri vultum ſcabant.

Si alui fluxus ſuperueniat, periculoſus eſt, ad quod ſiſtédum ſymptoma, præſcribantur initio paſtus adſtringentia, vt mala citonia ſacсharo condita, myrobolani conditę, vel iuſculum ex elixo pipione paratum, cui portio aquæ roſarum addatur cum vitello oui. In potu aqua chalybeata cum ſyrupocitoniorum, de ribes exhibebitur: nec non terræ ſigillatæ drachma ſemis in iure ſoluta mane præſcribi poterit. Maximè verò ſuccurrendum clyſteribus anodynis, detergentibus, ac aſtringentibus, ex lacte, hordeo, vitellis ouorum, & ſaccharo, addito ſucco polygoni ad vncias duas, ſi opus ſit.

Ad finem ſtatus vbi iam ſuppuratæ fuerint variolæ, aperiendæ ſunt acu argenteâ, vel æreâ: his apertis pus molliter exſiccandum cum pãno lineo.

Poſtremò in declinatione vniuerſali, delendis faciei maculis, & foueis implendis incumbendum eſt. Ad id conducit, vnguentum citrinum, oleum ex vitellis ouorum, liquor myrrhæ per oui induratum albumen recens extractus, oleum ex phiſticis expreſſus, oleum frumenti, liquor tartari, & liquor ex recenti ouo dum coquitur exudans.

Atque hæc de febribus, & febriũ ſymptomatibus in Dei Gloriam, & veſtram vtilitatem, ſatis.



ΤΕΤΡΑΣ GRAVISSIMORVM CAPITIS AFFECTVVM,

Vertiginis, Epilepsiæ, Conuulsionis, & Apoplexiæ:

Ex doctissimorum Medicorum sententia, & praxeos obseruatione elucubrata, examinatis Chymicorum & Hermeticorum opinionibus.

CAPVT I.

De Vertiginis idea, sede, differentiis, causis, & curatione.



VERTIGO est affectio cognitu facilis, causarum tamen ipsius, & symptomatum ratio, & curatio perardua & difficilis. Symptoma est deprauatæ imaginationis, visionisque, cùm quiescentia rotari & verti videntur: mouendi quoque actio obläeditur, adeò vt sæpè ęgri corruant nisi proximis adminiculis innitantur. Hanc antecedere solet nubecularum & atomorum varij coloris visio. Hæc δῖνος seu vertigo vocatur. Aliàs σκοτόδινος, seu tenebricosa vertigo, quæ visus obscuritatem, & ablationem, quamdiu durat, præ se fert: & tamen in ea sensui interno omnia ac si in gyrum conuerterentur, repræsentari solent. In vtraque manet integra ratio & memoria.

Coniuncta immediatáque vertiginis causa est motio spirituũ animalium, proindéque visualium, ac turbulenta circumactio, quæ imaginatrici facultati, & visui imponit: eaque fit secundùm cerebri cauitates, vẽtriculos, ac vasa, potissimúmque arterias, à spiritu flatulento & vaporoso, qui cum inordinato motu circumferatur, spiritus quoque animales agitat, præsertim eos qui in basi cerebri propè originem neruorum opticorum reperiuntur, qui ad cerebri parietes allisi in gyrum aguntur, & hanc speciem falsam rotationis obiectorum externorum, tum internorum aliquandò repræsentant.

Spiritus autem animales motûs sui occasionem sumunt, vel à seipsis, qui cùm suâ naturâ sint feruidiores

diores & valdè mobiles, ex se, aut leuiori ortâ causâ circumducuntur, vel aliunde ex vaporum & humorum permixtione mouentur. In capite nonnunquam vertiginis causa consistit, vnde vertigo ἰδιοπαθική: vel aliunde sursum emittitur, videlicet toto corpore, vt in febribus nonnullis; vel à parte peculiari, vt ventriculo, vtero, liene & similibus; hinc vertigo per συμπάθειαν exoritur.

Quum in capite inhæret huiusce euaporationis causa: vel est à sanguine spirituoso feruidiore, copiosioréque collecto, comitante capitis dolore, arteriarum in capite & temporibus pulsatione, aurium tinnitu, & vix nisi arteriarum apertione sanatur. Cæteri humores in cerebro contenti frequentiùs serosi, aut pituitosi consimiles vapores suscitantes, spiritibúsque permisti, hunc affectum progignere possunt; hîque apoplexiam & carum præcedere ac minari solent: Montalto in sua archipathologia, vult tales humores materiam huic affectui suppeditare, at turbulento motu cerebri contenta ciere, rapidéque circumuoluere, solam præternaturalem caliditatem valere. Hoc autem nos aliter accipimus & exponimus: frigidam nempe & humidam cerebri intemperiem, pituitosum & flatulentum humorem producentem, hunc affectum immediatè non causare; cùm agitatio spirituum à tali causa frigida potiùs impediretur quàm promoueretur. Hoc igitur fit cum prædictus humor serosus, vel pituitosus cerebri anfractus spatiáque adimplens vas venosum simul & arteriosum obstruit, quo in casu Platerus obseruauit hasce arterias coalescentes & induratas, glandulísque paruis duris toto processu distinctas; à quorum obstructione spiritus impediti retentique in cerebro, ex leui corporis motu circumducti vertiginem inducũt. Cognoscitur hæc vertiginis causa ex fluctuationis quodam in capite sensu, & ex pituitæ redundantis indiciis, vnde somnolenti simul & stupidiores euadunt. Verùm vapores illi spiritibus permisti si calidiores sint, dolorem quoque capitis causant: si turbidi vel inquinati, variè colorati, aut splendescentes, vt ex variis humoribus exhalare possunt, imaginationes tunc contingunt, per quas visui nubeculæ, atomi, & diuersi colores falsò repræsentantur: vel tenebricosa fit vertigo ex iisdem fumis eleuatis, suâ obscuritate & caligine visum offundentibus, quos vnctuosos, resinosos, & sulphureos, salium tamen acredine priuatos, nigram tincturam causantes, ex sanguinis substantia sulphurea promanare censet Quercetanus: Quod an verum sit iudicent qui negant realem mineralium analogiam cum humoribus, vel saltem nominalem solam inter ea distinctionem admittunt: an verò adustæ fuligines, sic vocatæ sulphureæ & resinosæ exhalationes, sale priuentur facile est experientiâ comprobare, cùm sale fixo orbatæ, nescio an volatili consocientur. Hæ obtenebrationes & imaginationes absque vertigine, ab iisdem causis, in aliis affectibus apparent, sed cum hoc discrimine; quia cùm horum causa in hoc affectu non sit in oculo, sed in ipsa cerebri parte, vnde nerui optici prodeunt, nulla affectione fixâ in oculis permanente, vti in suffusione, sed tantùm fugaci & momentaneâ efflorescunt: at in prædictis oculorum

Tract. 15. cap. 3.

Tract. 1. prax. c. 7.

Tetradis cap. 11.

rum affectionibus sine intermissione offendunt. Cùm verò Platerus hanc vertiginis causam pituitosam flatuum in cerebro genitricem, suâ frigiditate & humiditate obesse negat, nescio quomodo intelligat cur hæc causa carum & apoplexiam sæpè præueniens, & soporem inexpugnabilem pariens, cerebrum refrigerare & humectare non dicatur: forsan ad illam chymicorum sententiam alludit, qui censent sulphur resolutum esse vertiginis causam; quòd si vera profitentur suâ vi narcoticâ & soporiferâ spiritus potiùs ligaret, quàm in gyrum conuerteret. Verosimilius Medici ad illam pituitam, causam huiusce affectus in nonnullis reuocant; quæ suâ propriâ frigiditate & substantiâ nocet, & cerebri debilitatem consequitur; licèt immediatè vertiginem non efficiat, mediante tamen obstructione flatus retentos ac commotos ex leui etiam causa multiplicat, vnde vertigo emergit. Morbus ergo vertiginem pariens est vel intemperies, cùm calida, tùm frigida, & obstructio vel à sanguinis feruidioris copia, vel à pituitosi humoris, aut crassi alterius melancholici abundantia: ex quibus eleuantur vapores & flatus, spiritus in orbem & circulum agitantes, tanquam vertiginis proximæ & coniunctæ causæ, sed interueniente aliquo morbo iam dicto, nempe intemperie, & obstructione. Vnde rotatio spirituum quæ dicitur à Salio Diuerso annotationibus in lib. Altomari, morbus in situ: cùm tamen hi spiritus induant potiùs rationem causæ, vti vapores & flatus faciunt; nec ad circumscriptionem partis pertinent, & proinde morbi subiectum esse nequeunt. Huc refer quod in alio tractatu nostro de Medicinæ Hippocraticæ veritate attulimus, nempe spirituum motum ex accidenti lædere imaginationem, & per aliud, seu interuentu morbi, qui in intemperie & obstructione consistit. Alij facilè morbum deprauati sitûs concedũt, vt pertinet ad malam partis conformationem: cùm morbus subiectiuè non tantùm in continentibus inhæreat, sed in contentis: sic Ranchinus Professor Monspeliens. proprium & prædicatiuum morbi subiectum, ab inhæsiuo & causali distinguit.

Cap. 17. *Sect. 2. cap. 2.* *Sect. 1. pathol. vniu. c. 7.*

Quum spiritus flatuosus non è capite, sed aliunde infernè sursum transfertur, videndum an è toto corpore, vt in febribus, venoso scilicet genere, & magnam perturbationem indicat: frequentiúsque à ventriculo prodit, ex bile potissimũ; vnde picrocholis ieiunis vertigo magis exacerbatur, & cibi assumptione mitescit: oris adest amaritudo, erosióque orificij ventriculi, & capitis dolor aliquando comitatur. At vertigo per consensum ventriculi facta non tantùm ratione bilis, vt habetur in Aphoris. Hippocr. sed etiam ratione cruditatum ac humorum pituitosorum, vt innuunt Aëtius & Paulus: quod cognoscitur ex signis cruditatis, in qua sæpiùs quàm à bile vertiginem causari in intemperantibus, ipsa experientia testatur. Similiter ab vtero menstruis retentis, vel ex alia causa potest capiti vaporosus ille spiritus communicari.

Lib. 4. aph. 17.

Causas etiam externas & procatarcticas seu præcedentes, paroxysmum vertiginis commouentes cõsiderare conducit: vt constitutionem Austrinam, aërem calidiorem, inspectionem ex alto, & rerum in orbem conuer

conuersarum, vt rotæ vertiginis, & fluminis meatus: & si proni quicquam gesserint asperatur passio: Tum obseruanda exercitia immodica, dolor, ira, cunctáque, quæ subitò in feruorem & motum abripiunt. Denique vertiginem parit capitis percussio, eò maximè si fracto cranio, anteriorum ventriculorum compressio sequatur, vbi nerui optici propagantur.

Lib. 1. tardar. pass. c. 2. Cælius Aurelianus hanc passionem saluti esse innoxiam dicit, hoc est, sine periculo, nisi quis ex altò cadens, ratione casus potiùs quàm passionis violentiâ perire videatur: quod intelligendum venit de recenti, nō verò de inueterata vertigine, & quæ fit absque febre; de critica, non verò symptomatica: hinc Rondeletius hanc affectionem medium tenere inquit, tum salutarium, tum exitiosarum. *Lib. 1. meth. cap. 14.* Indicium enim est nec omnino prostratæ, nec omninò vincentis naturæ: Perseuerans itaque hoc malum perniciosas ægritudines prænuntiat, affirmátque Aretæus hanc, aliorum morborum, cùm insanabilis euasit, initium esse, vt maniæ, melancholiæ, & epilepsiæ; cuique suis symptomatibus accedentibus: nam cùm specta rubentia obuoluũtur oculis, maniam: cùm rubore saturata, epilepsiam præsagiunt, spirituum enim & flatuum notant motum contra naturæ filum, desuper vitiosi humoris in cerebro redundantiam, & ipsius partis temperamentum valdè alienatum, viriúmque effatu dignam læsionem indicant, quippe quod & crassum flatum languidi caloris sobolem iugiter generet, & in resistendo planè languescat; vnde non tantùm epilepsia, sed apoplexia introducitur. Quibus namque, teste Hippocr. cephalalgiæ & aurium tinnitus sine febre, & tenebricosa vertigo, & vocis tarditas, & manuũ torpor, hos vel apoplecticos, vel epilepticos, vel etiam obliuiosos fore expecta. *In Coacis cap. de cephalalgia.*

Febres cum vertigine tenebricosa coniuncta, mortiferæ: siue fuerint cum intestinorum torminibus, siue non; *Foësius Coaca 106.* quoniam vertiginosæ causæ, quæ vel in cerebro, aut in aluo, vel in pulmonibus stabulantur, febrium paroxysmis & crisibus exacerbantur, & efferæ magis fiunt: maximè verò si vertigo sit cum vrinis tenuibus, & febrium initiis, micantibus venis in capite: vt nulla sit excusatio perturbationis criticæ, qualis à pepasmo sæpe fit ad vomitionem, & hæmorrhagiam si loco appareant. *Hippocr. coac. 81. Foësij & 4. de diæta acut.* Sed in prædicta vertigine cum febre, signa decretoria sunt non decernentia, & proinde lethalia, aut sinistri iudicij: quia scilicet ineuntium febrium sunt, & ideo symptomatica toto genere, non autem signa perturbationis criticæ. Quare rectè Hippocrates inquit: *Quibuscunque autem initiis febrium vertigo est, vnáque capitis vena micant, cum tenui & cruda vrina; his proculdubio febris exacerbationem in crisibus expectare oportet*: nec mirum videri si non sint apud se. *Lib. 4. aph. 17.* Itaque illa omnia symptomata repleti capitis, cùm ad crisim non appareat, erunt profectò signa phrenitidis, & proinde mortifera.

Curatio vertiginosi paroxysmi consistit in procuranda laborantis quiete, ne cadat; tum opus est auertere à capite humores, vaporésque, quod fiet frictionibus & ligaturis extremorum, cucurbitulis collo, dorso, & lumbis admotis, suppositoriis, & clysteribus acrioribus &

carminatiuis, quinetiam arteriotomiâ, sectione arteriarum quæ ponè aures sunt, si vehementior sit vertigo. Deinde curandum vt flatus in capite contenti resoluantur, haustu aquæ cinnamomi, cœlestis, Imperialis, & vitæ, vel cum guttis olei de aniso in aqua betonicæ dissolutis. Postmodum paroxysmo transacto refocillandæ vires cum ʒ.j.confectionis Alkermes, aut aromatici ros. in aqua maioranæ dissoluti.

Paroxysmorum præseruatio, victu, chirurgiâ, & pharmaciâ procuranda: quantum ad diætam talis esto: fugiatur aër austrinus, nebulosus, paludosus, & nocturnus, quia caput replet, & commouet; vt quæ humores concitant & impellunt, vigiliæ immodicæ, animi pathemata, immodica exercitia, Solis æstus, radij Lunæ, mora in igne. Vitentur profundorum ex alto intuitus, & eorum quæ in orbem mouentur. Cibi sint euchymi, coctu faciles, non vaporosi, nec calidi, aut flatulenti. Abstineat æger ab alliis, porro, cæpe, sinapi, napis, castaneis, raphano, vino Hippocratico, Moscatelino. Nocet admodum inedia: somnus diurnus noxius est, vt & coïtus immodicus: potus aquæ coriandro, vel aniso, aut cinnamomo, aut citri cortice incoctæ conducit. Pastum claudat cydoniati adstringentis vsu.

Quod ad reliqua præsidia spectat, vt sedetur illa vaporum, humorum atque spirituum agitatio, pro diuersitate causæ occurrendum: & proinde phlebotomia in vertiginosis non semper exercenda, nam præterquam quod dum vires languent omittitur; sanè dum ab humore frigido pendet affectus citra sanguinis commercium, sanguinem è vena mittere non licet. Certum namque est ex Galeno tunc non conuenire, quum humores à sanguinis natura longè recedunt. In qualibet alia vertiginis differentia, siue primogenia, siue sympathica, sanguinis missio opportunè facienda, seu eâ intentione vacuandi, seu auertendi aut ventilandi; diuersâ mensurâ, pro copia sanguinis, ægri viribus, ætate, & reliquis coindicantibus: idque fieri debet vel in principio, vel iam procedente morbo. Vena autem basilica secatur, vbi membrum inter renes & iugulum afficitur, vel dum vniuersalis plethora ingrauescit: licet tamen in primaria cerebri affectione cephalicam aperire. Quòd si morbus ex partibus inferioribus affectis pendeat, venæ malleoli scindendæ. Interea notanda est Aëtij præceptio, non esse sanguinem affatim vacuãdum, cùm ex qualibet occasione ægri concidant, sed partitis vicibus congrua mensura explenda.

Lib.4. de sanit. tuend. c. 4.

Tetrab. 2. serm. 2. cap. 7.

Purgatio conuenit moderata tamen, ob cerebri debilitatem coniunctam: In sanguineis & biliosis: ℞. *thamarindorum* ʒ.iij. *bulliant in decocto borraginis, endiuiæ, flor. nymphea, adde sub finẽ rhabarbari* ℈.iiij. *santali citr.* ℈.ß. *In colat. & express. dissolue elect. de succo rosa.* ʒ.iij. *syr. ros. sol.* ℥.j. *fiat potio.*

In serosa & pituitosa materia: ℞. *aloës socoterinæ succo rosar. saturatæ* ʒ. iij. *agarici recenter trochisc.* ʒ.j.ß. *senæ puluer.* ʒ.ij. *cremoris tartari* ʒ. j. ß. *pulueris contra spasmum* ℈. ij. *diacridij* ʒ. ß. *cum syr. rosar. solut. fiat massa, ex cuius* ʒ. j. *formentur pilulæ 6.* capiat semel in hebdomade tribus horis post cœnam.

Ad præparandos humores biliosos in

in capite: ℞. herbar. lactucæ, cichorij, scariolæ, borraginis ana m. j folior betonicæ, & summitat. fœnic. ana m. ß. semin. papaueris albi, anisi ana ʒ. j. flor. nymphea, anthos ana p. j. prunor. par. v. fiat decoctio in s. q. aquæ ad tertiæ partis consumptionem, colaturæ clarificatæ & aromatisatæ ʒ. j. sandali citrini, ℔. j. dissolue syrupi violati & de cichorio simpl. an. ℥. ij. fiat apozema pro 4. dosibus matutinis.

Vel ad præparandos humores pituitosos, & obstructiones vasorum reserandas paratur hæc decoctio: ℞. limaturæ ligni buxi, & ligni lentiscini ana ℥. j. ß. visci quercini ʒ. vj. infundantur in aqua s. q. postea adde betonicæ, serpylli, maioranæ, ana m. j. radic. pœoniæ ℥. ß. baccarum Iuniperi, & myrti ana ʒ. ij. fiat decoctio lento igne ad tertiæ partis consumptionem, & de colatura dulcorata capiat ℥. vj. per aliquot dies; huic possunt addi purgantia, vt sena, agaricus, rhabarbarum, mechoacam pro diuersitate humoris peccantis.

His factis præscribenda specifica remedia quæ caput roborent, reliquias dissoluant sub hac forma: ℞. betonicæ, chamædryos, maioranæ, herbæ Trinitatis, myrti, agrimoniæ ana m. ß. serpylli, hyssopi ana p. j. granor. pæoniæ, baccarum iuniperi, thuris ana. ʒ. j. ß. mellis despumati quadruplum: misce, fiat electuarium, cuius exhibeantur ʒ. ij. in ingressu lecti.

Vel ℞. coriandri præpar. ʒ. ij. seminum pæoniæ ʒ. j. coralli rub. margaritar. præpar. ossis de corde cerui ana ʒ. ß. macis, cinnamomi ana ℈. j. Specierum aromatici ros. & dianthos ana ʒ. j. sacchari ros. q. s. fiat mixtura sumenda post pastum ad semicochlear.

Interim dum hæc præparantur in calida vertigine oportet applicare oxyrhodinon ex aqua, oleo, & aceto rosaceis, sincipiti. Si pituita in capite sit impacta, purganda est per errhina, & masticatoria. Arteriotomia conuenit iis qui laborant dolore pulsatorio arteriarum turgentium sanguine calido & vaporoso: debet exerceri extremo vigente dolore, nullis anteactis remediis cedente: eligenda in fronte, temporibus, aut post aures, ligaturâ colli factâ, quæ micat magis, calet, & rubet, & vbi dolor acerbior est. Pareus Cap. 4. scribit arteriam in tẽporibus phlebotomo diuidendam tutò & sine lib. 16. periculo: ipsiúsque consolidationem paulò tardiorem esse; sanguinis verò fluxum nullum superuenire, modò deligatio optimè sit parata, hæreátque totum quatriduum appositis, vt decet, plagulis: quod confirmat notabili obseruatione. In idiopathica vertigine commendatur cauterium occipitio, vel sincipiti inustum: in sympathica cruribus cum magno fructu apponitur.

His factis reliquiæ materiæ sunt euacuandæ per pilulas vsuales præscriptas, tum per decocta sudorifica ex china, sarsaparilla, & guaiaco parata: & topica vsurpanda aliqua ex parte discutientia, cum adstringentibus, & cerebrum roborantibus permixta; vt fiat puluis hoc modo: ℞. flor. anthos, stœchados, ana ℥. j. rosarum rubrar. & albar. ana ℥. ß. coriandri præpar. ʒ. vj. nucis mosch. caryophyllor. calami aromat. cyperi ana ʒ. ij. myrtillor, ʒ. j. fiat puluis subtilissimus, inspergendus sincipiti.

In principio & declinatione morbi adstringentia augentur: in principio vt vapores repellantur: in fine vt cerebrum roboretur, ne rursùm impleatur vaporibus. Si maior sit intentio digerendi quàm repellen-

di, auferantur rosæ, & semina myrti.

In aliis vertiginis speciebus per consensum natis à ventriculo, hepate, & toto corpore, vel à calidis aut frigidis humoribus, illarum partium vitiis potiùs quàm cerebro prouidendum. Nota sententiam Hippocr. de vertigine per consensum à materia biliosa in ore ventriculi residente: *Non febricitanti cibi fastidium, cordis dolor, vertigo tenebricosa, & oris amaritudo, purgatione per superiora opus esse significant.* Hollerius in comment. inquit in hisce regionibus per inferiora esse purgandum.

Aphor. 17. 4.

CAPVT II.

De Epilepsiæ idea, sede affecta, causis, differentiis, & curatione.

EPilepsia est iniussa corporis vniuersi conuulsio cum læsione sensuum atque mentis, quam edit cerebri proritati contractio, mox spinalis medullæ, & inde neruorum omnium motui atque sensui præfectorum. Dicitur *iniussa conuulsio*, seu motus pr. nat. qui fit à præternaturali causa violenter cerebrum irritante, sicut sternutatio, & singultus: ait enim Galenus hunc affectum procreari, neruorum principio seipsum quatiente, quo excutiat ea, quæ noxia sunt. Distinguitur tamen epilepsia ab emprosthotono, opisthotono, & tetano veræ conuulsionis speciebus; tum quia in hisce affectibus conuulsio est perpetua; in epilepsia est interpolata, per temporum interualla contingens: tum quia in illis nec sensitricum, neque principum actionum læsio adest, sicut in Epilepsia. Constat ergo Epilepsiam esse symptoma in genere noxæ functionum animalium; motrix enim depravatè læditur, sensitrices verò ac rectrices omnes abolitè læduntur.

Lib. 3. de loc. aff. cap. 7.

Membrum in hac passione affectum est cerebrum, non modò secundùm ipsius ventriculos, sed & substantiam, vt ex animalium functionum læsione colligitur, quarum omnium organum cerebrum existit. Causa epilepsiæ à dogmaticis cum Galeno statuitur, humoris pituitosi aut melancholici ingens copia: quæ repentè cerebri ventriculos, meatúsque infarciens, efficit vt æger cohibito animali spiritu corruat. Hæc tamen non affatim ac penitus spirituum ductus obturat, sed eius etiam nonnihil præterfluit, quo cerebrum concussione adnititur quicquid noxium est excutere. Hinc patet quod ventriculorum cauitates incompletâ obstructione obturentur, quæ tamen morbus in praua conformatione recensendus.

Lib. 3. de loc. aff. cap. 5.

Nonnulli hanc reiiciunt Galeni sententiam; eo quod pituitæ obstructio in caro, & apoplexia reperiatur citra conuulsionem. Respondet Heurnius fieri caron, quia materia rigat sinus cerebri: fieri epilepsiam, quia figitur & adhæret. Adde quod in caro nulla est vellicatio, vt in epilepsia. Alia obiectio est, ex pauca accessionum duratione illam pituitæ obstructionem tam subitò solui non posse. Vnde illam non esse solam & vniuersalem Epilepsię causam concedimus, sed tantùm vehementium ac longorum Epilepsiæ paroxysmorum.

Cap 22. de morb. cap.

Auerroës à pituita fieri censet, sed in flatum conuersa; quæ opinio non

Lib. 3. collect. vlt.

non est prorsùs reiicienda, vt ex firmissimis rationũ momentis cõuincitur; est enim familiaris pituitosis ætatibus puerorum & senum: & tamen singulæ accessiones breuissimo durant tempore: non itaque fiunt à pituita, quin priùs in flatum fuerit commutata. Accedit quod qui per consensum epilepsiâ laborant, frigidam auram ad cerebrum conscendere sentiunt. Postremò si est sternutamentum, vt censet Auicenna, parua Epilepsia, quæ fit iuxta Galen. cerebro vel demorso, vel à flatu pituitæ distento, rarò à materiæ infarctu: æquum est easdem Epilepsiæ causas constituere; & sanè in plurimis accessionum quales maximè breues sunt, & frequenter repetentes, occasio existimanda est qualitas mordens, aut flatus ex humore. His additur quod sæpè fuit obseruatum in dissectione epilepticorum post obitum, non modò eorum qui per consensum laborabãt, sed & qui per proprietatem, eam ventriculorum plenitudinem secãtibus non se repræsentasse. Insuper humor à ventriculis semel excussus, non est quò se recipiat, vnde tam crebris interuallis redeat, nonnunquam enim centies in die inuadit. Quod si in vasa commigraret, non facilè rediret si in cerebri substantiam apoplexiam produceret. Quapropter magis veritati consonum videtur, sicut in sternutamento, aut qualitatem noxiam, aut distendentem tantùm flatum, cerebrum vellicare, & ad concussionem impellere: in quo vno epileptica consistit accessio. Quod enim non semper à crasso humore, sed sæpè fiat ab acri & mordente, ratio hæc confirmat. Inuadit Epilepsia nonnunquam famescentem & iratum, curaturque à Galeno sumptâ hierâ cholagogâ. Nascitur ergo aliquando ab acri, bilioso, mordentéque humore, non verò perpetuò à crasso ventriculos cerebri replente.

Fen. 1. li. 3. tract. 5. c. 8.

7. Aphor. 52.

Fernelius asserit præter humoris copiam, venenatam & cerebri substantiæ grauiter infensam qualitatem, Epilepsiæ causam statuendam esse, quæ quoties exagitatur ac prorepit in cerebrum, eâ quidem feriente, cerebro autem contra pugnante, quasi colluctatione quadam ac dimicatione fit Epilepsia. Non est tamen credibile hanc qualitatem venenatam in omni Epilepsia coniungi: si enim omnis Epilepsia iunctum haberet venenum, in pueris & cunctis qui ab idiopathia cerebri laborant, nunquam cessaret, sed perpetuò à causa venefica orij nescia exacerbaretur: cùm tamen sæpè repetat, mox delitescat accessio epileptica.

Hermetici & Paracelsistæ referente Quercetano, hunc morbum vitriolatum vocant, quod suam originem contrahat ex vapore Mercuriali vitriolato, qui ex tartaro, aut mucilagine æruginosa expirat, quã vulgò porraceam nominamus: eius autem est naturæ vt suâ aciditate ventriculos cerebri coarctet, & sale suo armoniaco menynges vellicet & feriat. Vnde Paracelsus ex morbi huiusce vitriolati idea genus remedij specifici deducit, quod in spiritu vitrioli viridi auxilium suum nãnciscatur. Confirmat hoc quòd pueri sunt epilepsiæ obnoxij, non quòd cerebrum habeãt pituitosum: sed quòd quamplures lac in ventriculo acescens, & non probè concoctum congerant cuius corruptio eam naturam induit, vt in æruginosum & viride, quoddam virus vi-

In Tetrade cap. II.

triolatum degeneret (vt ex eorum reiectionibus ac vomitibus huiusce coloris videre est) vnde dolores grauissimos patiantur, & proni ad hunc morbum reddantur. Quò fit vt Auicennas epilepticum morbum puerilem vocet, aut puerorum Matrem.

Hæc doctrina sic explicata non reddit omnis Epilepsiæ rationem, sed illius tantùm quæ accidit ob vapores illos Mercuriales vitriolatos à chymicis appellatos, in aquam concrescentes, qui eleuãtur ex materia vel tartarea mucilaginosa, vel æruginosa & viridi vitriolata, per analogiam dicta, vnde prodit morbus Epilepticus astralis, vtpote ex halituosa & vaporosa materia genitus, quæ in modum meteori ad cerebrum fertur, & à spiritu vitriolato iuxta Hermeticos, vel à substantia quadam acida, iuxta nostram sententiam, vim coagulandi habente concrescit, & spiritus animales conturbat, & cerebrum ad sui expulsionem vellicat & concutit. De quo egimus in tractatu de Hippocraticæ Medicinæ veritate, seu Medicinâ antihermeticâ. *Sect. 2. cap. 5.*

Ex dictis colligitur duplicem esse Epilepsiæ differentiam; vna est ἰδιοπαθικὴ, quæ non semper ex ventriculorum infarctu, vt Galenus censuerat, procedit, sed aliquando ex humore quodam seroso intra caluariam & menyngen collecto, vt obseruauit parens colendissimus Iacobus Fontanus: & Fernelius corruptam menyngis portionem caluæ adhærentem, cum summo dolore epilepsiam concitasse scripsit: tum & cerebri abscessum, & supradictas causas. Idiopathicam indicant capitis grauitas, oculorum hebetudo, corporis ignauia, sensuum & mentis torpor, faciei pallor, & licet accessio repentè adoriatur nullâ symptomatum præsensione, attamen paulò ante paroxysmũ adsunt turbulenta insomnia, vertiginosus motus, tinnitus aurium, nocturna suffocatio: splendores purpurei ob oculos in orbem versantur, aut propendent marmarygmata, hoc est, marmorum maculis similia, & paroxysmi longior duratio. *Lib. 6. pathol. cap. 15. Lib. 5. pathol. cap. 3.*

Sympathicam denotant si sit ab ore ventriculi, ipsius dolor, distentio, nausea, cordis dolor, aut animi defectio, & tandem vomitus. Si ab vtero, sanguinis menstrui suppressio, vt & seminis, ac vtriusque corruptela. Si à liene, symptomata melancholica. Si à vermibus, ea quæ vermes comitantur. Interdum ex vrinarum anadrome fiunt graues epilepsiæ.

Galenus ex præceptore Pelope rectè explicat vnde exoriatur epilepsia per consensum: ex corrupto scilicet in quadam parte humore, aut spiritualem substantiam communicari, hoc est, auram seu vaporem per cæcos ductus ad cerebrum conscendere: aut nudam qualitatem, quæ alteratis per continuitatem partibus, ad ipsum vsque prorepat. Quin & dictas in membris corruptiones adeò deleterias quandoque fieri, vt veneno similes existant. Mox Galenus nodum soluit prioribus Medicis indiscussũ, quare venenata illa qualitas cerebro aliũde accedens epilepticas conuulsiones excitet; non aliter inquit, ac vẽtriculus singultu afficitur, quum à re quapiam mordicùs infestatur. Non enim conuulsio quæ per consensum fit, proprias conuulsionis causas ex repletione vel inanitione agnoscit, sed potiùs est similis mo- *Lib. 3. loc. affec. c. 7.*

tui

tui conuulsio, veluti singultus qui à stomacho, à re quapiam molestè affecto accidere solet.

Ex ea verò sede, in qua mali fomes delitescit, prehendente accessione, velut aura quædam frigidior per continuatas partes in cerebrum efferri percipitur: cuius etiam impetus incipiés iniecto arctiore vinculo, intercludi cohiberique potest.

Insultum epilepticum demonstrāt, vel immediatè præcedunt, vertiginosus motus, καρηβαρία, id est, capitis grauitas, inordinatus linguæ motus, eiusdémque morsus, clamor seu boatus: vel subsequuntur casum subitum in terram conuulsiuus motus cum iactatione totius corporis, interceptio sensus & functionum principum, stridor cum stertore, spuma potissimum in ἰδιοπαθικῆ & vehementi. Atque hæc de diagnosi sufficiant.

Quantùm ad Epilepsiæ prognosin, notabis vnam esse natalitiam seu congenitam à generationis primordiis: aliam quæ à malè instituta diæta succrescit. Illa originis initiũ sumit (vt ait diuinus Senex) cùm adhuc fœtus in vtero existit: purgatur enim & adolescit etiam cerebrum, velut aliæ partes, prius quàm in lucem edantur. Quòd si purgatio non accesserit, sed in cerebro collecta pituita fuerit, hoc modo pituitosum factum esse necesse est. Vocat autem non purgari cerebrum puerorum, cùm nullum vlcus habuerint, neque mucus aut saliua vlla prodierit, periculum est ne hoc morbo corripiantur: Et cùm naturale potius vitium sit, quàm morbus recens, curationem artis ope vix admittit, sed mutationem circa pubertatem: puerilis enim epilepsiæ finem adfert menstruorum purgatio; sicut & maribus ἡ ἔκλαμψις, hoc est, effulgescentia caloris natiui, simul atque ventum est ad pubertatem: nam ea absumit materiam, & neruos confirmat.

Hippoc. lib. de morbo sacro.

Lib. 3. de loc. affect. c. 7.

In altera Epilepsiæ differentia ex praua victûs ratione congenitâ, non expectare oportet ætatis mutationem, sed morbosam affectionem manu medicâ abigere oportet. Sic enim Hippocr. Ex comitialibus iuuenes mutatione potissimùm ætatis & regionum, & victuum liberationem suscipiunt. Comitiales ergo morbi qui ante pubertatem eueniunt, solutionem recipiunt: at quibus ij eueniunt vigesimo quinto ætatis anno, maximâ ex parte commoriuntur iuxta Hippocr. sect. 5. aphor. 7. tales enim inemendabili cerebri vitio euenire videntur, qui tunc temporis enascuntur, vel perseuerant, quia causæ immanitatem denuntiant, quæ id robur ætatis contemnit. Obseruanda est natura ætatis, & causæ morbi; cùm enim sibi sunt contraria, fit vt morbus mutatione ætatis soluatur: alioquin causæ vehementia colligitur, quæ à contraria ætatis qualitate emendari nequit.

2. sect. aph. 45.

Epilepsia in melancholiam abit; est autem melancholia mentis ægritudo, sicut epilepsia corporis: hæc itaque mala sibi inuicem succedunt ex Hippocr. & Gal. vtriusque mali foco superstite, fit propagatio per epigenesin vnius ad alterum: nam epilepsia primigenia ægritudinem animo infert, ex diuturno metu cadendi. Et communis vtriusque est causa, nempe succus melancholicus, modò mentis functiones conturbans, mox sinuum cerebri substantiam malè afficiens.

6. Epid. sect. 8. text. 40. 3. de loc. aff. c. 7.

Epilepsia raro in paralysim migrat,

grat, tum quiá corporis concussio ad materiæ dissolucionem facit:tum quia illa acris & deleteria neruos irritat, nec subsistit, aut torporem infert. In Apoplexiam conuertitur, cùm contumaciùs inseritur pituita; & arctiùs se in cerebri sinus, ac ipsius basim immiscet.

Medendi ratio in Epilepsia duplex est, vna prophylactica, & præseruatoria; altera therapeutica quæ præsenti paroxysmo subuenire & mederi conatur, cuius scopus est noxium humorem, & halitum è cerebro reuellere, & dissoluere, spiritúsque animales oppressos excitare. Collocatur æger in loco lucido, & calido, detentisque membrorum agitationibus ne distorqueantur; aliquando concessis, vt humoris vel vaporis solutionem iuuent: impediendum quoque, ne dentes constricti, ob temporalium musculorum conuulsionem, suffocationem inuehant: quare interiecto aliquo instrumento os aperiendum, ne lingua dentium illisu laceretur.

Si ventriculus cibo aut excrementis refertus, pennâ oxymelite scillitico delibutâ in fauces immissâ vomitus prouocabitur, postmodùm palatum confricabis mithridatio in aqua vitæ, saluiæ, aut rutæ dissoluto.

In nares oleum de lateribus, aut balsamum tolutanum iniicies: vel sternutationem mouebis succo cucumeris agrestis, cyclaminis, vel radicis Brioniæ, cum puluere seminis rutæ, & coaguli leporis ad drachmã vnam vtriusque.

Auribus instillantur guttulæ olei de cinnamomo.

Vocibus magnis & strepitu excitantur epileptici, licèt ante paroxysmum noceant.

Oculi aperiantur erigantúrque palpebræ, & lumina obiiciantur.

Fricentur artus cum aqua saluiæ & rorismarini.

Conueniunt cucurbitæ dorso, scapulis, natibus applicatæ cum scarificatu.

In forti & longo paroxysmo infunduntur clysteres acres, & supponuntur glandes. Postremò aquæ antiepilepticæ porriguntur. Guainerius, Rondeletius aquam hirundinum commendant. Aquam destillatam ex cerasis dulcioribus, in balneo Mariæ paratam multi fugare paroxysmum asserunt, si detur ad ℥. j. vel ij. Quercetanus hanc componit: ℞. *pullos hirundinum* vij. nidorum, hos in terreo vitrato vase firmissimè obstructo, ad reuerberandum componito, dum toti pulli in cinerem redacti sint. Ex hoc cinere *accipe* ℥. iij. *cineris cranij humani* ℥. ij. *pulueris rad. visci querci. rad. angelicæ, zedoariæ ana* ℥. j. ß. *seminum pæoniæ, granorum iuniperi conquassatorum ana* ʒ. vj. *castorei* ℥. j. *succi rad. & folior. pæoniæ, aceti scillitici an.* ℔. j. macerentur simul omnia in vase fortiter obstructo ad aliquot dies in balneo Mariæ, deinde fiat destillatio in cineribus mediocri igne ad siccitatem. Postea aridas fæces accipe, easque in calcem vi ignis redige, quibus in manica Hippocrat. impositis, superfundatur sæpiùs destillatus liquor & traiiciatur. Huius aquæ ætate prouectioribus semicochlear exhibetur; infantulis verò paulò minus propinandum. Alij præbent aquam theriacalem, aut cælestem, imperialem. Laudant multi guttulam olei de saluia, vel de thymo, de aniso haustam, & in nares immissam.

Neque negligenda amuleta quę

proprietate

proptierate paroxyſmum ſoluunt, vt vngula alces, cornu onagræ, vel annulli ex vtraque materia confecti,& geſtati,pæoniæ radix collo appenſa. In fine paroxyſmi partes nobiles erunt recreandæ cum confectione Alkermes,tabellâ cardiacâ;& artus agitatione fracti litu olei liliorum cum aqua vitæ demulcendi.

Quoad reliquum curationis præſeruatoriæ, quinque ſcopi à Medicis proponuntur,primò vt plethora & cacochymia totius corporis vacuetur. 2. Vt omnis cerebri colluuies expurgetur. 3. Vt noua praui humoris generatio impediatur. 4. Si id conſequi non valeamus, vt humor genitus ad ignobiliora loca retrahatur & reuellatur: quod ſi praui ſucci minera extra cerebrum ſit, mandâti parti adeò proſpiciatur, vt malignæ auræ delatio intercipiatur. 5. Vt cerebro mandantique membro,temperies collapſa & robur reſtituatur. Et cum his conſideranda eſt varia ægrorum conſtitutio,ætas, diſſimile temperamentum,ac diuerſæ morbi cauſæ: vt ſcilicet pro ipſorum varia indicatione, aut contraindicatione remedia modificentur.

Frequentior cauſa eſt pituita ſæpè ſalſa,vel atrabilarius ſuccus,rarò ſanguis, aut bilis:moderandus ergo victus calefaciens,ſiccans,& tenuis pro ratione cauſæ, & conſtitutionis ægrotantis. Aëre puro fruatur, & arceantur fumi rerum malè olentium, & potiſſimum pellis caprinæ, hepatis caprini, & cornu illius, lapidis gagatis igniti, & ſulphuris. Somnum fugiat diurnum & præſertim meridianum: non producat vigilias in multam noctem. Exerceat corpus ante paſtum, manè fricentur extremitates. Cibus ſit qui bonum ſanguinem efficiat, vt eſt ius columborum agreſtium:& quia ſolet eſſe morbus diuturnus,& eget multis vacuationibus,maiori nutritione opus eſt. Vtatur ergo turture, perdice,pullo gallinaceo,gallinâ tenerâ: condiantur cinnamomo,nuce muſchatâ,garyophyllis:carnes arietinæ laudantur; capita tamen arietum & hircorum peſſima ſunt, reperiturque in eis ſuccus malè olens, à quo forſan concitari poteſt epilepſia. Coturnix noxia eſt huic morbo; ſimiliter anguilla, piſces, legumina omnia præter cicera, herbæ frigidæ,fructus virides, lacticinia & omnia vaporoſa,& cæpe,allium,caro ſuilla, & quæ coctu difficilia. Cœna ſit minor prandio: potus erit aqua mellis, aut in qua aniſum & cinnamomum coxerit: ſin minùs ventriculi imbecillitas obſit, vtatur vino benè diluto. Immodica agitatio,& motus nocet præſertim à cibo,coitus quoque immoderatus, & animi pathemata: ex alto inferiora conſpicere caueat, torrentum conſpectum,aquarum vortices, ſonitus graues,rotarum circuitus celeres.

Quòd ad ſcopum euacuationis, ſumptâ indicatione à cauſa antecedente,Galenus præcipit ſanguinem mittere iis qui Epilepſiam facile incurrunt, ineunte vere: verùm ſi morbus per eſſentiam ſubſiſtat, venam cephalicam ſecare oportet: ſi verò ex vniuerſi corporis aut præcordiorum vitio fiat, vena baſilica pertunditur: ſin per ſympathiam partium inferiorum contingat, venas poplitis ſecare expedit: repentinam verò & copioſam ſanguinis vacuationem perficere non decet, ſed potius iteratam & moderatam celebrare. Quod ſi ob aliquod impedimentum id præſtare non poſſis, *Lib. de curat. per ſanguinis miſſ c. 7.*

cucurbitulas corpore purgato, dorso, natibus, & occipitio admouebis cum scarificatu.

Post phlebotomiam morbifica materia pharmaco educitur, ipsius præparatione præmissâ sæpius repetenda per ἐπίκρασιν, vt per multas vices accidatur, à debilioribus ad fortiora procedēdo, ad id: ℞. *radic. pæoniæ decrescente Lunâ collectæ* ℥.j. *visci quercini* ℥.ß. *rad. Angelicæ, dictamni albi ana* ʒ. iij. *herbar. paralyseos, betonicæ, maioranæ, hormini ana m.*j. *seminum pæoniæ, seseleos ana* ʒ.j. *flor. anthos, stœchados Arab. lilior. conuallium an. p.*j. *passular. purgat.* ℥.ß. *fiat decoctio: in colat.* ℔.j.ß. *clarificatæ & aromatisatæ ligni aloës* ʒ.j. *dissolue mellis scillitici, sacchari an.* ℥. iij. *fiat apozema pro* iiij. *dosib.*

℞. *semin. carthami* ʒ. ij. *agaric. trochisc.* ʒ.j. *turbith gummosi* ʒ.j. ß. *fiat decoctio in decocto betonicæ, flor. anthos, passular, sem. anisi. In colat. dissolue diaphœnici, aut diacarthami* ℥. ß. *syrupi rosat. solut.* ℥.j. fiat potio.

Si apozema purgans sit faciendum, additur in præscripto apozemate senna, polypodium, semen carthami, agaricus, turbith dosi debitâ. Pilulæ cocciæ, fœtidæ, confectio Hamec, hiera colochyntid. &c. conueniunt.

Syrupus magistralis à Medicis Aquensibus sic præparatur ad epilepsiam puerorum: ℞. *radic. pæoniæ & seminis eiusdem ana* ℥.j. *visci querc.* ʒ.vj. *radic. angelicæ* ʒ.iij. *seminis contra, rhabarbari, agarici ana* ℥. ß. *senæ Orient.* ℥. iij. *succi rosar. q. s. infundantur per* 24. *horas, coquantur & exprimantur, & cum* ℔.j. *sacchari fiat syrupus: repetatur cùm opus erit, Pueris exhibetur ab* ℥.ß. *ad* ℥.j. *adultiorib⁹ ab* ij. *ad* iij.

Deinde post vsum catharticorum ad sudorifica veniendum: ℞. *rasuræ ligni sancti* ℥. iiij. *visci querci. pæoniæ an.* ℥. j. *infundantur & bulliant in* ℔. viij. *aquæ ad tertiæ partis consumptionem: bibat manè* ℥. vij. & continuet per aliquot dies sudando per vices: & semel in hebdomada aliquod purgans sumat. Aliqui postea veniunt ad vsum mineralium purgantium, *croci metallorum ad* xx. ℥. *in vino infusi, pulueris emetici ad* ℥. vij. *pari modo infusi*, vel ad helleborismos, ex quibus extracta, syrupi, vel opiatæ præparantur à nostris practicis ad rebelles humores eradicandos.

Verùm non tantùm generali totius corporis catharsi incumbendũ, quin ex ipsa parte affecta materiam euacuemus: ob id cauteria vel brachio inusta, aut occipitio, aut si malum sit inueteratum suturæ coronali ad diploëm vsque, vel secundam tabulam. Seto etiam ceruici inducendus, vt suadent Pareus & Hollerius. Trapani quoque operatio exercenda, dũ materia seu ichor virulentus intra membranas & caluariam fluctuat. Hæc præsidia cõpetunt Epilepsiæ idiopathicæ. Aliqui in capitis circuitu vlcuscula candente ferro excitant; alij sinapismum & vesicatoria supra suturam coronalem adhibent. Errhina, sternutatoria, gargarismi, masticatoria præscribi poterunt.

Post purgationem corporis & capitis, vsurpanda sunt antiepileptica, quæ virus expugnant, & residuam materiam resoluunt, & caput roborant. Simplicia sunt specifica, scilla, enulæ campanæ & pæoniæ radix, & semen, viscus quernus, semen seseleos, coagulum leporis, cinis cuculi, cranium hominis, vngula alces,

alces, onagri, veſica apri, talus ſuillus, cor talpæ, flos anagallidis ruber, hyſſopus, corallus, ſmaragdus, ſplē equi, cerebrum cameli, & muſtelæ, lapis pulli hirundinis.

Compoſita ſunt theriaca Andromachi de quo Galen. lib. de theriaca ad Piſon. Mithridatium, diambra, diamoſchus dulcis, dianiſum; aromaticum roſat. zinziber condit. conſeruæ ſaluiæ, betonicæ, ſcorzoneræ, acorus verus condit. conſeruę anthos, ſtœchados Arab. cortices citri condit. pyrethrum cum melle, & radic. eryngij, Limoniata ſmaragdorum commendatur, cuius hæc eſt deſcriptio: ℞. *Smaragdorum ʒ.j. hyacinthorum ʒ.ß. ſemin. pæoniæ & radic. eiuſdem an. ʒ. iiij. cinnamomi ʒ.j.ß. ſemin. citri, dictamni an. ʒ.vj. coralli rub. Alchermes, ſemin. acetoſæ ana ʒ.iij. croci, viſci quercini, raſuræ eboris, galangæ an. ʒ. ij. cum ſyrupo de ſucco limonum & melle quantitate ℔.j. & ℥. iij. fiat ſ.a.*

Cap. 15.

Huc repete puluerem antiepilepticum D. Saportæ Monſpelienſis Profeſſoris: ℞. *crany humani præpar. cinerum vngulæ aſini ana ℥. ß. ſemin. pęonię, rad. eiuſdem. viſci querc. an. ʒ. iij. capitis cuculi combuſti, & hirundinum an. ʒ. ij. nucis moſchat. ʒ. j. ß. margaritar. electar. coralli rubri ℈. iiij. ſemin. rutæ, baſiliconis, & callitrichi an. ℈.j. pulu. diamoſchi dulc. ℈.ij. raſuræ eboris, rad. angelicæ, ſemin. aniſi & fœnic. an. ℈.j. hyſſopi, maioranæ an. ʒ.j.ß. folior. auri num. x. fiat puluis pro vſu.* Pro pueris datur ℈.j. cum lacte: pro adultioribus ʒ.j. vel huius ʒ.ij. diſſoluuntur cũ ℥.iiij. ſacchari in aqua meliſſæ ſoluti, & fiunt tabellæ.

Aqua clareta Renodæi Med. Pariſienſis: ℞. *radicis pæoniæ vtriuſque, viſci querc. an. ℥. ij. ligni lauri, lentiſci an. ℥.ß. flor. betonicæ, ſaluiæ, anthos an. p. ij. macerentur per diem integrum in vaſe ſtricti oris, & bene cooperculato, in vini albi opt. ℔.j. ß. aquæ meliſſæ ℔.ß. poſtea deſtillentur, & aquæ deſtillatæ macera cinnamomi ℥.ß. ſacchari candi ℥.v. tum colentur & bis atque iterum tranſmittantur per colum laneum.* Colatura ſeruetur: mirum in modum confert epilepſiæ, lethargo, paralyſi, apoplexiæ, & aliis frigidis affectibus cerebri, & totius neruoſi generis.

Externa amuleta ſunt radix & ſemen pæoniæ collo ſuſpenſa, tum vngula alces & onagri, &c.

Topica ad roborandum cerebrum poſt purgationes parantur, qualis hæc lotio capitis: ℞. *aquæ vitæ ℥. v. in qua infunde iuæ moſchatæ, ſaluiæ, maioranæ an. m. ß. expreſſioni adde olei tartari guttas v. miſce.* lauetur caput eund. cubitum, continuet quoad opus erit.

Vnguentum: ℞. *olei laurini & rutacei an. ℥.j. pulueris euphorbij, ſtœchados, caſtorei an. ʒ.ß. ceræ q.ſ. miſce, fiat vnguentum* ſincipiti raſo apponendũ. Cucupha paretur: ℞. *betonicæ, roriſmarini, ſtœchados, ſaluiæ an. m. ß. radic. iridis florent. calami aromat. cyperi an. ʒ.j.ß. nucis moſch. garyophyllor. an. ʒ. j. fiat puluis,* ex quo cum cottone fiat cucufa.

Emplaſtrum pro commiſſura, Medicorum Aquenſium: ℞. *ladani ℥. ij. benzoini, ſtyracis, calamitæ, maſtiches Chiæ, thuris, gummi ſandaracæ an. ℥. j. cinnamomi ℥. ß. nucis moſch. & garyophyllor. an. ʒ. ij. reſinæ terebinth. aut larignæ, ſtyracis liquidæ an. q.ſ. miſce,* fiat emplaſtrum in mortario calido, cuius ʒ. iij. ſuper pannum ſericeum extendantur, & ſuturæ coronali applicentur.

Pomũ odoratum: ℞. *cinnamomi,*

garyophyllorum, nucis mosch. ligni aloës, pulu. maiorana an. ʒ. j. *gallia moschat.* ʒ. ß. *vel moschi & ambra an.* ℈. ij. fiat puluis qui cum ladano & mastiche in mortario agitatis, cum modico oleo rorismarini, aut de spica fiat pomum, cuius odorem suscipiat.

Atque hæc de curatione pituitosæ epilepsiæ, ad cuius ideam in cæteris erunt paranda præsidia, iuxta humoris dominium, & partis affectæ varietatem.

In ea quæ sit ab aura venenata sursum ascendente, vinculo pars vnde manat intercipienda si fieri possit: vel cauterio parti admoto virus resoluendum, vt fecit Fernelius illi, cui sub cranio venenatus humor coaceruabatur, quo modo fuit sanatus.

CAPVT III.

De conuulsionis idea, sede affecta, causis, differentiis, & curatione.

Σπασμὸς conuulsio ipso nomine planè declarat, quam hyparxin, quámque naturam habeat: quemadmodum annotauit Galen. Conuulsio autem nihil aliud est quàm partium quæ sponte nostrâ, non suâ mouentur, sine voluntate originem versùs contractio. Habet enim sedem iis in partibus, quæ nostrâ voluntate mouebantur, vel ab electione, vel ab instinctu vtpote in musculis. Nam in musculos tantùm cadit propriè dicta conuulsio. Quamuis enim singultus ventriculi conuulsio dicatur: non tamen simpliciter, sed quædam conuulsio dicitur, seu motus conuulsiuus. Et cùm motus illegitimi sint in triplici differentia ex Galeno: sunt enim deprauati motus qui fiũt naturæ dominatu, quam tamen stimulauerit causa morbifica, vt concussio cerebri & neruosi generis epileptica: alij morbosos comitantur affectus, naturâ ad eorum generationem suppetias minimè ferente, & à solo morbo pendent: alij partim naturæ vi, partim morbificæ causæ vehementiâ excitantur, vt tremor. Intelligit porrò per naturam, omnem facultatem, quæ animal siue voluntatis nutu, siue citra hunc regat. Conuulsionem antiquiores Medici solius morbi opus esse dicebant, non concurrente facultate; quod non recipitur à nonnullis recentioribus, qui putant ab animali facultate hunc motum fieri, ductis argumentis, vt putant irrefutabilibus, nimirum musculũ esse facultatis animalis instrumentum, eiúsque actionem animalem esse; animalem verò actionem nullam sine cooperatione facultatis animalis procedere posse. Neque ab alia facultate actionem deprauatã prodire, quàm ab ea, à qua integra & laudabilis editur: Atque omnino inexplicabile esse, quomodo facultas naturalis musculos eo modo contrahat, quo à voluntate & facultate animali per sanitatem mouentur; licèt Erastus velit in conuulsionis motu pr. nat. appetitum irrationalem musculos contrahere. Nunquam enim voluntas membra conuelli imperaret: ponit tamen proprium conuulsionis subiectum in cerebro, cùm antea nec in neruis, aut musculis consistere comprobasset. Sed immeritò musculos nullius cõuulsionis causam esse asserit:

Comm. lib. 6. Aph. 39.

Lib. 2. de causis sympt. cap. 1.

Disp. 21. de conuulsione thesi 99.

serit: nam cùm musculi proximum & adæquatum naturaliter se habētis motus instrumenta sint, etiam motus illius deprauati seu conuulsionis subiectum rectè statuuntur. Quoad causam, si respiciamus vitium seu conuulsionem, tensionem, & contortionem musculi ab humore, aut vapore, sine dubio aliquem esse affectum pr. nat. in ipso colligemus; Quod cùm Sennertus examinasset, conuulsionem reponit inter eius generis motus qui accidunt facultate naturali expultrice stimulatâ, & animalem δύναμιν in consensum trahente: quales sunt sternutatio, singultus, vomitus, tussis, rigor, concussiones, quæ sub initium somni accidunt. Atque ita conuulsionis proxima causa statuitur, facultatis expultricis fibrosarum partium musculorum, ex neruoso genere compositorum, à re molesta irritatio, quæ animalem in eodem subiecto sibi coniunctam in consensum trahit, atque ad motum incitat.

Lib. 2. de caus. sympt. cap. 1.

Lib. 2. instit. part. 3. sect. 2. cap. 5.

Verùm hæc sententia recipienda venit, meo iudicio, de illa conuulsionis specie, quam spasmum non proportionatum ad materiam Auicennas appellauit; qui non tam fit vitio partis conuulsæ (vtpote quæ non iustam, nec proportionatam suæ conuulsionis causam intra se contineat) quàm facultatis ipsius irritatione per affectionem cerebri, vel per sympathiam & communicationem affecti; vel principio neruorum solùm per se affecto, sine vlla causæ morbificæ ad musculorum corpus neruosum propagatione, quæ in primigenia ac idiopathica conuulsione ab Hippocrate descripta reperitur. Prædicta ergo conuulsio fugax & leuis est, vt in epilepsia, & spasmo mulierum hystericarum: & licèt hæc species cōuulsionis, facultatis animalis concursum quodammodo requirat: attamen quia nobis etiam nolentibus & non aduertentibus fit, ideo motus iniussus censetur.

Disp. 31 de conuulsione thesi 55.

Conuulsio igitur iuxta doctrinam Hippocratis & Galeni est inuoluntaria neruorum & musculorum versus principium contractio: ex quo partis affectæ natura elucescit, quæ in neruosa & fibrosa musculorum substantia constituitur, in qua potissimùm coniuncta cōuulsionis causa suscipitur. Quod si Galenus comparatione chordarum neruos conuelli dicat, id non propriè enuntiatur; sed quod ita affectis necessariò musculus cōtrahatur, communicatâ & propagatâ affectione neruoso musculorū corpori; non enim aliter conuelleretur musculus: quoniam immotis neruis musculi mouentur, vt probat Galenus multis in locis: quod minutissimi in eos nerui inserantur, quod non cernantur moueri motis musculis in viuentibus. Quod in mortuis manibus nostris tracti, non sic percipiantur ad se musculos attrahere, quomodo hos tractos ossa videmus attrahere.

2. De sympt. caus. c. 1.

Lib. 1. de loc. aff. cap. 6. & 12. de vsu part. cap. 3.

Causæ generales conuulsionis duæ sunt ex Hippocrate, inanitio scilicet, & repletio: particulares plures, v. g. febres ardentes quæ phrenitidem comitem habent, superpurgatio post assumptum medicamentum deiectorium, aut vomitorium: vel profluuium immoderatum sanguinis; quæ omnia inaniunt & exsiccant neruosas & musculosas partes, earúmque proprium & radicale humidum affatim exhauriunt; vulnus capitis, abscessus, pū-

ctura nerui, refrigeratio ſeu congelatio capitis & partium neruoſarum; idque dupliciter. Primò ſecundùm Galeni placitum, quatenus neruoſa corpora ad difflandum difficilia reddit, illorum repletionem cauſat. Secundò in corpore ſicco, neruorum humiditatem exugit ac exprimit, vnde conuulſio ab inanitione, vt docet Philotheus. Conuulſio à repletione cum paralyſi in cauſa conuenit, quòd vtraque fiat ob nimiam crudi & glutinoſi humoris abundantiam, qua obſtructionem facit: ſed hoc intereſt, quod materia ipſa in paralyſi, ingreſſu plurimo & currente imbuit villorum ſubſtantiam. In conuulſione verò villos non ingreditur, ſed in aditu & veſtibulo ſubſiſtit, ſicut in epilepſia, vt diſtinguit doctiſſimus Duretus ex mente Auicennæ. Præterea hyparxis paralyſeos conſiſtit in ἀδυναμία collectionis partium reſolutarum, propter ipſarum laxitatem & mollitudinem, aut impedimentum ſpiritus animalis, qui aditu ad illas prohibetur. Hyparxis verò conuulſionis eſt in contumacia explicationis ſeu dilatationis, quia partes breuiores factæ, ob acceſſionem latitudinis & profunditatis, nobis inuitis contrahuntur.

Comm. in Aph. 13. sect. 6.

Comm. Aph. 17. lib. 5.

In annot. ad praxim Hollerij.

Quantum ad conuulſionis differētias, diſtinguitur primò in idiopathicam, & ſympathicam: prior aduenit, cùm materia, vel qualitas in muſculo & neruoſo corpore ineſt: poſterior cùm pars corporis aliqua neruoſum genus in conſenſum abripit, & omnium maximè os vētriculi ab acri humore, vt in illo iuuene de quo Galenus loquitur, qui euomebat æruginem. Ab vehementi etiam pharmaco, vt elleboro albo, atque vermibus, vel ab vtero, vel vlcere virulento, aut tandem auræ venenatæ ex aliqua parte afflatu, neruoſæ partis maligno morſu, aut ictu. Quæ omnes conuulſiones non diu perdurant, quia in partibus neruoſis fixam non habent materiam: tum quia pars vbi fomes eſt, non ſemper humores, aut ſimilia mittit ad genus neruoſum: tum quod natura ab hiſce irritata vel ſubitò ſe erigit, vel violentiâ cauſæ mox ſuccumbit.

Comm. Aph. 1. lib. 5.

Reſpectu partium contractarum diuiditur in vniuerſalem & particularem. Si totum corpus ſubitò conuellitur, vt in epilepſia, neruorum principium patitur. Si caput antrorſum curuatur, & mentum annectitur pectori, duo muſculi anteriores caput flectentes laborant, eſtque ἐμπροσθότονος. Si in dorſum & ſcapulas contorquetur, ex duodecim muſculis caput extendentibus in poſteriore parte colli, vel aliqui, vel omnes afficiuntur, diciturque ὀπισθότονος. Quando ceruix recta & immobilis manet, vtrique muſculi & anteriores, & poſteriores, τέτανον efficiunt. Si labia, pinnæ narium, & pars contracta ſanam ad ſe adducit, in vitio eſt latus muſculus, ex quo muſculi narium, & labiorum fiunt, vel nerui à primis vertebris & ramis tertiæ coniugationis, Græcis σπασμὸς κυνικὸς; oris diſtortio Celſo nominatur.

Signa quæ præſentem conuulſionem demonſtrant, ſenſibus patent: neruis muſculiſque versùs ſuam originem præter voluntatem contractis, membrum adeò rigidum & diſtentum apparet, vt ab eo ſitu dimoueri non poſſit, etiamſi eò vi inflectere coneris, quò, cùm ſecundùm naturam habebat, pro arbitrio dirigebatur: plerumque dolor concurrit.

currit vehementissimus, qui vires ægri eneruat non sine atroci iactatione. Cùm à repletione fit, subitò adoritur: sæpè solemnis euacuationis suppressio præcedit: corpus succi plenum est, nec aliquâ sensibili vacuatione exhaustum. Conuulsio ab exhausto nunquam accidit, nisi signum aliquod perniciosum accesserit: qualia in phrenitide apparent planè funesta, cum dentium stridore, oculorum fixo intuitu, vago motu, oris peruersione, singultu, manuum subsaltu. Non fit ab ineunte statim morbo. An verò pituita vel melancholia in causa sint, cuiusque succi symbola id narrabunt: vt quæ à causa flatulenta prodit, ex facili dissipatione cognoscitur.

Conuulsio symptoma grauissimum est, magnitudine causæ, doloris acerbitate & συντονίᾳ, intensione vires frangente, impedimento earum partium, quarum officio vita carere nequit, vt respirationis, & difficultate curandi.

Acutus est morbus, & qui breui interimit, idque non ratione materiæ quæ crassa est, sed ratione vehementis doloris, qui maximè vires
„ prosternit. Qui tetano corripiun-
„ tur, in quatuor dies pereunt: Si verò has effugerint, incolumes euadunt 6. Aph. 5. sect. Intelligitur tetanus à repletione natus, qui intra paucos dies ad mortem, vel ad salutem terminatur, aut crisi, vel febre superueniente, expurgatâ materiâ, aut dissolutâ. Febrem in spasmum venientem salutarem ait Hippocrates: spasmum autem in febrem perniciosum. Conuulsio ergo à repletione, febre superueniente curatur, vt scribitur Aphoris. 57. lib. 4. idcirco conuulsio superueniente quartanâ curatur, ex Aphor. 70. lib. 5. quod de conuulsione à repletione intelligendum est: cuius pepasmum quartana febris, seu calore, excretionem verò, horrore seu rigore affert. Idem quoque facit quælibet alia febris, si modò analogos fuerit: alioqui enim ægrum damnis auget, & ad exitium præcipitat, vt contigit Numeni filio, qui apoplecticus factus, leui superueniente febre interiit: quia huiusmodi febris materiam quidem morbificam ciet, sed citatam repentè non excludit. Febris ergo superueniens acuta esse debet, quæ fortiter oppugnando, vtramque expugnet conuulsionis causam, glutinosum humorem, & frigus. Conuulsio autem febri superueniens omnino funesta, ab exhausto principiorum, & partium solidarum. Attamen Hippocrates in Coacis inquit: *Conuulsio adfert febris vacationem, quæ aut eodem febris die, aut postridie incidit.* Non enim hæc febris naturam sequitur, vnde viuacitas partium & principiorum absumitur, atque quodammodo liquitur: sed potiùs fortem naturæ contentionem, quæ multum oppressa causam oppressionis, adiuta calore febrili, exprimit è venis in musculosum genus: eaque exclusio fit intus foras, & commodo ægri: non ad neruos lumbares, aut ceruicales, vnde delirium. Dicit *eodem die*: vt nulla sit suspicio siccitatis. Adfert finem sudore, hæmorragiâ, vel copiosâ sanguinis detractione; nam, vt alibi ait, hæmorrhagia vi suppressa, conuulsionem facit; phlebotomia exoluit. In Coacis prænot. cap. de hæmorrhagia. Conuulsio febri superueniens rarò puerulis funesta, ex Hippocr. qui verò infra septennium agunt, à conuulsione non tentantur in febre: sin autem,

163. coac. 1. libro Dureti.

Sent. 19 Coacar. lib. 2.

autem, desperati. In hac prognosi comparatio fit efficientis causæ & suscipientis, vnde conuulsio accidit in morbis acutis: atque maiori periculo locus esse docetur ex calamitosa vi efficientis, quàm ex naturali præparatione suscipientis. In morbis minus periclitantur, quorum naturæ sunt illi congeneres. Conuulsio in pueris sequitur potiùs naturam suscipientis causæ (id est, puerilem neruorum infirmitatem) quàm efficientis, id est febris ipsius, & malignæ cacochymiæ.

Conuulsionis curatio diuersa pro causæ multiplicitate: Si à repletione prodeat, disquirendum an à sanguine sit, quod rarò accidit, cuius confluxus circa musculosas partes inhibendus est, phlebotomiâ iteratâ, ne corpus perfrigeretur. Si verò à bile vel melancholia, quod rarissimè fit, illorum præparatione & euacuatione opus erit. At si à pituita conuulsio fit, vt sæpè fieri solet, imperatur victus calefaciens & siccans, in quo à vino prorsus abstineat, cuius loco vtatur hydromelite: præparetur postmodum humor pituitosus, & purgetur remediis c. de Epilepsia descriptis: cùm materia turget, & motus conuulsiui vigent, tunc soluenda plenitudo ante concoctionem cum pilulis, aut potionibus. & si adsint scopi mittendi sanguinis, vena secanda, parcâ manu. Deinde veniendum ad errhina, masticatoria: roboratis interim cerebro & neruis per opiatas, & condita ex conseruis cephalicis, & pulueribus priùs dictis. Quæ dum fiunt, humor neruosis musculorum partibus infixus emolliendus, & digerendus litu ex oleo liliorum, chamæmelino, irino, lumbricorum, anethino, rutaceo, laurino, vulpino, de thymo, castoreo, costo, saluiato, rorismarini, ac iuniperi. His adduntur adipes emollientes & digerentes gallinæ, anatis, cati, anseris, vrsi; & pulueres nernales ireos, cyperi, piperis, castorei, saluiæ, &c. His adde aquam vitæ: tum etiam vnguenta de althea, Agrippæ, & Aragonis dissoluta in dictis oleis. Balsamum quoddam Ranchinus laudat, pro inunctione nucæ, & ceruicis, apposito cottone suffumigato. Gattinaria ex Nicol. Florentino describit modum extrahendi pinguedinem anseris infarcti, huic morbo valdè proficuam: Hollerius commendat vulpis infarctæ pinguedinem. *Tract. de morbis subitaneis c.5.*

Parti conuulsæ admouentur hepata & pulmones, è viuis animalibus extracti, pulli etiam columbini per dorsum secti. Pars affecta in bouem, aut veruecem recèns cæsum immittitur, & ibi tamdiu continetur, quamdiu animal calet. Sacculus etiam torrefacto sale refertus mirabiliter neruos siccat, si calidus parti affectæ applicetur, & origini neruorum.

Laudantur balneæ factæ ex sulphure, sale communi, & alumine in aqua coctis, aut in quibus radices, herbæ, & semina cephalica incoxerint. Prosunt & vaporaria, seu striphæ siccæ ex decocto saluiæ, origani, maioranæ, & similibus, bullitis in aqua & vino albo. Ab exitu balnei, aut vaporarij partes conuulsæ, necnon origo neruorum illinuntur supradictis oleis, & pinguedine, dein lanâ conteguntur.

Quòd si dolores vrgeant, balneum emolliens præscribendum ex decocto vtriusque maluæ, violariæ, acanthi, flor. liliorum, cum multo oleo affuso calidè erunt administranda: tum etiam inunctio totius corporis

ex oleo rosaceo, liliorum, & lumbricorum.

Si febris ardens sit conuulsionis causa, non expectanda est immodica exsiccatio incurabilis, sed eâ ineunte prohibenda inanitio alimentis, ac medicamentis: iniiciendi sunt clysteres frigidi humidique, multo oleo violato, medullâ cassiæ, aut butyro recenti liquato, mixti: vel ex iusculo præpingui plantis frigidis alterato. Fotus & embrocationes capitis, ceruicis, & totius spinæ valdè conducunt, vt ex hydrelæo: vel ex decoctis idoneis, herbarum quatuor emollientium, rad. altheæ, liliorum, semin. lini & fœnugræci, flor. chamemeli, ac sambuci: vel ex iure intestinorum veruecis, vel expositis catellis, per mediam spinam dissectis: vel fiat litus spinæ dorsalis cum oleo viol. & amygdalarum dulc. axungia gallinæ, vel porci.

Tract. de morbis subitaneis c. 5.

Quod si inanitionis & siccitatis alia sit causa; verbi gr. sanguinis, vel aliorum humorum immoderata profusio citra febrem; tunc causa præcipua oppugnanda, & pars affecta roboranda: & hæmorrhagia vel superpurgatio diligenter cohibenda, ne scilicet extrema siccitas inducatur: deinde humidum naturale consumptum reparandum, viréſque reficiendæ non solùm alimentis, vt iusculis, panatellis, gelatinis, & cæteris instaurantibus; sed etiam medicamentis, vt clysteribus ex iusculo optimo, & oleo violato compositis; tum etiam opiatis ex conseruis violar. bugloss. confectione alkermes, & sacchato rosf. conflatis. Ad humectandum & emolliendum valent balnea ex hydrelæo, vel ex lacte cum aqua simplici, in qua bullierint radices bismaluæ, liliorum, semina lini, folia maluæ, violar. parietariæ, bismaluæ. In iis maneant citra sudorum perfusionem. A balneo illinantur oleis malacticis, oleo comm. violar. amygdal. dulc. vnguent. de althea, resumptiuo.

Medicamentum purgans assumptum conuulsionem producit, vel quia non purgat, sed commouet tantùm & fundit humores, vnde repletio neruorum; túncque clysteribus acrioribus vtendum, & nouum medicamentum propinandum: vel quia particeps est venenosæ qualitatis: túncque theriaca exhibenda, partéſque conuulsæ inungendæ, & cerebrum roborandum: vel quia nimis purgat; túncque reficiendum corpus & humectandum; fluxio sistenda cum theriacâ propinatâ, & dissolutâ etiam in decocto clysteris, partéſque neruosæ inungendæ & roborandæ.

Si verò conuulsio pendeat à nerui punctura, si foramen vulneris sit angustius, dilatandum est, vt virulenta sanies expiret, & in aperto vulnere balsamum aliquod imponendum est, quod à putredine neruum vendicat, huius tamen vsu vulnus non est occludendum, sed imposito emplastro è gilbano ichor expurgandus. Qui verò puncto neruo dolor excitatur, cataplasmate ex mica panis cum lacte & oleo rosac. apposito sedatur: vel aquâ therebinthinæ cum oleo rosato. Ad extremum cùm cætera nihil proficiunt, neruum vel tendonem abscindere oportet in parte suprà puncturam, si gangrenæ periculum immineat, ob inflammationem, & æruginosæ materiæ venenatæ suppressionem. Satius enim est partis motum perire, quàm hominem mori.

Si à morsu animalis extrahendum venenum admotâ vulneri cu-

curbitulâ cum ſcarificatu: vel appoſito galli podice; vel theriacâ, aut ſcabioſâ cum vitello oui contuſâ. Intrò etiam ſumuntur theriaca, mithridatium, aqua theriacalis, ſcabioſæ, cardui bened. & ſimilia quæ venena oppugnant. Tum demum partes conuulſæ inungendæ, vt nuca, & ſpina dorſi, cum oleis humectantibus, & roborantibus iam dictis.

Si à meningum punctura conuulſio dependeat, cranium trepano aperiendum, vt materia tranſpiret, & reſoluatur, & epipaſticis etiam, vt vnguento attractiuo trahenda eſt, ſublatâ priùs plenitudine.

Conuulſio à refrigeratione, & congelatione totius corporis, calefactionem indicat, quæ non ſimul & cõfertim, ſed ſenſim eſt cõparãda: imprimis fricandum corpus ante ignem, & inungendum cum lana ſuccida oleo liliorum imbuta, vel vnguento de althea, Agrippæ, & Aragonis. Deinde balnea emollientia ex decocto vtriuſque maluæ, violariæ, acanthi, florum liliorum cum multo oleo affuſo calidè erunt adminiſtranda, & cerebrum roborandum applicatione pulli columbini.

Si autem conuulſio ſympathica ſit, & conſenſu vteri, vel ventriculi prodeat, vel etiam à vermibus, tunc confugiendum ad remedia, quæ partes illas à prauis humoribus, aut vermibus liberant; deinde ad alia quæ roborant, denique ad ea quæ neruoſas partes conuulſas leniunt.

CAPVT IV.

De Apoplexiæ ideâ, ſede affectâ, cauſis, ſignis, & curatione.

Subitaneam animalis totius functionis priuationem, apoplexiam Græci nuncupant: morbum attonitum Latini, hoc eſt, mentis & corporis ſtuporem: alij ſyderationem appellant, cùm apoplectici quaſi fulmine tacti concidant, quod veteres ſydus eſſe putabant, Themiſon paralyſim cum mentis impedimento apoplexiam vocabat. Dicitur ergo omnimoda ſenſus & motus priuatio, vnâ cum principum functionum abolitione, & maximâ reſpirandi difficultate. In hoc affectu clauſis oculis trunci inſtar ægri concidentes decumbunt, ſine ſenſu, ſine motu, ſine mente: ſolâ reſpiratione à mortuis differentes, quæ admodum difficilis mox euadit: hoc vno maximè diſtat à caro & catalepſi, in quibus adeſt reſpirandi libertas.

Cauſæ apoplexiæ à Paulo Ægineta, & à Galeno tribuuntur humori craſſo & pituitoſo ventriculos cerebri confertim opplente, vnde influxus ſpirituum animalium in neruos prohibetur: quod itidem à ſucco melancholico poſſe fieri fatetur Galenus: *Quoniam communis eſt vtriſque craſſitudo.* *Paul. lib. 3. c. 18. Gal ſect. 6 aphor. 56. 3. de locis aff. cap. 7. & 2. de ſympt. cauſ. c. vlt.*

Recentiores verò Medici locum in quo hic humor craſſus colligitur non admittunt, niſi oppreſſio ad baſim cerebri contingat, vnde omnes nerui exoriuntur; hinc fit vt apoplectici fuerint poſt mortem viſi nullum humorem habuiſſe in ventriculis cerebri. Hinc notandum eſt *Fernel. Sennertus*

est apoplexiam suam sedem in substantia cerebri collocasse; vnde distat à caro & in catalepsi posterior, at in apoplexia catalepsi: quod in caro anterior cerebri pars, vtraque patitur. Adhæc in caro & morbo comitiali magis ventres, cerebri corpus minùs afficitur; at apoplexia cùm ventres & cerebri corpus occupet, cerebri tamen corpus magis infestat; ex Galeno.

4. de locis aff. cap. 2. in tetrade capitis affect. cap. 11.

Quercetanus prædictos authores dogmaticos reprehendit, nec putat rationi conuenire; ab humore crasso & ad motum inepto tam subitam inuasionem accidere: sed fallitur, cùm illam potiùs arguat; nam ad subitò obstruendum humores crassi aptissimi sunt, nec qualemcumque succorum crassitiem imaginari decet, quæ nec calore fundi, nec frigore exprimi possit; sed eatenùs crassa sit & redundans, vt inneruorum origine, & viis, per quas spiritus animales toti corpori communicantur, obstructionem & angustiam causet.

Paul. lib. 1. c. 18. Gal. sect. 6 aphor. 56.

Secundò ait Quercetanus contra priorem sententiam, cùm materia illa crassa nonnisi sensim in cerebro colligi queat, intercà dum congeritur aliquos prænuncios induceret, nempe soporosum affectum, grauedinem, dolorem, & rotationem capitis in gyrum; qui tamen præcursores testimonia potiùs vaporum spirituosorum exhibent, quàm crassi humoris in cerebro collectionem. Quinimo vt hoc argumentum in Quercetanum cõtorqueamus, quod de capitis grauitate ægri ante omnimodam resolutionem conqueruntur, non semper ex vaporibus ortum habet, sed frequentiùs ex materia illa pituitosa, vt ex copia illius per nares & fauces excretæ in mortuis est obseruatum.

Tertiò insurgit aduersùs antiquorum doctrinam; in hydrocephalo affectis, totum caput & ventriculos cerebri aquâ repleri, qui nec apoplexiam incurrunt, nec vllum præcurrentium symptomatum persentiunt: quæ tamen vinosis, ex fumis, & vaporibus vini hausti in cerebrum elatis contingunt. Adhæc respondemus nemini mirum videri, si hydrocephalo laborantes apoplectici non fuerint, quia cerebellum & cerebri basis vniuersa, neruorúmque origo benè se habuerint: quòd si vini vapores in cella hausti apoplexiam efficiãt; proculdubiò phlegmaticos succos in cerebro redundantes commouendo, & spiritus animales intercipiendo, id procurant.

Igitur non est expungenda veterum opinio, qui excrementa pituitosa apoplexiam producere voluerunt, licet modum & locum quo pituita colligitur non rectè explicarint, dum solos ventriculos cerebri obstruendo, hunc affectum inferre statuerunt; cùm simul tota ipsius substantia oppleatur, eiusque pars postica & infima: vt ex sensus & motus abolitione colligi potest; quod confirmauerat Galenus lib. 4. de loc. aff. cit. cap. 2. Nec prorsus reiicienda est humoris crassi ad apoplexiam gignendam confluxio, vt constat ex ipsa senilis ætatis præparatione ad hunc affectum, & ex huius aduentu in cæli constitutione frigida. Quod si ex solis vaporibus oriretur, leuis, & fugax fieret apoplexia: & qui causas catarrhi suffocantis examinauerit, non facilè hãc veterum doctrinam improbabit.

5. de loc. aff. cap. 2. de symp. caus. cit.

Ea fuit Quercetani opinio, apoplexiæ causam tribuendam nebulosis exhalationibus, in cerebrum

Fernel. ...

euectis, & in eo conclusis, instar nubium in aëre expansarum, quæ quidem si aquâ & humore referæ, non tãtùm frigido & humido simpliciter; sed qualitate salinâ siue mercuriali, aut sulphureâ illicò conglacientur, vt ex spiritu vitriolato & glaciali potest contingere; eiusmodi nascitur momento affectus ex illa vaporum congelatione, quam aciditas vitriolata coarctando patit; cuius rei exemplum sumit à fumis & carbonibus, ob quos nonnulli subitò extinguuntur, & apoplectici concidunt: quod Auicennę authoritate roborat; qui dum de Apoplexia loquitur, inquit: *Hæc quidem oppilatio fit, quum id ad cerebrum peruenit, quod dolorem facit aut impedit, aut mouetur motu contractionis: aut qualitas perueniens ad ipsum stypticum faciens*, vbi causam apoplexiæ materiæ cuidam stypticæ, aut constringentis qualitatis adscribit. Vnde concludit quod sicut dentes vitriolatis humoribus acidis irritari, contrahi, & stupefieri solent, vt inde αἱμωδία nascatur, ita eiusmodi humores suâ acerbitate & stypticitate, non autem simplici frigiditate & crassitie stupores & membrorum indormitationes, & apoplexias generant. Adhæc concedimus aliquando vapores è partibus inferioribus ad cerebrum deuectos, & in aquas cõcretos esse causam antecedentem catarrhi, apoplexiæ, & aliorum cerebri affectuũ: sed hoc non obstat, quòd aliàs excrementa in cerebro genita, & ad basim effusa, ac principium neruorum comprimentia, apoplexiam generare possint. Etsi Hippocr. à crasso flatu quandoque induci apoplexiam autumat: verùm hoc de leui & fugaci quadam apoplexia intelligendum, quæ ipsius initium deducit, sed quæ à decumbente mox humore complementum nanciscatur: an verò coagulatio vaporum in cerebro adueniat ex spiritu illo vitriolato, non idem forsan contingit ac in præparationibus chymicis, vbi coagulationes aliquando & præcipitationes variæ, inter suas elaborationes perficiũtur: potissimum cùm in homine spiritus illi minerales non reperiantur; nec etiam in plantis eo modo & viribus iis, quas in illis operari & vigere comperimus, vt ostendimus amplè sect. 2. pathologicâ tractatus nostri de veritate Hippocratic. medic. aduersus Hermeticos.

Lib. de flatib.

Scheunemanus referente Sennerto ex Mercurio cremoso seu destillato apoplexiam deducit, & ex Paracelso fulguris exemplo declarat: Sicut fulmen sacculis illæsis nummos conflat, aut vaginâ intactâ ferrum liquat, integ à cute ossa frãgit: sic mercurium destillatum cerebrum colliquare instar ceræ: vnde apoplexiæ symptomata prodeunt: sed illa syderatio nusquam in cadaueribus sectis fuit obseruata; nec vllus in homine mercurius destillatus conceditur. Addunt recentiores ad apoplexiæ causam non solùm pituitæ quantitatem, sed etiam malignam qualitatem, vt in febribus pestilentibus, vel vim narcoticam vt in caro & profundo somno, ac spirituum suffocatione, ac corporis torpore concurrere & hanc vim narcoticam & stupefacientem non solùm frigidos, sed calidos potiùs humores concomitari: & certè vt medicamenta venenosa admittimus; sic etiam humores malignos eâ qualitate præditos comperiri concedimus.

Cap. 2. de consensu & dissensu chymicor. cum Arist. & Gal. cap. 16.

Alius

Comm. in lib. 2. Aph. 42. Alius obſeruatur affectus, διάθεσις φλεγμονῶδη, de qua loquitur Galenus, quum ſcilicet arteriæ & vaſa cerebri adeò ſanguine replentur, vt eius ſubſtantiâ compreſsâ, meatibúſque & poris coanguſtatis, nec ſpiritus vitales è corde ad cerebrũ tendere, nec animales in neruos influere queant: quod ſecundùm aliquos accidit etiam ex venarum iugularium & carotidum interceptione ob copiam ſanguinis, vt cẽſuit Hippocr. aphonias inde ſubſequi, quo nomine Galeno interprete, epilepſias, apoplexias, & ſyncopas cardiacas ſignificauit: hoc tamen ſymptoma non protinùs contingit ex hac cauſa, vt videre eſt apud Galen. qui non negat perſeuerante arteriarum carotidum interceptione, caron & apoplexiam inuehi, emoriente cerebri calore, deficientéque vitali ſpiritu, animalis materiâ. Aſſyrij venas illas comprehendunt iis quos caſtrare volunt, ne ſentiant, vt refert Alexander Benedictus.

4. De vict. acut. text. 23.

Lib. 2. de decr. Hippoc. & Plat. c. 9.

Lib. 1. praxeos cap. 34. Nec ſolus ſanguis intra venas. ſed etiam ipſius effuſio in neruorũ principium, per venæ apertionem aut rupturam apoplexiam generat; niſi per nares, aures, aliaſque vias, vt interdum fit, erumpat.

Apoplexia oritur quoq; ex contuſione, & cranij fracturâ, vnde cõpreſſio cerebri aduenit, vel ſpirituum perturbatio, ac eorumdem diſtractio, & confuſio, vel vaſorum ruptio: proindéque motus & ſenſus priuatio.

Lib. 3. acut. c. 5. Aduentantis apoplexiæ ſigna sũt ex Cælio Aureliano, nimia in ſomnum propenſio, in motu pigrities ac torpor, ſenſuum ſtupor, capitis aceruatus & acutus dolor, eiuſdem grauedo, ſplendores oculis obuerſantur, aut oculorum obtenebratio, aurium tinnitus, vultus mœſtitudo, membrorum palpitatio, labiorum tremor, ſermonis interceptio, obliuio vel mox dictorum, dentium ſtridores inter dormiendum inſoliti, vultus plenitudo, venarum iugularium eleuatio, extremarum partium frigiditas præter rationẽ, egeſtionum difficultas; mingúntque velut æruginoſa, & nigra pauca, & farinæ craſſæ ſimilem ſubſidentiam habentia lotia; quòd ſi hæc cum magna vertigine coniungantur, rata magis erit coniectura: adde vehementem & importunum incubonem. Pleraque ex his ſymptomatis, non tantùm apoplexiam, ſed etiam epilepſiam, furorem, atque alios grauiſſimos cerebri affectus præſagiunt.

Magnus eſt hic morbus partis obſeſſæ præſtantiâ, cauſæ contumaciâ, & ſymptomatum magnitudine, vt potus per nares reſilitione, tranſgluttiendi impotentiâ, & reſpirandi difficultate: ex qua Galen. quatuor apoplexiæ gradus vehementiâ differentes metitur: Primus eſt maximus & acutiſſimus, quo prohibetur omnis reſpirationis vſus, ſufficiente per poros cutis perſpiratione. Secundus gradus fortitudinis, in quo reſpiratio non ceſſat, ſed magna cum violentia & contentione trahitur. Tertius gradus eſt, in quo neque adeò violenta eſt reſpiratio; eſt tamen inæqualis & inordinata. Quartus eſt, in quo æger in aſpiratione & expiratione æquabilem ſeruat ordinem. Tres primas differentias nomine fortis apoplexiæ comprehendit Hippocr. & immedicabiles pronuntiat; vltimam quaſi debilem non facilè curabilem.

Lib. 3. loc. affect. cap. 7.

Lib. 2. Aph. 42.

Rhazes ſigna graduum apople-

9. ad Almanzor. xiæ proponit, prior quidem omniũ fortissimus est absque respiratione, stertore & spumâ: quia natura debilissima nullam moliens excretionẽ repentè suffocata, stertendi & spumę generandæ spatium non habet: secundus & tertius est cum manifesta respiratione, quæ stertorem & spumam sibi comitem habet, & proinde lethales, maximè vbi difficultatem respirationis sudor, frigus partium, & torpor ingens excipit, ex Hippocr. Quartus est cum manifesta & æquali respiratione, sine stertore & spuma, qui interdum curationem recipit. Verum apoplecticus etiamsi motu & rationis imperio priuetur, non tamen respiratio prorsus adimitur, sed pusilla remanet, adeóque sopita & extinctioni proxima, vt nonnisi ab vrgente vitæ necessitate excitetur à residuis spiritibus ad hoc munus peragendum, penitùs desineret: cùm ex illis actionibus voluntariis existat, quę tamen naturæ vsui inseruiunt.

Coaca 488.

Apoplexia in alium transit affectum, nempe in paraplegiam seu paralysim, per decubitum humoris in neruos, vel in insaniam. Curatur apoplexia hæmorrhoidum fluxu, & febre mediocri non diu trahente, contra quàm Numeni filio contigit apud Hippocr.

Lib. 1. prædict. sent. 82. & in Coacis Foësij sect. 480.

Quoad therapeiam, Quæritur priùs an agendum, & præsertim in tribus primis gradibus fortis apoplexiæ insanabilis ex Hippocr. Verùm in medicina, quæ coniecturalis ars est, nihil perpetuum, quod quãdoque non deficiat, vt constat de iis qui pro mortuis habebantur, in lucem postea redeuntibus, quorum historias retulit Forestus: quare aliquid moliendum in forti apoplexia, præmonitis de periculo adstantibus. Si apparuerint signa imminentis, victus ratio debitè præscribenda, & cætera præsidia, quibus morbus præsens curatur exequenda, sed mitiora: tum sequens puluis commendatur ad apoplexiæ præseruationem: ♃. *rad. pæoniæ, specierum diarrhod. abbat. an.* ℥. ß. *succini albi præpar.* ʒ. ij. *coralli rub. fragmentor. hyacinthi, granator. rubini præpar. an.* ℈. j. *misce, fiat puluis*, cuius sumitur ʒ. j. singulis mensibus die sequente nouam lunam, cum aqua vitæ.

Lib. 10. obseru. scholia in obseru. 79.

Cùm verò iam hominem percusserit, subitò curatio tentanda: nam ex Arculano si post duodecim horas tardetur, vt plurimùm curatio irrita & inanis erit. Quamobrem non sunt audiendi qui authoritate Haly Abbatis ad septuaginta duas horas à medicamentis & præsidiis in apoplexia abstinere volũt, quam quæstionem vt inutilem cum Matthæo de Gradibus qui eandem ad longum tractauit, omninò relinquendam censemus. Cap. 5. in 9. Rhazis. 5. Pract. cap. de Apopl.

Si pituita aut melancholicus succus apoplexiam generauerit, ægrum in loco lucido & tepido collocato, ac corpus vehementiùs concutito: tum multa frictio conuenit, vnctio ex oleo calente, & maximè earum partium quæ magis refrixerint: plãtarum pedis pruritus: aquæ vitæ cum nuce moschata in nares iniectio, sinapi vulgare illitum, vellicatio barbæ & pubis, sal ori iniectus: quæ præsidia ad apoplecticos excitandos per vices sunt repetenda. Clyster statim iniiciendus: ♃. *centauri minor. saluiæ, betonicæ, mercurialis, betæ, iuæ arthretic. an. m.* j *flor. chamomillæ, stœchad. vtriusque an. p.* j. *semin. anis. fœnic. carui an.* ʒ. j. *agarici* ʒ. ij. *colocinthid. in panno ligat.* ʒ. iij. *bulliant in aqua ad* ℔. j. ß. *colat.*

dissolue

dissolue hiera picr. benedict. laxat. an. ʒ.vj *mellis anthos.* ℥. ij. *salis gemmæ* ʒ.j. *olei rutacei* ℥.j.ß. *fiat clyster*; qui si non reiiciatur, indatur tale suppositorium ex puluere hyeræ picræ, elleboro albo, sale gemmę, trochisc. alhandal. &c. Quòd si aluus non respondeat, dorso, lumbis, sumini, cucurbitulæ sunt applicandæ citra scarificationem, vt scilicet eo modo materia è capite in aluum rapiatur. Aëtius lumborum ac ventris solâ frictione vtitur.

In hac apoplexiæ specie phlebotomia confert, si vnà cum sanguine humor pituitosus aut melancholicus prædominetur, veluti si tumidæ distentæque sint venæ. Nam missio sanguinis licèt vacuãdo trahat, simul tamen refrigerat: quapropter iudiciosè coniectari decet, iuxta ægri vires, corporis habitum, ætatem, anni tempus, & horam remissionis, num plus iuuare possit retractio, aut plus obesse refrig. ratio: quare Celsus inquit, si omnia membra vehementer resoluta sunt, sanguinis detractio vel occidit, vel liberat. Si nulla sit indicatio sanguinem mittendi, purgatio est instituenda, vel præstitâ phlebotomiâ, si plethora non fuerit satis imminuta, catharsis conferet interpositâ temporis intercapedine; alioquin natura solemnes illas euacuationes ferre non poteſt: hoc spatium & interuallum, duodecim horis interpositis limitari potest. Pereda eos reprehendit, qui apoplecticos statim à principio purgant: nam si æger est in accessione, non poterit purgans medicamentum deglutire. Si post accessionem, non est tunc apoplexia, cùm in paralysim desierit. Quòd si dicas, inquit, dato cathartico in remissione morbi pituitam euacuari, sed ille humor aut est in venis, aut in ventriculis cerebri: si in venis est, iam non curas affectum vrgentem; si in cerebri ventriculis, cùm extra venas sit, per proprios capitis meatus vacuari debet. Ad hæc respondemus vi medicamenti purgantis attrahi quod in venis est; quo attracto obstructio cerebri facilè dissoluitur, aversâ aliòrsum materiâ: neque expectanda materię coctio, quippe cùm nefas sit purgationem protrahere, principe membro ab ingenti colluuie perniciosè conflictato: quare vtilius est illam materiam crudam detrahere, quàm relinquere. Si deglutitio sit impedita ob gulæ paralysim, cucurbitulæ sine scarificatu inter scapulas admouentur, vtpote quæ succos extrorsum reuellant: oportebit liquorem infundere cum siphone supra asperam arteriam, vt in œsophagum demittatur. Ad purgandum dissoluuntur *pilulæ de euphorbio, fœtidæ maiores ad* ʒ. j. *singularum addito* ℈.ß. *trochisc. alhandal, cum aqua thymi, saluiæ.* In calidioribus naturis exhibetur ℥.j. *diaphœnici, aut elect. diacarthami, confect. Hamec pari quantitate seorsim dissolutis cum syrupo rosʃ. sol. & aquâ betonicæ.*

Quidam ad valentiora audent, vt antimonium præparatũ, quia paucâ quantitate multum operatur. Si exhibito pharmaco æger nauseabundus sit, id ne prohibeto, præsertim si vnà vẽtriculi adsit repletio, quod præstat Aëtius cum penna oleo Irino imbutâ, aut liliaceo in fauces demisſâ. Potest etiam purgatio fieri per externa vmbilico applicata, quale est vnguentum de arthanita, item succus cucumeris agrestis, sambuci, fel tauri, elleborus albus, colocynthis, euphorbium, sal gemmæ,

Lib. 3. cap. 27.

Scholio in cap. de apoplex.

gemmæ, miſta cum melle, fiat vnguentum.

Interim vtendum eſt remediis quæ apoplecticos excitant; deinde iis quæ materiam è capite reuellũt, & deriuant: primo ſcopo permulta ſatisfaciunt, quę ſimul proſunt, cùm venenoſa & narcotica qualitas humoribus inhæret: ad id oleum vitrioli commendat Hollerius, quod ſi deeſt, *diſſoluantur vitrioli* ʒ.ij. *in* ℥.j. *olei de ſpica*, & nares ac palatium hoc oleo illinantur. Oleum maioranæ, ſaluiæ, lauendulę, thymi, roriſmarinij, ſi ad guttam vnam aut alteram ori infundantur, aut in aqua florum lilij conuallium, tiliæ, meliſſæ, flor. calendulæ diſſoluta, illis qui deglutire poſſunt exhibeantur. ℞. *caſtorei* ʒ.j. *maſtiches*, *ſeminis rutæ*, *ſandali citrin. nucis moſchatæ an.* ℈.ß. *aquæ vitæ & calendulæ an.* ℥. ij. *ponantur in infuſione, dein colentur in manica Hippocr.* fiat potio, infundatur in gulam. Aqua deſtillata è nucibus moſchatis cum aqua vitæ facta, auribus, palato, naribus ebibita, omnium eſt remediorum accommodatiſſimum: quo quidem Hollerius Epiſcopum Senertenſem horas iam viginti iacentē excitauit.

Ea quæ ſtuporem abigunt non ſunt omittenda, ſenſus externos obiectis violentis commouendo, vt internos compellant, & in actum promoueant; ſic auditus excitatur clamoribus, ſtrepitu, & alto ſono in aures commoto: viſus ſplendore ſubitaneo, tum iis quæ lachrymas exprimunt: guſtus amaris & acutis: olfactus fœtidis appoſitis: & præcipuè tactus dolore concitato punctione, & vellicatione.

Pituitam è capite reuellunt & deriuant per deſtinatas expurgationis vias, vt os, nares, & oculos, quæ ſequuntur: Palatum ergo & nares fricamus ſinapi ſemine, euphorbio, pyrethro, caſtoreo, aquâ vitæ irroratis, & oxymelite ſcillitico exceptis, cauendo ne in tracheam arteriam ſubeant, & ægros ſuffocent. In nares inſufflentur pulueres Ellebori, pyrethri, piperis, euphorbij.

Attrahentibus ad cutis ſuperficiem, humores è partu reuellere conabimur, iis quæ calore, vel dolore aut ſolutione continui id faciant: frictiones validę faciendę manibus, vel panno aſpero, à capite per dorſum ad partes infernas deſcendendo, donec incaleſcant, & rubeſcant: manus imbuentur aquâ vitæ, aut oleo rutaceo. Hac de cauſa ligaturæ in extremitatibus faciendæ, quæ interdum ſoluendæ rurſúmque ſtringendæ.

Cucurbitulæ cum multa flamma occipitio primum adhibendæ, mox ceruici, dein ſcapulis & dorſo cum ſcarificatione ſunt applicandæ.

Sartago vel lamina ferrea candens capiti proximè admota, donec pilos incuruet, & caput calefaciat, apoplecticos & graui ſopore detentos excitat, quod experientia, & Auicennæ ac Rhaſis authoritate confirmatur.

Veſicatoria brachiis, collo, & humeris apponantur: dropaces & ſinapiſmi capitis regioni admoueantur. Cauterium actuale in ſutura coronali, vel occipitio adhibeatur.

Capiti raſo hoc admoueatur vnguentum: ℞. *olei rutacei*, *laurini*, *an.* ℥.j.ß. *pulueris ſinapis*, *euphorbij*, *& ſagapeni an.* ʒ.j. *aceti & aquæ vitæ an. cochlear* j. *Ceræ q. ſ. miſce: fiat vnguentum.* Emplaſtrum attrahens initio ſpinæ dorſalis apoplecticorum admouendum, vt materia deorſum feratur: ℞. *gummi opoponacis*, *ſagapeni*

sagapeni an.℥.j. dissoluantur in aqua vitæ, adde semin. sinapis ʒ.ij, Castorei, euphorbij an.ʒ.j. terebinthinæ q.s. fiat emplastrum, applicetur nuchæ: & postea, tota spinalis medulla inũgatur oleo rutaceo calefacto deorsum confricando.

Postquam excitati sunt & liberè respirant, purgandi sunt & præparandi, tum errhina vsurpanda, & cerebrum roborantia in forma opiatę, aut tabellarum cephalicarum.

Si apoplexia pendeat à copia sanguinis, aut ab affectione simili inflammationi cerebri, statim sanguis est detrahendus, vt docet Hippocr. ἀφωνίαν id est apoplexiam, sine febre venæ sectio soluit. Ante venæ sectionem oportet extremas partes corporis fricare, & calefacere: venámque brachij dextri internam secare decet, eâque quantitate demere, quâ ętas habitúsque exposcit; inspiciatúrque pulsus respiratio, & faciei color: & si nihil mali consequitur, etiam repetenda est detractio: deinde vena frontis secanda: aut cucurbitulæ scapulis & dorso scarificandæ. Si ob ægri periculum & debilitatem venam secare non liceat, scarificationibus & hirudinibus hanc operationem supplere oportebit: & si aliquis humor cum sanguine redundet, cathartico purgandus, & reliqua quæ à sopore excitant, iam dicta præparanda.

Sect 2. l.5. epid.





DEO OPT. MAX.

QVÆSTIO MEDICA PRACTICA

VTRVM MVLIERI AB ABORSV, VEL partu, acuto morbo, vt pote Febre continua primaria affectæ, liceat venam malleoli secare, an potius ex brachio sanguinem ducere.

Opera D. GABRIELIS FONTANI, *Iacobi filij, Medicinæ Doctoris.*



PINIONVM diuersitas hominum mentes in varias partes distorquere solet; periti tamen artificis munus est, vniuscuiusque sensum examinare, rationisque trutina ponderare, suumque assensũ maturocũ iudicio, meliori& consultiori parti præbere, & nusquam ab eo deflectere: quod si in omnibus artibus necessarium esse videatur, hoc potissimum in Medicina Practica coniecturis sed firmioribus suffulta præstandum esse censeo. Quod vt in præsenti quæstione omnium forsan ad salutem mulierum vtilissima insequamur, videndum priùs est quænam fuerit negans opinio, & quibus nitatur argumentis: deinde secunda sententia affirmans proponetur, quæ nobis semper, & veritati, & humanę saluti conformis visa est. Et quia hæc quæstio multas sub se difficultates continet, priùs illæ sunt explicandæ distinctis annotationibus; quibus positis conclusio seu assertio nostra propalabitur, deinde Hippocr. & Galen. dictis, & rationibus confirmabitur: & quia positio in altero casu, & tempore posset dubitandi ansam præbere, circa hoc etiam digrediemur, & doctorum sententias proponemus. Et postremò primæ opinionis argumentis præpositis respondebimus.

Circa quæstionem propositam, vtrum scilicet in Febre acuta puerperarum, vel aborsum passarum sanguis sit mittendus. Ex venis malleoli, aut brachij. Prima opinio est

recentiorum qui venæ malleoli sectionem reiiciunt,quam partem tenet Leonardus lib.de curat.per sanguinis miss. cap. 6. vbi asserit, in muliere puerpera febre affecta, sanguinem esse mittendum ex basilica brachij fluentibus purgationibus: quæ opinio exactè examinanda venit, cùm hisce temporibus ad praxim deducatur, sed periculosè & contra antiquorum præscripta.

Prima & firmissima omnium huiusce opinionis ratio est eruta ex simili casu:nam par esse videtur ratio lochiorum post puerperium imminutorum,ac sanguinis fluoris è naribus, ex hæmorrhoidibus & mensibus,dum imminuta sunt: at huiuscemodi fluor non interdicit sanguinis missionem è vena brachij. Ergo neque lochiorum post puerperium imminutio,venę sectionem ex brachio interdicet. Major probatur, quia quemadmodum ex prædictis euacuationibus spontaneis imminutis aut suppressis, multa adueniunt mala, quæ tamen venæ brachij sectione sedantur: sic etiam in hisce puerperij purgamentis contingit. Minor per se patet potissimum quùm plethora adest siue verà, siue notha.

" Confirmatur experientia,hoc patuit,inquit Botallus, in quadam damicella post partum gemellorum, quæ totos sex primos dies egit insomnes & ferè sine cibo, ob vehementem & assiduam febrem, capitisque & vteri dolorem, quæ omnia manifestissimè ferè deleta sunt (saltem dolores)ex basilica dextra aperta ad libram vnam, quod auxilium omnibus neruis quidam Medicus non iuuenis quidem contendebat obfuturum, fretus vt dicebat currentes purgationes cessaturas & omnia in peius lapsura: quæ rationes vanæ fuerunt inuentæ,cum statim imò exeunte sanguine (quod præstitimus hora quinta vespertina diei sextæ) fructum perceperit,nocteque dormierit, & septimum diē, & alios similiter subsequentes egerit pacatissimos. Quam Medicinam & in aliis comperit vtilissimam. "

Hæc Botallus, cuius argumento experientia confirmato, possumus secundum addere ex dictis illius c. cit. Si venæ brachij sectio non conferret lochiis etiam fluentibus, ob id maximè esset, quia sic natura à suo munere reuocaretur, nec posset duas vacuationes sustinere:sed consequens falsum est, ergo. Probatur falsitas consequentiæ,quasi non sæpissimè videamus naturam, plures diuersas & insignes vno tempore vacuationes aggredi in salutem ægrotantis.

Tertium argumentum: ex brachio debet mitti sanguis, tanquam ex proximiori loco, quando causa morbi toti inest corpori: atqui in puerperarum febre causa toti inest corpori. Ergo in febre vehementi sanguis ex brachio mittendus, siue fluant purgationes,siue non.

Quartum argumentum. Tunc illa operatio est præstanda, quando per illam longè maius beneficium: quam damnum subsequitur:sed per confertam sanguinis corrupti ex brachio vacuationem majus longè beneficium sequitur,quam sit damnum quod ex modica distractione fluxionis ex vtero factæ. Ergo. Probatur minor quia sanguis qui ex brachio corruptus educitur, materiam Febris in maioribus vasis contentam promptiùs imminuit & vtiliùs, quam venæ sectio malleoli; quo deinde sanguine educto, ala-

criùs natura ſubleuata ſuo muneri incumbit.

Contrariam opiniónem profert Petrus Salius lib. de affect. particul. cap.23. quem ſequuntur Augenius tomo altero epiſt. lib. XI. ad fin. Mercatus lib. 4. de morb. mulier. cap. XI. Roderic. à Caſtro lib.4. de morb. mulier. ſect. 2. cap. 12. Hucherus Profeſſor Monſpel. lib.3. de ſterilit. mulier. cap. de excrement. puerp. D. Iacob. Fontanus pater meus lib. 3. pract. cap. 42. ex quo habui huiuſce reſolutionis primam impreſſionem, quam deinceps ad vnguem in praxi & fœliciter obſeruaui. Prædicti authores vnanimi conſenſu aſſerunt, ſi morbus acutus mulierem in principio puerperij inuaſerit, licet florente ætate, & conſtantibus viribus, ſemper ſit ſecanda vena; tamen cum à partu ſtatim, & per primos illos dies copiosè naturaliter expurgentur, nullam aliam tentandam eſſe vacuationem, quam quæ à natura rectè & naturaliter operante dirigitur: quæ tamen ſi ſupprimatur vel imminuatur, tum ad tollendum morbum, & affectum præter naturam, tum ad prouocandam naturalem euacuationem; ſecandas eſſe venas inferiores, & copiosè mittendum ſanguinem: & potiſſimum primis puerperij diebus. Quare vt hæc poſterior ſententia, quam nos firmis rationibus & authoritatibus deinceps confirmabimus, clariùs intelligatur.

Sciendum primò morbum ab aborſu aduenientem, atque à partu valdè periculoſum eſſe, tum ob corporis debilitatem, partus vel abortus præcedentes labores; tum ob difficilem curandi rationem, quę in enixis comperitur, quod puerperium neque ipſi morbo ſufficiat, neque alia admittat præſidia: vnde nihil difficilius aut vrgentius in re practica medico contingere poteſt. Porrò abortientibus fœminis grauiora ſuboriuntur mala, quam iis quæ vitalem partum ediderunt, quippè in illis magis dilacerantur vteri acetabula, à quibus vi fœtus euellitur, quam à quibus naturaliter excidit. Verum curatio affectuũ inde ſuccreſcentium diſſimilis eſſe non videtur, ſiue purgationis imminutio, vel ſuppreſſio, deprauatio, ac immoderatio, febris acuta poſt partum vel aborſum mulieribus ſuperueniat, ſymptomata enim vtrinque aduenientia pari modo gubernanda ſunt; vnde Hippocr. ſentẽt. 4. coacar. tractat. 3. de morb. mulier. ait, quæ tum à partu, tum ex aborſu aliquantiſper cumulatè prorupta ſunt, & ſuppreſſa immeritò difficilia. „ „

Sciendum ſecundò ſi febris cum partu complicetur, quando morbi computatio ſit exordienda; an ab hora partus: an ab initio inuaſionis febrilis aliquot diebus poſt partum contingentis. Quod ad dierum criticorum obſeruationem magni põderis eſſe videtur. Hippocr. aliquando ſumit computandi initium à die morbi ſuperuenientis, non verò à die partus lib. 1. epidem. ſect. 3. in deſcriptione ęgritudinis vxoris Philini, Epicratis, & Dromeadę. Quod rationi conuenit, quia à principio morbi, cuius exſpectatur criſis computandum eſt: partus verò non eſt morbus; & ſi quæ accidat humorum agitatio, ea in conſiderationem non venit: ita enim dies decretorij, à ſtatu etiam neutro in quo adſunt laſſitudines, vigiliæ, cibi faſtidium, quæ ſunt tantum morbi procœmia, ſuum ducerent exordium; quæ quia

ex

ex agitatione prodeunt, & tamen morbum non pariunt, inter morbi dies non numerantur. Contrarium tamen sentire videtur Hippocr.l.3. prognost. ex Galen. in comm. pro-
" gnost. 10. Principium numeratio-
" nis tibi fiat non quo die cœperint
" febricitare, sed quo pepererint. In
" quibusdam igitur circa secundum
" aut tertium incipiunt diem à partu:
" ex quo multi numerant futuram
" indicationem. Sed res non ita se
" habet, sed ex quo pepererint, numerationem fieri oportet dierum. Et confirmatur 3.epid. variis historiis, vbi non à febre sed à partu initium numerationis desumitur, in historia eius mulieris quæ degebat apud Pantimedem; quam partem sequitur Auerroës 4. collig. 40. Ratio addi potest, quia humoris à partu incipit suscitari, qui licet aliquando delitescat, veluti de veneno canis rabidi asseritur, quod non tantum per triginta dies, sed etiam per spatium quatuor mensium latitare solet: nihilominus tamen à prima morbi mutatione dierum supputatio est facienda; quia humoris motus à partu instat, cui ex proportione critici dies respondere debent. Ad huius difficultatis dissolutionem cum conciliatore differentia 106. respondendum, quem sequitur Vallesius lib.10. controuers.c.4. duplicem esse partum naturalem, ac præter naturam, in partu igitur naturali non laborioso, neque magnis symptomatibus comitato, si febris aut alius morbus superuenit; quia non est symptoma partus, sed morbus per se, non à partu sed à morbo succrescente computationem esse faciendam. Contra in partu præter naturam, præcedente quodam morboso apparatu, quia morbus est symptoma partus, tunc non à morbo, sed à partu initium esse ducendum. Quod idem est ac si dicas in morbis qui ex præexistenti morboso apparatu prodeunt, à partu, in illis verò qui ex suppressis lochiis, ab ipso morbo supputandum. Vnde patet conciliatio locorum Hippocr. Sciendum tertiò vtrum huiusmodi febris exoriatur ex sola lactis abundantia, eiusque in venas confluxu, quæ causa est cuiusdam febris instar ephemeræ, ad duos aut tres dies sese extendentis, vel alioquin plures, si ex lacte eodem in mammis putrescente inflammatio succrescat, vt cognoscitur ex mammarum duritie, turgescentia, dolore, calore, cum dorsi, & scapularum grauitate & dolore, procedente tamen puerperio, de qua febre hic non fit mentio: sed de ea quæ ex morboso corporis apparatu, quem dolores & labores partus excitarunt, cum lochiorum imminutione, sine vllo alio causarum externarum concursu, ex quibus causæ morborum puerperarum fluere consueuerunt. In hac ergo febre, puerperij purgamentorum semper est habenda ratio, tam in aborsu, quam naturali partu: obseruandum enim est, an ista febris cum diminutione vel suppressione lochiorum sit coniuncta, vel cum nimio illorum fluxu, aut iusta moderatione acciderit: hęc enim ritè obseruata curandi diuersam rationem necessariò expostulant: vbi ergo ista puerperij purgamenta imminuta vel suppressa fuerint, dolores in vtero & calores excitantur, tum ventris & hypochondriorum tensiones, cum lumborum pondere, respirandi difficultate, faciei rubore intenso, oculorumque perturbatione. Signa verò morbosi

apparatus desumuntur ex partu laborioso, abundantia succi vitiosi in corpore, prauoque victu præcedente, si ante partum aliquo morbo præueniatur, vt fluxu sanguinis ex vtero, etiam si probè à partu purgetur, harum tamen purgationum perpetua consideratio est habēda: nam in casu supposito non tantum adest apparatus morbosus, sed puerperij purgamenti imminutio; vnde colligimus febrem hanc non tantum in venis quæ sunt inter inguina & alas suum habere focum, sed præsertim in venis illis vterinis, & hypogastricis, per quas lochiorum sarcina deponi solet, suam putrilaginem collocasse; quod confirmatur ratione à Galeno exposita comm. 1. in lib. 6. Hippoc. de morb. vulgarib. ex interpretatione Iunij Pauli Crassi Patauiui, circa med. text. 2. Inter
» omnes, inquit, corporis partes plu-
» rimas grauissimasque venas vteri
» habent. Cumque eos aut menses,
» aut à partu purgamenta suppressa,
» aut phlegmone aliqua vtcumque
» orta, malè accipiunt, ipsos sanguine
» compleri necessum est. Quo dein-
» de putrescente si febris excitetur,
» inter synochorum species ipsam
» connumerari opus est, nam id ge-
» nus febrium ex putrescente sangui-
» ne accendi ostensum est. Ne ergo dicatis nimis audenter, in purgamentorum τῶν λοχίων diminutione aut deprauatione, post aborsum non esse insistendum; nec inde aliquam ad curandum, febre suborta, indicationem trahi posse: quinimo potissimam, cum focus febris in istis etiam locis insistat: quasi verò nulla esset huius rei consideratio facienda, cuius etiam defectu malè habitis remediis, non mirum, si per metastasim ad cerebrum, mentis alienationes, & mortes mulierum subsequantur.

Concludimus ergo cum prædictis Medicinæ doctoribus, in morbo acuto puerperarum, vtpote febre primis partus temporibus adueniente, venas inferiores esse scindendas, & potissimum si imminuta, vel suppressa sit lochiorum vacuatio. Huic sententiæ fauere videtur Hippocr. dum ex professo de puerperarum morbis pertractat lib. 1. de morb. mulier. Vbi ait, ex Foësij in-
terpretatione, iam verò de puerpe- «
rij purgamentis, & his quæ post «
partum prodire solent nobis est di- «
cendum. Vbi mulieri aut puerperij «
purgamenta non expurgantur, aut «
menses non eunt, aut induratur «
vterus, & lumborum dolor adest, & «
laterum quidem inanitates, ingui- «
na, femora, & pedes acerbè dolent, «
venter attollitur, & horrores per «
corpus cum impetu erumpunt, ex «
his verò febres acutæ oriuntur (ac «
paucis interpositis ait.) At si febris «
detinet, à balneo abstinendum, fo- «
tibus autem & tepefaciētibus imus «
venter & lumbi curandi. Ex medi- «
camentis autem quæ ad vterum fa- «
ciunt, quædam potui sunt exhibē- «
da, admixtis sepiæ ouis, & castoreo. «
Deinde farinam cum ruta coctam, «
aut ptisanæ succum sorbendum da- «
to. Quibus verbis scopum in huiuscemodi affectu, nempe vteri per inferiora expurgationem, obseruandam esse proponit. Quare si sanguis sit ducendus, eadem lege per inferiora mittatur est necesse: siquidem per venas brachij detrahatur, vt ferè fit à practicis, materia lochiorum corrupta ad partes nobiles deducitur, quod est fugiendum. Et lib. 1. epidem. sect. 3. text. 22. ægroto 5. Hippocr. in simili casu, in Epicratis

vxore,

vxore, Balanis, seu vt Galenus docet, pessis vtebatur, quibus purgatio euocaretur. Et Stymargi famula vbi filium peperisset, conuersumque esset ei vteri osculum, & dolor ad coxam & crus: iuxta malleolum secta vena liberata est. Et Galen. lib.9.meth.med.cap.5. ait, si tempore mittédi sanguinis menses moueri contigerit, siue etiam hæmorrhois sit reclusa, si inspectus fluentis impetus satis fore videbitur, qui solus quod requiris vacuet, naturæ rem omnem permittes: sin minùs tantum ipse detrahes, quò ex coniunctis ambobus perficiatur, quod postulas. Quibus verbis vacuationem per inferiores venas procurandam esse insinuat, vt docent interpretes.

Probatur conclusio suppositione iam facta quod febris acutæ focus non tam sit in venis maioribus: quam in venis vteri, quæ est sentina totius corporis: cum enim malè constituta est mulier, solet maior vitiosorum succorum moles per venas ad illam cloacam nempè vterum confluere, vnde morbi apparatus emanat. Quare sic argumentor illa operatio est exsequenda quæ suppressam, aut imminutam naturalem euacuationem materiæ morbosum apparatum committentis, per proprium locum reuocare potest; illa verò cauenda, quæ supprimere, & à proprio loco reuocare: atqui venæ malleoli sectio in puerperij purgamentis imminutis primis diebus, muliere febre acuta correpta, reuocare valet huiusmodi purgationes morbosum apparatum committentes ad proprium locum: & venæ sectio brachij supprimere. Ergo illa potius quam hæc est exsequenda.

Maior propositio confirmatur, quia vacuationes naturales cohiberi non debent, sed quò maximè natura vergit, per loca conferentia eô ducere oportet, vt Hippocr. docet 1.Aphoris.21.veluti est periculosum teste Auicenna procedere motu artis contra motum naturæ. Ad dictam minorem probandam, quod vena gibberi secta lochia supprimat, quia motum sanguinis infra tendentis sursum reuellit, vt Galen. ait lib. de curat. per venæ sectio.cap.18. Quod etiam annotauit Oribasius lib.7.collector. Medicinal.cap.6. & à Galeno fideliter transcripsit, vt in more habet. Qué sic Rasarius interpretatur. Euacuationes quæ ex cubito fiunt, aliud etiam malum habent adiunctum: vt menstruas purgationes, sanguinem ad partes superiores corporis retrahendo, comprimant. At iis quæ ex cruribus fiunt, hoc etiam inest, vt menses cieant. Ergo talis sanguinis missio ex brachio facta mulieres sic affectas, in principio partus summoperè lædet, vtpotè humores sursum retrahendo ad cerebrum rapiat, phrenitidem generet, vel etiam ad aliam partem principem retrahat, in ægræ exitium. Hæc ratio nobis sufficit ad confirmandam dictam partem, quoniam cœtera quæ afferri possent, ex dissolutione argumentorum prioris sententiæ facilè intelligentur.

Notabimus tamen priùs dictum fuisse hanc operationem secto malleolo esse præstandam primis temporibus partus. Quod vt clariùs explicetur, sciendum est puerperij tria esse consideranda tempora, primum quod à principio partus incipiens octaua die terminatur: in quo vterus profusa vacuatione purgari debet

bet præsertim ad quartum vsque; incipit enim à quarto aliquid remitti, sanguine ad mammas tunc confluente. Aliud tempus secũdam complectitur hebdomadam, in qua purgationes fiunt longè minores quam in prima: & copiosiores quam in tertia; in qua sensibiliter imminuuntur; extenditurque hoc tempus vsque ad trigesimum vel quadragesimum diem. In primo tempore purgamenta vteri supprimere periculosum. In secundo, non ita. In tertio verò tempore cùm vterus pauca certè quantitate talem fluxum patiatur, ipso cohibito per vsum generalium remediorum, nullum sensibile incommodum consequitur.

Quæres ergo an in medio puerperij tempore, muliere acuto morbo affecta, venam brachij secare oporteat. Petrus Salius censet duo consideranda esse; primùm an materia pendeat ab humore in aliquo loco peculiari impacto, vt in pleuritide, angina, phrenitide, aut per totum corpus sparso, vt in febre. Secundò an mulier cõuenienti expurgetur mensura, an non. Si affectus pendeat à dispersa materia toto corpore, & paucum fuerit sanguinis effluuium, per venas inferiores oportet sanguinem educere. Si verò sit copiosa purgatio naturalis, morbus tamen inualescat per easdem detrahendum. Si materia in aliqua parte sit coaceruata, vbi morbum acutum vt pleuritidem efficiat, indicétque venæ sectionem, siue sufficienter expurgentur, siue non; statim deueniendum est ad sectionem venarum superiorum directè parti respondentium: rationem adiungit, quia inferiores venæ nec à loco affecto euacuare, nec reuellere commodè possint, imò has secantes virtutem ex euacuatione labefactabimus, & materiam in loco particulari conculcatam non minuemus. Vel totum sanguinem educes, priusquam reuellas, & euacues coaceruatam materiam: vel admodum erit tarda vtilitas, & nimis periculosa procrastinatio. Hanc tamen esse rationem agendi ante venæ sectionem, inquit, fiant frictiones ad coxas & crura; deinde ligaturæ dolorificæ in medio coxarum adhibeantur, & quoad secta fuerit vena detineantur: quæ misso sanguine soluantur, ac cucurbitulæ coxarum parti interiori citra scarificationem applicentur: sic enim materia peccans minoratur, & loci affecti alleuiatiò fit, & naturalis purgatio conseruatur. Atque hæc regula non tãtum in puerperis, sed in reliquis fœminis morbis acutis correptis, quibus menses fluunt, aut fluere debuerant, obseruanda est. Ex quo patet quomodo nunquam in principio muliebris purgationis venæ superiores secantur, sed aliquando in medio positis quibusdam conditionibus. Mercatus verò in omni acuto puerperarum morbo, siue à materia sparsa, siue à conclusa genito, priùs venas pedis, non solum semel aut bis, verumetiam sæpiùs esse secandas existimat: antequam ad venæ brachij sectionem deueniẽdum esse censeat, ne ad locum affectum retrahatur puerperium, impediaturque naturæ motus, quem procul dubio sequi necesse est, cuius sententiam veritati consentaneam esse puto. Si autem in vltimis diebus hi morbi contingant, cum minori periculo brachiorum venæ secari poterunt vrgente potissimum affectu.

Ad

Ad primum argumentum aduersariorum respondeo disparem esse rationem hæmorrhagiæ nariũ, hæmorrhoidumque imminutarum, & puerperij purgationum: quia illa licet non prohibeant venæ brachij sectionem; hoc tamén alio modo se habet in lochiis imminutis primo tempore partus: & ratio imprimis est, quia per venarum cubiti sectionem, si vna vice sanguinis eruptio ex prædictis partibus, vt naribus & hæmorrhoidibus, atque menstruis extra puerperium reuocetur, potest deinceps aliis remediis proxima periodo futura, talis fluxio naturalis restitui; quod tamen in lochiis accidere non potest, vt clarum est. Secundò sæpè necessarium est in illis vacuationibus naturalibus venas superiores brachij secare, vt scilicet natura desuescat à tali motu minùs commodo. Vnde non est mirum si vena brachij secta, mala quæ ex suppressione talium fluxionum contingerent sedantur: meliùs namque est sistere quam sinere. Quod tamen in hoc casu fieri nullo modo debet. Quantum ad menstruorum fluxum, morbo simul aduenietẽ extra grauiditatem aut puerperium: scimus quidem quod si talis affectus perseueret, etiam naturali vacuatione sed inutiliter persistente, venam brachij esse tundendam; quia focus morbi in alia parte tunc consistit: sed paulisper expectãdum, quem fructum afferet talis menstruorum vacuatio, & an talis affectio imminui possit. At in puerperij purgamentis non est semper par ratio, potissimum in principio purgationis, vt dictum est. Quantum ad plethoram nescio quomodo mulier post partum plethorica esse possit, modo mediocriter tunc temporis purgamenta vteri patiatur.

Ad experientiam à Botallo propositam dicimus rem fœliciter successisse, quia sexta die talis phlebotomia fuerit facta, nimirum in fine primi temporis, quod non adeo est periculosum, sicut intra tres primos dies. Deinde à particulari ad vniuersale non valet conclusio iuxta Philosophos. Et ego vocatus ad tractandam mulierem Alexandri Matthæi Aquensis, quæ habitabat iuxta fores fratrum Minorum, ab octo diebus post aborsum septem mensium minimè purgatam, febre continua affectam cum delirio, à Medico derelictam, venæ sectione pedis eadem die Dei fauore à morte liberaui. Quod pariter, & faustè in aliis mihi contigit.

Ad secundum argumentum respond. plures vacuationes in eodem ægro criticè contingere posse, vt experientia frequenti obseruamus, & docet Hippocr. in e id. in Heraclis historia, sanguinem è naribus effluxisse, deinde alui fluxum passum fuisse, ac per vesicam vrinam copiosè reiecisse. Multis etiam mulieribus post fluxum menstruorum copiosissimum, sudores criticos successisse: hoc verum est, sed vna vacuatio alteram non impediebat, & successiuè fiebant, ambæ erant naturales: at puerperij purgamentis fluentibus, si quis à principio venam brachij secet, alterius etiam morbi occasione, impediet naturalem cursum fluentis sanguinis: vt videre est in hæmorrhagia narium; si venam brachij scindas statim ipsius impetum sistes. Præterea quandò exercetur venæ sectio brachij, fluentibus purgationibus, simul à duobus locis vacuatur sanguis, & non successiuè, quod vires ferre

non possunt. Postremò phlebotomia superiorum venarum est artificialis vacuatio, lochiorum reiectioni opposita, vt probatum est. Neque vrgeas in critico lochiorum fluxu retractionis periculum esse: sed non in symptomatico de quo est quæstio. Ad hoc dico in abundantiori fluxu verè permittendam esse venæ brachij sectionem, sed in diminuto aut suppresso nunquam, propter rationem à nobis expositâ.

Ad 3. respond. Tunc ratione febris mittẽdum ex vena brachij sanguinem, quùm nulla sese offert contraindicatio, quæ petitur ex parte lochiorum fluxus imminuti, & ex hipochondriorum tensione, vterique coniuncto dolore; quæ certè prohibent ne sanguis ille putridus intra venas vteri cohibitus per venas superiores sit retrahendus in totius corporis ruinam. Præterea respondeo non tantum in toto focum habere has febres, sed etiam in venis vteri; vnde semper esse habendam lochiorum rationem diximus, potissimum primo puerperij tempore, coniuncto vteri dolore, hypochondriorumque tensione. Insuper vena malleoli dum ex venis vteri sanguinem educit, consequutione quadam ex reliquis totius corporis venis euacuat, si non proximiùs saltem commodiùs, & absque periculo. Demum illæ venæ inferiores æquè benè ad tertiam regionem pertinent, ac venæ brachij proindéque sanguinem æquè commodè ex toto vacuant; quinimò ex proximiori loco affecto; & in hoc puerperarum affectibus magis conuenientes, quia puerperij purgamenta magis educunt; quod in hoc casu summopere intendendum est: negamus ergò meritò, inferiores venas à loco affecto non euacuare nec commodè reuellere, neque ex toto vacuare, vel totum sanguinem educere priusquam reuellant, & ideo vires deiicere. Et admodum tardam esse illarum vtilitatem.

Ad quartum respond. damnum quod ex distractione fluxionis vteri consequitur, esse irreparabile; quod enim semel ad partes nobiles est conuersum, tantam illarum partium ruinam molitur, vt deinceps vitæ nexus subsistere non possit. Atqui per reuulsionem sanguinis è vena brachij factam talis humorum trãslatio subsequitur, vt experientia compertum est, & à nobis iam probatum. Concludimus itaque, in morbo acuto puerperarum, vt potè febre in primis partus temporibus, venas inferiores esse semper scindendas, non autem venas brachij.

Soli Deo, honor & gloria.

APHORISMI



APHORISMI HIPPOCRATICI XV. LIB. V. PROPOSITI.

RIVVS I.

PLEVRITIS morbus lateralis, laterisque dolor à Celso nuncupatus, à parte quã occupare solet denominationẽ sortitur, ἐν τῇ πλευρᾷ verè consistit, quæ ὁ ὑπεζωκὼς τὰς πλευρὰς ὑμὴν, hoc est, membrana costas succingens interna nominatur. De numero est particularum thoracis continentium propriarum, quæ tanquam munimentum fortissimum cœteras medij ventris partes circũuallat: quod est inime regione peritonæum,id in media & vitali est membrana hæc, quæ costis omnibus subtensa, pulmonem, cor reliquasque partes vitales subcingit, & complectitur, adeóque colligat, vt singulis communem largiatur tunicam: venas habet ab azygo & intercostali,quas totidem arteriæ comitantur. Sparguntur per eam quoque neruorum plures surculi, quos sexta coniugatio, & spinales nerui suppeditant. Hæc vbi ad medium thoracis peruenit, vtrinque duplicatur, & ab spina ad sternum delata magnam & insignem efficit cauitatem in medio sitam, qua dextræ thoracis partes à sinistris dirimuntur. Pleuritis ergo pleuræ morbus à Galeno definitur tum lib.5. de locis aff. c.4. & alibi,subscribentibus Ægineta, Alexandro & Aëtio, *Inflammatio membranæ costas succingentis*; Cum ergo pleuritis phlegmone sit, morbus in magnitudine, intemperie, & soluta vnitate rectè nuncupabitur: nam instar aliorum tumorum tria morborum prima genera continebit, docente Galeno lib. de differ. morbor, cap.12. Duplex est pleuritidis ab affecta particula differentia ex doctrina Galeni lib.5. loc.affect. cap.3. vna vera & exquisita pleuritis fit, vbi cingens costas membrana primario affectu laborat. Alia etiam dicitur pleuritis ad exquisitam accedens, musculorum intercostalium internorum inflammatio, ideo dicta,quia etiam pleuræ suam affectionem communicat,per quam materia fluxionis, vel systrophicæ collectionis ad thoracis spatium transmittitur; quemadmodũ pleura primariò affecta, partibus internis musculorum intercostalium communicat. Quarum differentiarum distinctionem à pulsu sumit Galen. nam musculi inflammati minùs,

cingens verò membrana magis tendit & indurat arteriam. Non vera pleuritis quam vocat Galen. ad finem cap. cit. lateris cum febre dolorem, fit, externis intercostalibus, aut potissimùm costis incumbentibus musculis inflammatis. Dignoscitur ex eô quod cum febrem habeat adiunctam, tussi tamen sputisque caret, quia ab initio nihil eius succi qui inflammationem excitauit ad thoracis spacium peruenire solet: concoctaque inflammatione, nisi pus priùs discutiatur, ad cùtem vsque attollitur, atque inciditur. Altera differentia ex doloris situ petitur, ab Hippocrate 2. acutor. 10. & 11. in ascendentem & descendentem; quod scitu dignum est ad remediorum genus eligendum. Tertia ex diuersitate materiæ pleuritidem parientis elicitur: quomodo diuiditur in sanguineam, biliosam pituitosam & melancholicam: inter quæ sanguinea & biliosa frequentior & exquisitior, pituitosa verò rarior, quod morbum acutum vix introducat, qualis est pleuritis; raróque crassior ille succus densam mébranam subire potest: nisi cum Aëtio & Trailliano pleuritis ista notha admittatur, ex cruditatibus & pituitosis humoribus nata, cui quandoque complicata febris veræ pleuritidis speciem repræsentat, indoctisque Medicis imponit; maximè cùm venæ sectio adhibetur, iisdem authoribus monentibus nocentissima. Rarissimè melancholica est pleuritis per aphorism. 33. l. 6: qui acidum eructant, &c. Quarto secatur pleuritis vt & multi alij morbi in siccam, cùm nihil expuitur per tussim: & humidam. Item in pleuritidem dextram vel sinistram, superiorem, inferiorẽ, anticam, posticam siue dorsalem, iuxta venarum riuulos è quibus inflammationis materia in pleuram & thoracem suggeri & deriuari potest: vel ex intercostali surculo, vel azygo, mãmaria, aut thoracica. Denique pleuritis vna est primigenia, altera verò morbi alterius successione venit. Vel est ἰδιώδης vel ἡ κοινώδης & epidemia seu pestilens, quæ illud τὸ θεῖον complectitur, quod Gorræus cum Fernelio intelligit aëris constitutionem, quæ magis proprietate totius substantiæ, quam suis primis qualitatibus corpora nostra offendat, quam νοσηρὴν τοῦ ἀέρος ἀπόκρισιν vocat Hippocr. lib. de nat. human. ἀναθυμίασιν exhalationem siue expirationem exponit Galen. Quæ diligenter obseruanda, vt curationis vtilem indicationem nobis suppetere queant.

RIVVS II.

Causarum pleuritidis quædam sunt internæ, quædam verò externæ. Nam morbi omnes veniunt, nascuntur, principia causasque suas ducunt, ἢ ἀπὸ τῶν ἔξωθεν, ἢ ἀπὸ τῶν ἐνεόντων, id est, aut ab iis quæ extra sunt, aut ab iis quæ intra inutilia. Causæ pleuritidis procatarcticæ sunt à temporis constitutione & à diæta, vt ab exercitio frigidæ potus, vini intemperantia, inspiratio gelida & aquilonia, multò magis si præcessit auster, ac derepentè succedit frigus, venena vt leporis marini vsus, concussio etiam externa huic morbo occasionem præbet. Causa antecedens & interna vna est, nimirum fluxio humoris, cuius nomine & materiæ collectionem

ctionem & congestionem intelligo quæ fit in ipsa parte ob infirmitatem facultatis expultricis; tum etiã materiæ quæ aliunde venit affluxum, qui pleuritidem facit, qualis ferè est omnium humorum sanguini permixtorum, sed præcipuè frequentiúsque sanguinis puri, aut cum bile mixti, vt Galen. docet lib. de constitut. artis cap. 15. huius autem fluxionis tres sunt causæ: Prima est à parte quæ continet in eam quæ continetur. Secunda orgasmus seu gargalismus materiæ vel humoris ferini, substantia tenuis, qualitate acris atque maligni, & temperamento aut corruptione calidi. Qui vel anadromem & recursum facit à partibus inferioribus ad superiores, vel apothesim depositionem à superioribus ad inferiores. Tertia est causa attractio, quæ fit ab ipsa parte inflammatione obsessa, ob calorem & doloris acerbitatem: qui ergo humor affluit in pleuram causa dicitur antecedens pleuritidis; qui iam affluxit & in latere tumorem facit, causa est continens & coniuncta.

RIVVS III.

Pleuritidis exquisitæ pathognomonica, seu propria & demonstratiua signa quinario numero apud Galen. 5. de loc. affec. cap. 3. comprehenduntur, dolor nempè lateris punctim lacescens, cum spiratione difficili, sicca tussi, & assidua febre coniunctus, vna cum pulsu serrante, qui serræ modo tactum ferit ob arteriæ duritiem & inæqualitatem, ex lib. 4. de caus. puls. Quorum symptomatum hæc mihi ratio esse videtur ad inueniendam morbi vnde illa veniunt existentiã, ὕπαρξιν Græci vocant. Nam primùm doloris punctorij causa est distentio pleuræ exquisito sensu præditæ, cum intemperie insigni. Alterum symptoma est difficultas spirandi, à thoracis inflammatione obsessi vitio & contumacia, qui in magna spirandi necessitate, neque satis dilatari potest ad inspirandum, neque ad expirandum colligi, vnde parua fit & frequens respiratio. Tertium est sicca tussis, concussio thoracis frustra concitati, quia serum ex parte inflammata per membranæ continuitatem in pulmones exudans, subtilius tenuiusque est, quam vt à fuliginoso spiritu comprehẽdi possit, vt per tussim excludatur. Quartum est febris acuta, ob cordis viciniam & societatem cum thorace afflicto. Omnium enim partium officialium inflammatio febrem habet adiunctam. Quibus additur pulsus serrans, tanquam certissimum pleuritidis indicium, qui celer est, frequens ac durus & inæqualis: partis namque inflammatæ tensio arterias quoque peruadit; quibus pleura ipsa communem tunicam impertitur: & quia intemperies ac tensio arteriis inæqualiter communicatur: hinc fit vt arteria tangenti dura inæqualiter occurrat, & tactui serræ speciem repræsentet, de quo Galen. lib. de pulsib. ad Tyrones cap. 11. Atque hæc sunt signa reapse pathognomonica inflammationis pleuriticæ. Nam inflammationis ipsius vt inflammatio est, inseparabilia sunt, rubor, calor, pulsus, renixus, & dolor. Alia sunt signa pleuritidis assidentia συνεδρεύοντα quæ vt plurimùm ipsã consequuntur, quæ sunt, dolorem ad iugulum ascendere, aut ad hypo-

chondrium descendere aut supra latus affectum vel contrarium faciliùs indolentiúsque cubare : nam dum pleuræ interior pars afficitur, quod crebriùs fieri solet, decubitu in latus sanum facto, dolor exacerbatur, quia pars affecta suspenditur, si verò in latus punctione affectum, aut supinus fiat, mitigatur : quod Galenus lib. de constitut. artis med. rectè demonstrat. Pleuritis magna aut parua, benigna aut praua, ex prædictorum symptomatum quantitate & qualitate ostenditur. Nam sicut morbi species ex propriis accidentibus dignoscitur : sic etiam ipsius magnitudo ex eorumdem quantitate deprehenditur; authore Galeno lib. 3. de Crisib. cap. 4. Alia signa sunt ἐπιγενόμενα, & ἐπιφαινόμενα inter quæ veluti propria sputa considerantur : vt in morbis venosi generis vrina : in morbis ventriculi & intestinorum deiectio: sputa verò si ex parte inflammatione obsessa decidantur, rubra & flaua fuerint, hoc est sanguinea, & biliosa : si humor pituitosus fuerit, alba & spumosa : si melancholicus, nigra sputa reddentur : quæ non solum partis affectę, affectusque dignotionem præstant, sed & fluentis humoris conditionem, morbique morem & motum denotant. Quod ad signa prognostica spectat, pleuritis vt & quælibet alia inflammatio variis modis terminari potest, vel per diaphoresim, vel per expectorationem, vel metastasim in alium morbum, vt nobis in aphorismo 15. 5. libri proponitur pleuritidis μετάπτωσις in ἐμπύαν, huiusque in φθίσιν : cùm enim pleuritis quæ intra decimum quartum diem, nec liberam nec liberalem habuit anacatharsim in empyema mutatur seu suppuratum, quod deinde rupta vomica, & effuso pure in capacitatem thoracis, si exitum habeat per expectorationē, intra quadraginta dies conquiescit : alioquin in phthisim degenerat. Quod etiam insinuatur apud Hippocr. coaca 12. cap. de pleurit. *Qui è pleuriticis facti sunt purulenti* ἔμπυοι, *quadraginta diebus à rupta vomica expurgantur.* Pleuritidi vt verè acuto morbo dies quatuordecim, empyemati autem vt acuto quidem, sed non verè imò ἐκ μεταπτώσεως per degenerationem morbi in morbum quadraginta dies ad expurgationem assignantur : quia hic finis est acutorum morborum ἐκ μεταπτώσεως. Verùm ruptio vomicę non eodem semper termino fieri incipit : Nam ex lib. 2. prognost. sentent. 54. & ex Coacis sentent. 35. c. de pleurit. pus è vomica erumpit pro partis, humoris natura, virium, tempestatis, loci, & constitutionis anni temperie calidiore frigidiore, in quarum illa celeriùs, in hac tardiùs pus erumpit: aliæ vigesimo, trigesimo, quadragesimo, aut sexagesimo rumpuntur suppuratorum vomicæ. Quo tempore febris exacerbatur, rigor inuadit, & æger loco doloris pondus graue sentire fatetur, ex Hippocr. prognosi 55. lib. 2. Addit alia quædam signa coaca 37. cap. de pleurit. *accedere autem necesse est dolorem, dyspnæam, & ptyelismum ante ruptionem.* Qui ptyelismus est, ex resudatione ichoris ex membrana in qua rupta est vomica. Atque hæc de signis futuræ ruptionis, vt captemus occasionem remediorum adhibēdorum, nam nisi citò succurramus empyo illi, in phthisim labitur. Ac de ipsa phthiseos ratione scire licet, huius nomen communi appellatione significare omnem

omnem cachexiam, atrophiam, & marasmum quoque i. sum quem hectica febris induxit. Sed phthisis per antonomasiam, spectat ad pulmonis vlcus: cum scilicet vel à catharro, vel ab hæmoptysi per venæ ruptionem, huic exulceratio accedit. Ac nunc phthisis vsurpatur, pro eo quod propriè Græci omnes, maximéque Athenienses, olim vocabant φθόιω, si Galeno credendum lib. 2. de morb. & comm. ad Aphoris. 16. lib. 7. nunc Hippocr. φθίσιν hoc est, tabem nominauit, ex pulmonis vlceratione penè insanabili ortam totius corporis extenuationem, cum febre parua: vbi symptoma in illa corporis qualitate mutata, vtpotè exsiccatione & fœdatione in caractere & mole, locum occupat morbi in solutione cōtinui pulmonum consistentis; ac morbus ipse symptomatis nomen sibi adoptat, hæc ratio est: quoniam vlcus pulmonis, emaciandi facultate, & vi tabifica, cœteros omnes morbos præcedit. Est enim triplex in eo vis emaciādi, si Duretо credimus. Prima, ipsius edacitas quæ fontem exhaurit viuifici nectaris. Altera, febris hectica quæ humores vitiat, ipsarumque partium solidarum substantiam labefactat, viuacitatem extinguit marasmo humidi primigenij. Tertia spiritus quē ducimus tabifica qualitas, quæ ipsi de corruptela & vlcere prauo pulmonis accedit à quo excipitur. Est igitur phthisis, vlcus malignum pulmonis, quod vi tabifica morbis omnibus antecellit. At hi omnes prædicti affectus sibi mutuò succedentes, penè incurabiles esse vulgus medicorum fatetur. Ac certè prudentis est medici, eum qui seruari non potest, non attingere; nec subire sus icionem occisi, quē sors ipsius peremit; vidi tamen in praxi phthisicos & empyicos pleuritidi succedentes ad sanitatem pristinam redactos.

RIVVS IV.

AD empyematis & phthiseos præcautionem, pleuritidis curationem rectè instituere oportet, si priùs aliquid de huius prophilaxi attulerimus: nam in plethorica corporis constitutione, maximè vigente ætate, & ad senectutem primam declinante, vt est Aphorismo 30. lib. 3. pleuritides sunt præcauendæ, in iis qui tali morbo sunt obnoxij, vena secta interna vtriusve brachij satis copiosè, idque initio veris vel autumni: potissimum si tales densa sint cute, quoniam licet ab externis minùs lædantur, magis tamen ab internis infestantur, vt Galenus lib. de optima corporis constitut. adnotauit. Si verò aliquis pleuritide vera & exquisita fuerit affectus, vt per signa descripta palàm fiet, imprimis de venæ sectione cogitandum, quæ ex vena basilica eiusdem brachij lateris dolētis mox fieri debet: ea quantitate quâ vires sufferre, & sanguinis redundantis copia iudicabitur: quod remedium in interna inflammatione præstantissimum & præsentissimum ad reuulsionem & vacuationem præstādam, iuxta oppositionis & rectitudinis modos necessarios. In reiteratione verò magna prudentia & cautio; ni fallor Chyrurgi huius temporis Medicis iubentibus sanguinem liberaliùs mittunt, & sic vires eneruant, vt ad expectorandum pares esse non possint, quod tamen

præci

præcipuum est in curatione munus, anacatharsim procurare, ad dissoluendum morbum, & prohibendum ne in empyon transeat. Reliquos curationis riuos non relinam, nisi priùs de victus ratione aliqua stabiliuerim. In pleuræ inflammatione victus qualitas seu forma, & quantitas ab ipsa morbi natura, & causæ morbificæ ratione est captãda: nam cum sit morbus acutus, tenuissimo victu vtendum esse constat. Hippocr. initio lib. de victus rat. in acut. *inter initia neque multam, neque crassam dare oportet ptisanam.* Sorbitionis verò quantitatem hoc præfinit modo, *si morbus fuerit siccior quam quis existimet*, id est vt interpretatur Galen. in comm. *si nihil ex partibus malè affectis excernatur, vt ex pectore per sputum: non oportet multùm dare. Si verò os madefiat, est necesse augere sorbitionis quantitatem.* Vbi habetur maior ratio indicationis vitalis seu virium quam status morbi: quia in omni excretione vires infirmantur, *vt quanto copiosior fuerit expurgatio*, inquit Hippocr. *tantò plus vsque ad indicationem dare oporteat.* Post septimum ergo caro pulli, vel album pectoris cappi minutim incisum, iecur gallinæ aut cappi comedendum permittitur. Deinde doloris vrgentia ad præparanda remedia anodyna dicta, etiam forinsecùs nos inuitat, qualia sunt fomenta, vnguenta, sacculi; sed non sint ἀποκρουστικὰ seu repellentia, sed molliẽtia resoluentia & anodina, ad partem laxandam, materiam, mitificandam, & resoluendam, & vt cessationi fluxionis prospiciatur, & sanguinis missioni reuellenti, omnia ad se trahens dolor, iam sedatus nõ resistat. Si ex missi sanguinis corruptela, sputorum colore, aliisque signis, cacochymiã superesse in corpore, quæ malum foueat & augeat, Medicus coniiciat, ad medicamenti purgantis exhibitionem se debet conuertere præsertim si ad hypochondria dolore descendentẽ, ventris murmur adfuerit; excrementaque alui liquidiora, humorem ad ventrem vergere significauerint, docente Hippocr. 4. acutor. 64. quod solet fieri ante diem quintum; sed iam agendum benignis pharmacis, & citra notabilem commotionem humores educentibus, qualia sunt tamarindi, manna, cassia, rhabarbarum, senna, agaricus. Quamdiù fluxio perseuerat, remedia quæ parantur ex floribus papaueris rhæas optima censentur, quia humorem subtilem incrassant, & acrimoniam tẽperant. Rasura dentis apri, à Rondeletio laudata, in principio non est danda, sed in declinatione ad exsiccandum quod defluxit. Expectoratio omni arte procuranda, a principio materia tenui existente, incrassantibus auxiliis, & aliquantulum detergentibus: mox verò cocta materia, & ad iustam redacta crassitiem, relictis illis sola detergentia, & incidentia si opus sit præscribenda, & non cessandum donec finis fuerit compos.

RIVVS V.

QVod vt habetur Coaca 19. cap. de pleurit. *dolorifica partiũ istarum mala quæ non quiescunt nec expurgatione sputi, nec sanguinis detractione, neque pharmacia simul atque diæta; in suppuratum vertuntur.* Cognito ergo suppurationis initio, medicus

medicus ab auxiliis resolutionem promouentibus, vt inutilibus desistat, & ad suppurantia audacter se conuertat: præsertim, quia ex resoluentium & vacuãtium iam importuno vsu, suppuratione præpedita, concrescit humor & in scyrrhum aliquando conuertitur, quod omnino præcaueri debet: suppuratio ergo iuuatur modicè calefacientibus & humectantibus atque emollientibus, docente Galeno 5. simpl. cap. 5. tum abscessum rumpentia præscribuntur, incidentia attenuantia, abstergentia, pectoralia, & tandem consolidantia: euacuantia verò materiam per expectorationem sũt exhibenda, ne scilicet pus rupta vomica intra capacitatem thoracis effusum, quod verum facit empyema, vltra quadraginta dies illum locum occupans, pulmonem exulceret: quod timebat Hippocr. Aphoris. 15. nobis proposito lib. 5. Quo tempore adhibitis his remediis, phthiseos si impendeat periculum: vel vbi magna copia puris adest, ita vt suffocatio timeatur, ad opus chyrurgicum cogemur accedere, cauterio, vel ferro pectus aperiendo inter quartam & quintam costam, numerãdo à nothis costis sursum, nouacula supernè deorsum ducta, ac pus per foramen sensim extrahendo. Quãdo sunt malignæ & mortiferæ pleuritides, quales Pater meus, quem Sennertus lib. 2. pract. part. 2. cap. 16. citat, viderat in hac prouincia, quæ generabantur ex humore tenui virescente, in latere collecto, aut ex aliis partibus fluente; materia indomita in vomica collecta; huic sectio vnicum est remedium: cum enim nulla supersit coctionis spes, materia sectione extrahatur necesse est. In aliis epidemiis lateris morbis velim à principio dari bezartica, & alexipharmaca remedia, tum sudorifica, quò virus illorum beneficio expugnari valeat, ex optimorum Medicorum consilio. Quũ verò pleuritis suppuratione terminatur, & supra quadraginta dies à ruptione, pus intra thoracis capacitatem subsistit, & stabulatur, in phthisin seu tabem facilè commutatur; vnde concludo.

Quicumque à pleuritide empij facti siquidem expectoratione repurgati fuerint, intra quadraginta dies ex quo ruptio facta est, liberantur: sin minùs in phthisim trãnseunt. Aphoris. 15. lib. 5.



EFFATA APOLLINEA.

I.

Medicvs ad aëris particulares diſpoſitiones, iuxta varium ventorum concurſum, potiùs attendere debet ad morbos tempeſtatum præſagiendos, vt fecit Hippocr. 3. Aphoriſ. libro, quam ad varios aſtrorum aſpectus indeſinitos & incertos.

II.

Non dantur morbi totius ſubſtantiæ, ab ſimilaribus diſtincti.

III.

Ætate vigentes magis quam ſenes ſunt pleuritidi obnoxij per Aphoriſ. 30. lib. 3.

IV.

Pleuritis ab hepatis inflammatione, punctorio dolore diſtinguitur, atque pulſus duritie: cum illa tamen facilè confunditur, intentis vinculis quibus nonnullorum iecur coſtis alligatur: ita vt pleuriticus eſſe videatur dolor, vt docet Galenus 5. de loc. affect. cap. 7.

V.

Pleuritidis in empyema tranſeuntis cognitio ad Medicos vſus valde conducibilis, tum vt futuræ vomicæ ruptionem præſagiat, tum vt remedia debita præparet.

VI.

Siniſtra pleuritis deterior eſt & malignior dextra.

VII.

Omnes purulenti & empyematici, poſt quadraginta dies à ruptione non expurgati, in phthiſim lethalem non tranſeunt, modo dulce fuerit ſputum, vt docet Hippocr. lib. 3. de morbis in medio. Egoque praxim exercendo obſeruaui. Sin ſputum inſuaue eſt *ἢν δὲ φῇ ἀηδὲς τὸ σίαλον, θανατώδης ἡ στάσις τοῦ νούσου.*

VIII.

In morbis pectoris, vbi diuerſum eſt excretionis à coctione munus, liberaliùs nutrire oportet circa ſtatum, contra aliorum morborum normam, quia poſt coctionem ab animalis facultatis refectione ſperatur auxilium, ex Aphrodiſæo 1. problem. 9.

IX.

Narcoticorum & ſoporiferorum remediorum vſus, in pleuritidis dolore etiam vrgentiſſimo eſt nocentiſſimus: cum alia tutiora præſidia ſuppetunt.

X.

In omni vera pleuritide non eſt vena ſecta mittendus ſanguis, ex ſententia Galeni comm. in Hippocratis ſentent. 44. ſect. 3. lib. 6. epidem. ſcribentis. *Cruenta ſputa reijcientibus ſectio venæ impeditur, propter anni tempus aduerſum, aut affectum lateris, aut bilis copiam.* Quod dictum problematicè ſuſtinendum proponimus.

XI.

Enixa mulier pleuritica occiditur, ſi primo puerperij tempore, purgationibus etiam benè prodeuntibus ſanguis ex brachio mittatur.

Claudite iam riuos Medici, ſat prata biberunt.

D. GABRIELIS

D. GABRIELIS
FONTANI,
MEDICINÆ DOCTORIS,
MASSILIENSIS, IACOBI FILII
APOLOGETICON,

Quo vera Galeniſtarum doctrina circa pleuritidis Ideam, & curationem defenditur aduerſus Van-helmontium.



Nobilissimo, & perillustri Domino.

D. GASPARI D'HONORAT,

DOMINO DE POVRTIOVX.

IN SVPREMA PARLAMENTI PROVINCIÆ CVRIA, Consiliario Regio meritissimo.

D. GABRIEL FONTANVS MEDIC. DOCTOR S. D.

DOCTRINA Hippocratis & Galeni summorum Medicinæ Principum, plurimos habuit inter omnes nationes, suæ integritatis, & præstantiæ admiratores, (Vir Clarissime) sed non paucos censores: inter quos hocce seculo nouus apparuit Van Helmontius, qui nostra dogmata funditùs refellere, totis viribus conatur, sua autem noua in lucem proferre; adeò vt veritatem sub ignorantiæ tenebris diu absconditam, recèns detexisse putauerit, tam in causarum affectuum indagatione, quàm in præsidiorum inuentione, atque directione. Quod cùm circa tractatum de pleuritide, morbo crebrò grassante, contra nostram vulgarem methodum, atque terminos à nobis receptos demonstrare voluerit, longè aberrat, & nihil noui probat, quod possit nostram antiquam, & veracem sententiam, longâ seculorum serie, & experientiâ comprobatam infringere; vt certâ & indubitatâ demonstratione patebit, hanc nostram apologiam legenti; in qua omnes eius reprehensiones inutiles &

falsas, sub rationis & experientiæ trutina ponderauimus. Verùm nullum alium huius controuersiæ iudicem volo (Senator Amplissime(*quàm teipsum, velut eximium virtutis amatorem, &) literarum studio maximè deditum, morum bonitate, & generis nobilitate clarum; vt inter alia patefacit tua summa dexteritas cum singulari integritate coniuncta, quâ lites dirimendo, ac super iis iudicia pronunciando effulges, dum in suprema & sacra curia Aquensi, senatoris dignissimi officio fungeris: & actus insignes, tam priuati, quàm publici, quibus studiorum tuorum vires, eximij ingenij acumen, claritatem iudicij, linguæ facundiam, atque animi candorem, indices ostendere pergis: vnde omnes omnium ordinum te magis ac magis suspiciunt, admirantur, & amant. Atque cùm me (aliis de causis tibi deuinctum, tantâ humanitate, & hilari comitate, & incomparabili fauore continenter exceperis, quæ mea sunt diligenter protexeris; hoc meæ gratitudinis monumentum tibi libenter offerre duxi; quod licet exile, & munusculum sit, attamen tantò magis tuâ authoritate, & tutelâ indiget, vt sic à detrahentium dentibus ereptum, possit illæsum vbique consistere. Vale.*

Massiliæ Idibus Iunij anno 1656.

APOLOGETICON



APOLOGETICON,

QVO VERA GALENISTARVM DOCTRINA, CIRCA PLEVRITIDIS ideam, & curationem defenditur; aduersus Van-Helmontium.



ROGRESSVM Medicinæ nouum Helmõtius stabilire. Prętendit, & veterum dogmata tanquam à veritate aliena reiicere; quæ tamen cùm ipse non benè nouerit, temerario ausu noua principia astruere contendit, vt exemplo isto patebit, de pleura furente.

tract. 56. §. 1. 1. Falsò repræsentat pleuritidem scholarum dicens: *Inter defluxiones, siue catarrhos à scholis numerari, eamque definire cruentum apostema, in quo pleura, siue succingens costas membrana à costis auellitur, cum febri continua, & dolore loci.*

Etenim si veram legitimæ pleuritidis definitionem attulisset, quam ex Galeno recepimus, subscribentibus Ægineta, Alexandro, & Aëtio, esse inflammationem membranæ costas succingentis, apostematis nominę non definiuisset. Hinc sequitur quod si pleuritis sit inflammatio, quod est genus definiti, ineptè apostemati tribuitur, quia licet sit inflammationis species, talis est quatenus materia ipsius abscedit, & ad suppuratum vergit; quod pleuritidis genus non omni tribuitur, velut inflammatio. Falsò ergo redarguit cum sumit speciem pro genere, quo iure sophistici, & cauillatoris nomen meretur, & eò magis cùm nobis imponit, pleuritim inter defluxiones, siue catarrhos numerari: quod cuidam speciei competit, nempe pleuritidi ab inflammatione per defluxionem productæ, vt suo loco demonstrabitur, de genere, seu omni pleuritide enunciat.

Lib. 5. de loc affec. cap. 4.

Neque insurgas ex Auicennæ authoritate definientis pleuritidem apostema calidum: abutitur enim voce apostematis, & latâ significatione cum inflammatione confundit. *10. 3. tract. 4. cap. 1.*

2. Errores definitionis quos obiicit, ipse incurrit, & obmissiones absque vllo fundamento inculpat: *Adeóque quæ semper morbum definiunt diathesim, & inter qualitates ponunt: iam pleuritidis productum, siue effectus, ad deflui catarrhi positionem consequentes morbum censent; interque substantias locum parant. Non autem amplius inter intemperiem, diathesim, & actionis læsionem.* §. 2.

Helmontius volens veterum dogmatum inconstantiam insinuare, veritatem illorum celare conatur: simulans nos malè posuisse in definitione cruentum apostema, à defluente catarrho productum: quasi verò res ita apud nos reciperetur,

ſubticens noſtra theoremata, à longa ſeculorum ſerie ratione confirmata. Videlicet cum pleuritis phlegmone ſit,morbus in magnitudine, intemperie, & ſoluta vnitate rectè nuncupatur : nam inſtar aliorum tumorum tria prima morborum genera complectitur,docente Galeno. Quorſum ergo ſub fucato caractere noſtram doctrinam tegit, & ſenſum mutat, niſi vt nouitatis cupiditate nos velut erroneos, & falſitatis ſectatores vanè reprehenderet.

Lib. de differ. morb. cap. 12.

§. 3. 3. *Incertum denique relinquunt, an phlegmati catarrhove ſalſo, an verò cruori iſthuc expulſo, pleuritidem adſcribant. Ac ne minimum quoque explicant, quæ ſit illa furioſa diſpoſitio, quæ ſua thymoſi diuellit pleuram à coſtis. Attamen iſta thymoſis eſt natura & motu prior defluo catarrho; & catarrhus prior iſta diuulſione, eaque diuulſione præcedit apoſtema.*

Contra negantem principia non eſt diſputandum : quod Helmontius denegat, nos pro certo ſtatuimus, videlicet cauſarum pleuritidis, quaſdam eſſe internas, alias externas: cauſæ internæ ſunt omnes humores ſanguini permixti, ſed præcipuè frequentiúſque ſanguis purus, aut cum bile mixtus; vt ex ſputo rubro, aut flauo colore infecto coniicitur docente Galeno: vbi etiã pituitam non excludit, tuncque ſpumoſa exſcreantur : neque etiam nigram bilem huius cauſam eſſe inficiatur, vbi niger eſt ſcreatus; quum bilioſa inquam ſanguinolentaque fluxio aſſatur. Hi verò humores, tum pituita, & melancholia ſine ſanguinis commercio pleuritidem parere nequeunt ; cum morbus hic inflammatio ſit, ex affluente ſemper fit ſanguine, ſiue is bilioſus ſit, ſiue pituitoſus, ſiue melancholicus, vt author eſt Galenus. Licet ergo pleuritis pituitoſa, & melancholica rara ſit, ob illorum humorum craſſitiem, denſam pleuram peruadere non valentem : non eſt tamen impoſſibilis. Scio harum cauſarum poſitionem Helmontio non arriſiſſe, quia humores alios eſſe præter ſanguinem negat, bilem flauam, & atram, tum pituitam renuit : cuius argumenta in noſtra apologia refutauimus, vt repetitione non ſit opus.

Lib. de conſtit. art. c. 15.

5. de loc. affec. c. 3.

Quantum ad modum cauſandi dubitatur circa has cauſas internas, humores ſcilicet, qui dolorem hunc adeò atrocem, tanto impetu & thymoſi cauſent : certè Fernelius cauſam doloris lateris, vel phlegmonẽ, vel deſtillationem, vel flatum agnoſcit, quorum cauſalitatem, vel leuiter in Medicina iuſtructus, ponit in partis intemperie, vel ſolutione cõtinui, quæ ſunt immediatæ doloris cauſæ; ita ad pathologiam medicam vos remitto, vt huius difficultatis amplam deciſionem percipere valeatis.

Lib. 5. de part. morb. c. 11.

Verùm ſi ſit quæſtio de cauſa antecedente interna, aſſerimus vnicam eſſe, nimirum fluxionem humoris, cuius nomine & materiæ collectionem, & congeſtionem intelligo, quæ fit in ipſa parte ob infirmitatem facultatis expultricis : tum etiam materiæ quæ aliunde venit affluxum. Huius autem fluxionis tres ſunt cauſæ : prima eſt à parte quæ continet in eam quæ cõtinetur. Secunda orgaſmus ſeu gargaliſmus materiæ, vel humoris ferini ; ſubſtantiâ tenuis, qualitate acris, atque maligni, & temperamento, aut corruptione calidi : qui vel anadromem & recurſum facit à partibus inferioribus ad ſuperiores, vel

vel apothesim depositionem à superioribus ad inferiores. Tertia causa est attractio, quæ fit ab ipsa parte inflammatione obsessa, ob calorem, & doloris acerbitatem: adde lateris membranę debilitatem, quia latus carne nudum est præ reliquis corporis partibus, & non habet aliquid quo nitatur; ideò commotis humoribus ab aliqua causa procatarctica, iisque excalefactis, eorum defluxus in illam partem facilè cōcitatur. Attamen non est hic disputandi locus de prioritate causarum pleuritidis, si distinguamus earum motum in fieri, vel in facto, vel vtroque, partim in fieri, & in facto: tunc constabit quod ista thymosis, seu humoris impetus non sit prior defluo catarrho; cùm certum sit hunc impetum esse à catarrho productum, & ab isto impetu fieri diuulsionem, ac dolorem. Lib. 5. de part. morb. c. 11.

Causæ externæ sunt imprimis constitutiones temporum Aquiloniæ, vt docet Hippocrates: quia Aquilo suâ frigiditate & siccitate, partes corporis exangues, cuiusmodi est pleura, vehementer lædit: aër enim frigidus ad eas partes inspiratus, dolorem seu tristem sensum facit; dolor verò fluxionem aduocat. Tum etiam corpora frigiditate & siccitate exteriùs densata, effluxuque libero priuata, repletiora redduntur, & proinde ad fluxionem magis præparata, maximè si austrinam constitutionem antecedentem, Aquilonia excipiat, & subsequatur. Sect. 3. Aphor. 5.

§. 4. 4. Hisce positis, cur in quæstione ponit? an pondus pituitæ decidentis, pleuram à costis auellat? Credo Helmontium rudes & imperitos potiùs reprehendere, quàm veros dogmaticos aliter sentientes, vt ex dictis satis demonstratum est. Neque cupio vltrò examinare quæ loco citato nobis obiicit, *per quas vias à cerebro pituita ad intercostalem membranam decumberet; & quomodo hanc partem auelleret & laceraret.* Si notum sit duplicem esse pleuritidis differentiam, vnam veram & legitimam, aliam notham, seu spuriam. Galen. 5. de loc. affec. c. 3.

Vera pleuritis iam descripta est, si addamus huic aliam eius æmulam, ad exquisitam accedentem, quę in musculis intercostalibus internis sedem habet, quibus inflammatis impossibile est quin inflammatio membranæ contiguæ communicetur; quæ discernitur ex minori pulsus duritie. Notha verò est inflammatio musculorum intercostalium externorum, quæ cum febrem habeat adiunctam, tussi tamen sputisque caret: & præterea nonnulli sic affecti, presso extrinsecùs inflāmato loco, dolere sese fatentur. Dātur etiam alij lateris, aliarumque thoracis partium dolores, qui ad notham pleuritidem reuocantur; quando nimirum mediastinum inflammatur, cùm dolor est in sterno, vbi angustiam, & offendiculum quoddam inter inspirandum, potiùs quàm dolorem sic affecti persentiunt; quum etiam pulmo costis alligatur: humores serosi vel pituitosi à capite in thoracis musculos defluunt: flatus eosdem musculos, aut thoracis membranas diuellunt: & vapores à ventre inferiori eleuati easdem partes vellicant, aut distendunt, vt in lumbricis sæpè contingit.

In quibus omnibus pleuritidis speciebus, si quæras vias per quas materia ipsius affluit? Respondeo per vasa thoracem nutrientia eam

excurrere,& si quantitate, vel qualitate,vel motu peccet, in membranam, eamque duplicem, & valde sensibilem, & quandoque ad musculos vicinos effundi. Dum ergo per venam intercóstalem sanguis effluit,superiorum costarum fit pleuritis, quæ intercostalis dicitur: vel per venam azigon, id est paris expertem, vnde pleuritis inferiorum costarum,quæ hypochondriaca appellatur: per mammariam, vnde pleuritis antica,seu mediastini, quæ mediastina nuncupari potest:& per venam thoracicam, vnde fit pleuritis dorsalis in basi scapulæ, quæ thoracica vocatur: in hac dum sanguis in externos thoracis musculos effusus fuerit, ex materia quidem veram;at ex situ notham pleuritim facit. Hi omnes riui ex vno fonte deriuant, ex vena caua ascendente; sed ex trunco ipso,intercostalis, & azigos: ex ramo autem subclauio intra thoracis cauitatem recondito,mammaria propagatur: ex altera verò eiusdem rami parte è thorace exiliente,axillari scilicet, ad axillas delato,thoracica diuaricatur. Et per hasce vias seu venas sanguis inflammationem facturus, in variis pectoris partibus colligitur; vnde variæ pleuritidis differentiæ emergunt.

Lateris dolor è destillatione contractus,externas corporis partes occupat, oriturque humore frigido è summo capite per ceruicem in scapulas & omoplatas, tandémque in lateris externos musculos illapso. Hic tametsi nequaquam pleuritis est,perseuerans tamen veram pleuritidem accersit, seu quod sensim altiùs penetrans, tandem se in mesopleurios, & succingentem membranam insinuet; seu quod illius dolor nouam fluxionem eò prorítet è venis.

5. Ex dictis euidenter constat, quænam sit defluxionis & diuulsionis lateris origo,& causalitas tam in legitima, quàm notha pleuritidis specie; adeò vt ampliori declaratione non sit hæc materia deducenda: & abs re conqueritur nos nondum docuisse vias, *quibus è capite continuitas in transitu catarrhi esset à cerebro ad intercostalem membranam,multoque minus,qui suo eminus pondere id præstaret. Nec etiam istum euulsorem adhuc denominarũt, tanquam potentem laceratorem, qui pleuram costis, pertinaci, multaque vndique fibra adnatam,auellat.* Nos siquidem huiusce affectus notas, ex ipsa affectus, & affectæ partis natura, tradidisse putamus: imprimis quod membrana sit, necesse est dolorem punctorium sentiri; talis est enim membranarum dolor, cum distendũtur à materia præcipuè biliosa, in vno loco collecta: à quo etiam necessariò trahuntur, & distenduntur reliquæ partes vicinæ, quod villi omnes contrahantur:vnde dolor modo ad iugulum, modo ad infernas costas, quæ hypochondria attingunt,protenditur.Quod si non crediderit Helmontius sanguinem pituitosum,verbi grat.in pleura collectum eam à costis auulsisse, quoniã est maioris violentiæ opus, quàm decumbentis pituitæ: ad id censemus non tam solius pituitæ crassitiem, aut pondus, aut tardum motum esse spectandum, quam illius serositatem salinam,vel acidam substantiam extraneam, prauo sanguine permixtam, quæ motũ ipsius acceleret,& prauâ qualitate partem illam costalem malè afficiat, vnde dolor insigniter punctorius exsurgit. §. 5.

git. Hinc dum nouum auulsorem, Helmontius indigitare voluit, qui intemperiem pleuræ causando, & ipsius continuitatem soluendo, per illas easdem qualitates, quas ipse primus excogitasse credit, nempe acidas, vel salsas, aut amaras, vel acerbas, cum ipso consentire videmur. Non debuerat ergo tam speciosis vti aduersus nostram sententiam reprehensionibus, cum diuersis vocibus eamdem rem explanare contendimus.

§.6. 6. Vanè redarguit, dum inutilem censet considerationem venæ azigos *siue absque pari, inter costas distributæ, duntaxat ad cruoris depletionem nos conuertendo, per solam venæ sectionem iteratam, quasi reiectâ catarrhi consideratione inter curandum, putemus eâ parte primò causam appulisse, qua cruor velut per accidens, è vena impari illapsus est inter pleuram.* Quasi verò cruor hîc impulsus esset effectus causæ pleuritidis, & non ipsa pleuritidis causa: etenim cum essentia pleuritidis sit in inflammatione pos[illegible], seu tumore præt. nat. à sanguine, quantitate, qualitate, & motu peccante; quorsum cruor ad pleuram impulsus, non erit huiusce morbi causa, potius quàm effectus. Et consequenter annon rectâ indicatione progredimur? cùm venæ sectionem iterandam præcipimus, vel alioquin quotidianæ experientiæ reluctandum est, quantum leuamen sic affecti ex hoc celebrato remedio percipiant.

§.7. 7. Sed perge, *instituunt phlebotomiam, & cruorem educere tentant per reuulsionem, è vena azigos rea, tanquam causa proxima immediata, & continente. Ast vbi iam vester manet catarrhus pituitæ, vel bilis è capite defluxus? quique suo duntaxat pondere pleuram à costis lacerat? cruorem saltem retro reuellere intendunt a vena impari.* (Hoc ludicrum existimat) quoniam etsi vena cubiti, *vsque in cauam, totum depleat cruorem, & hac consequutiuè è vena azigos, cruorem extrahat: scire tamen deberent scholæ, statim post, totum iterum cruo em æqualiter in venas restitui; vnde manifestum fit, vanas esse reuulsionis & deriuationis nænias: quippe quibus concessis, adhuc nonnisi pro paucula mora inseruirent intentioni.*

Vana est Helmontij refutatio, non enim inculpamus venam azigon tanquam huiusce morbi causam proximam: sola enim est via, seu vena vna, licet aliæ sint, per quam sanguis phlegmonem pariés prætergreditur. Catarrhus cùm comes est, consideratur vt antecedens causa, cuius consectarius dolor non censetur pleuritis, nisi cùm in pleuram & mesopleurios musculos sese insinuarit, aut partis dolor nouam fluxionem è venis accersiuerit, vt iam dictum est. Quod verò obiicit de reuulsionis & deriuationis vana spe, non posse nisi pro breui tempore intentioni inseruire, falsum est, & rationi ac experientiæ repugnat.

Vnde Hippocrates, eiusque doctissimus interpres Galenus loquēs de pleuritide, inquit, si dolor ad claniculam pertigerit, aut molesta sit vel brachio, vel mammæ, vel partibus septo transuerso superioribus, grauitas, internam cubiti venam secare expedit. Neque vt copiosè sanguis detrahatur est cunctandum (quod idem pronunciat Hippocr.) si dolor sursum penetrauerit vel clauiculam, vel mammam, vel bra- *Comm. 1. de victu acut. text. 10.*

chium, venam brachij internam secare oportet, qua dolor afficit parte. Pro humorum eorum, qui inflammationem pariunt inclinatione, vacuationes præcipit Hippocr. nempe quò natura vergit, per loca conferentia eò ducere, id verissimum existit: cùm igitur superiorum costarum condolentia signum dederit, venam in cubito secare eā oportet, quæ sanguinem ab affecta parte & magis, & velociùs tum reuellere, tum vacuare possit.

aphor.21. 1.

Instabis si æger sit valde plethoricus, trahetur sanguis versus partem affectam, atque sic vana erit reuulsionis expectatio. Respond. ex parentis mei doctrina: trahere quidem in principio, cùm in locum vacuum succedit sanguis; attamen si fiat larga sanguinis euacuatio, vt facienda est in magna plethora, euacuabitur is qui attractus est propè inflammationem, & in principio inflammationis etiam is qui extra vasa est exclusus, quod liquidus & ca lidus sit. Neque metus est nouæ fluxionis ab attracto sanguine ex alio latere: nam venæ lateris oppositi exinanitæ sunt largâ sanguinis detractione: tum partes nutriendæ ad se alliciunt sanguinem, & quodammodo reuellunt. Hac de re non sunt ampliùs illi audiendi, qui cum Auicenna venam lateris oppositi secare iubent: nam si ea faciendi ratio seruatur, maior virium dissipatio subsequetur, quia à longinquiori parte, neque tam celeriter occurremus dolori. Quocirca Hippocratis doctrinam optimè fundatam insequi oportet; cùm reuulsionis & deriuationis leges, tot seculorum experientiæ conformes complectatur, vt ostendimus in tractatu de Hippocraticæ Medicinæ veritate.

Iacob. Font. an. lib. 2. pract. c. 3.

Sect. 3. c. 13.

8. Concludit Helmontius: *Cum phlebotomia non conducat nisi propter meram sanguinis viriumque extractionem. Vt scilicet natura, euacuationem istam exhorrescens desistat, cessetque mittere cruoris augmentum circa pleuram.* Et sic reuulsionem admittit, dum nos mederi per euacuationem causæ fluentis, & fluxæ, profitetur: præcauendo & præueniendo eius incrementum, & quod factum est dissoluendo, sine virium iactura; cuius rei causâ, ad quantitatem sanguinis mittendi est attendendum, ex eius copia, & virium robore id æstimantes: ita vires mōstrabunt, vtrum confertim, an vna vice, an verò partitis vicibus sanguis sit ducendus. Licet Hippocr. vacuationis modum statuat, ad coloris sanguinis mutationem. Tamen hanc non semper expectare decet; cùm scilicet aut vires infirmæ sunt, ęgerque habitu corporis molli constat, & facilè dissipabili, aut tempus anni admodum calidum, aut inflammatio ita praua, vt de impacto ei sanguine nihil emittatur. Antiqui ad lypothymiam vsque sanguinem mittebant: verùm corpora hâc tempestate, talem venæ sectionem non facilè ferunt; cùm propter dolorem, febrem, tussim, & expectorationem viribus sit opus, quæ superesse nequeunt, si à principio tanta sanguinis copia adimatur. Videat ergo quantum necessaria sit reuulsio & deriuatio per venę sectionem, cum virium custodia.

§. 2.
§. 8.

2. de vict. acutor. tex. 10.

Scio in omni pleuritide, in epidemica scilicet, & malignam causam iunctam habente, phlebotomiam non competere. Hinc Gesnerus meminit cuiusdam epidemicę, & contagiosæ pleuritidis, quâ multi perierunt, & ad quam venæ

Lib. 1. epist. pag. 19.

sectio

ſectio non profuit,niſi ex malleolo, & ab initio ſudor ab antidoto aliquo magnopere contulit.

9. Quorſum ergo rationem illam ab artificialibus deſumptam refutat, vt oſtẽdat reuulſionis inefficaciam : *Torrens quippe fluens ad quẽdam terminum minuitur, ſiſtiturque, ſi ripa eius ad latus aperiatur, & propinquiore,magiſque prono itinere, ad decliuem locum labatur. Sed quid iſtud iuuerit ? nonne obſtipatâ venâ, cruor fluet iterum ad locum deputatum,quamdiu motus initium perſeuerat.* Quin imò à venæ ſectione facta motus cruoris inhibetur, vt eſt iam demonſtratum, dolorque ſedatur.

§. 9.

Vrget hunc motum ſanguine vacuato inhiberi, potius per virium debilitatem : *Scilicet quod natura virium auida,indiga & egena cruoris, ceſſat à ſymptomatico motu verſus pleuram, quamdiu debilitata permanet. Atque ideo non accreſcente pleuritide pro mora,natura velut rumoris & procellæ pœnitens, cogitet de maturatione puris ab extrauenato cruore fabricandi. Quæ cuncta feliciùs ſequerentur, retento cruore, in quo habitat vita, id eſt vires.*

Verùm nunquam crediderim naturam ab illo motu reuulſiuo per phlebotomiam ſubleuatam, magis eneruari, & frangi;conſolatur namque,vt ex placatione doloris ſubſequente comprobatur. Non ergo ſuam operationem intermittit, vt ſuppurationem procuret; cùm ſæpè ſæpiùs expectoratione, aut inſenſili diaphoreſi cauſam coniunctam expellat,& de morbo triumphet,quàm per apoſtematis terminum ſeſe erigat. Quomodo enim victor natura diceretur,ſi in illa poſita debilitate, à ceſſatione influxus cruoris,maturatione procuratâ, exitum morbi compararet. Sed fruſtra laboramus ad Helmontij conuictionem, quia ipſe ſtatuit morbi ideam & ſiſtaſim in cauſa impulſante, cauſante influxum cruoris. Nos verò aſſerimus motum ſanguinis exuperantis, talem cauſam coniunctam impulſantem progignere : & ideò venam ſcindere iubemus, vt cauſa amoueatur, quæ illum impulſum promouet. Verùm ille prætendit tollere cauſam proximam impulſantem, tanquam vulneris ſpinam,non verò ſanguinem. At ſi vitium eſt in ſanguine, ac in venis ? quomodo cauſæ coniunctæ auxiliares manus afferamus; ſi priùs antecedenti cauſæ, à qua poſterior pendet, & fluit non occurrerimus. Debet ergo manus dare noſtris demonſtrationibus, & experimentis, longâ ſeculorum ſerie confirmatis.

10. Ineptè igitur concludit,cauſas morboſas ambas manere in ſuis effectibus, loquens de cauſa impulſante,quæ cruorem extra venas profundit in loca indebita, quæque pleuram à coſtis furiosè auellit. *Quæ cauſa,inquit,ſimul connexa,ſunt quidem ante effectum,in eodem tamen effectu perſeuerant adeò, vt materialiter & efficiẽter ſint ipſimet effectus.* §. 10.

Quaſi verò iſta thymoſis, ſeu humoris impetus pleuram diuellens,eſſet prior defluo catarrho:cùm certò pronunciemus hũc impetum cauſæ impulſantis, eſſe à catarrho productum,& ab ipſo fieri proximè diuulſionem, ac dolorem.

Nec proinde iudices ; *Tardum eſſe, & impotentem ad hunc effectum pituitæ falſæ & ſalſæ è capite(per non exiſtentes canales, aut viarum continuitates) decurſus, ac ſomniati defluxus catarrhoſi.* Ac ſi plures aliæ

causæ in hoc affectu non concurrerent, scilicet plethora, materiæ è variis corporis partibus anadrome, aut apothesis, eiusque orgasmus, gargalismus, multiplex corruptio, ac feritas, vt ab initio declarauimus.

§. 11. 11. Paracelsi inaduertentiam, seu potius ignorantiam profert: *Fingit salem ogertinum, à se nominatum, esse pleuritici doloris causam, vt insanas microcosmi leges suas in nobis tutetur.* Forsan Helmontius in suis nouitatibus non meliùs fundatur; cùm causas quas enunciat principales & radicales; ineptè ab antecedentibus seiungit, ab hisque independentes instituit; quas consequentes & connexas denominare debuerat: quum enim ille causam impulsantem, & diuellentem proximam, & præcipuam statuit, cruoris fluxum prouocare, & causare; ita nostram mutat sententiã, potiùs nouitatis quàm veritatis studio: nos enim rerum naturas, in serie causarum, eo modo non disquirimus; sed præcedentes & προηγουμένας priùs consideramus naturæ prioritate, ac ordine, quàm coniunctas & continentes: quicquid ipse nouiter & falsò contra excogitare sit ausus.

§. 12. 12. *Non pudet asserere, neminem hactenus declarauisse, quare recedat pleura à costis, quibus continuatio fibrarum, filo adnata est; an videlicet sponte sua, an verò per alium laceratorem auellatur: satisfactum dubio contenti, si dixerint à pondere deuoluentis catarrhi, auelli à costis. In cuius tamen dubij, tanquam radicis, sedationem, tota consistit pleuritidis sa-*

§. 5. *natio, & præcautio.* Repetita est obiectio quam supra decidimus: nec tantum ex dolore punctorio hunc affectum dignoscimus, sed ex febre continua acuta, ex phlegmone producta, siue febris ipsam symptomaticè subsequatur; tunc enim dolor lateris ab initio ægrum corripit, febris verò paulò post: aut eodem tempore apparet. Vel febris essentialis primò ægrotantem inuadit, cùm sanguis in venis efferuescens expellitur secundo, aut tertio die in partes laterales, vnde inflammatio pleuræ subsequitur, doloris causa.

Respirandi difficultas in hoc affectu necessariò contingit, cùm partes pectoris inflammatæ, ob magnã spirandi necessitatem, nec satis dilatari possunt ad inspirandum, neque ad expirandum colligi, vnde parua fit, & frequens respiratio.

Tussis molesta coniungitur, initio sicca, deinde humida, nam ex loco inflammatione obsesso, aliquid serosum, postea flauum, & rubrum exsudat, & in thoracis capacitatem effunditur: dum vero thorax expirando deprimitur, ac multò magis dum in tussi vehementer comprimitur, humorem qui in capacitate est cogit, reiicitque in asperæ arteriæ bronchiorum orificia patentia, dum tandem frequente tussi foras exigatur.

Pleuritici pulsum vrgente vsu celerem habent, & ob partis membraneæ affectum, insigniter tensum & durum: ob quam duritiem pulsus minor erit, quàm febri conueniat, vnde necessariò frequens efficitur: magnitudinis namque vsui necessariæ defectum natura crebritate compensat. Erit igitur pulsus celer, frequens, paruus, ac durus, imò & serrinus ob inæqualem arteriæ duritiem.

Adiungitur subsequenter propositis signis sputum cruentum; quod quidem neque in omnibus pleuriticis, nec in omnibus morbi tempo-

ribus

ribus apparet. Ideò inter ſigna pathognomonica non recēſetur: quod tamen non recipit Helmontius, cùm cruorem putet eſſe productum à laceratore pleuræ, tanquam quid neceſſariò conſectaneum. Cùm viceuerſa nos concipiamus inflammationem tanquam doloris, & diuulſionis pleuræ proximam cauſam, febrem verò plerumque cōſectariam, tum reſpirandi difficultatem, tuſſim moleſtam, & pulſus duritiem, ac inæqualitatem; neque proinde neceſſariò ſputum cruentum, vel ſymptomata & ſigna, tanquam fructus conſequentes, ſiue producta attente obſeruemus; attamen cauſarum ſcenam, & radicum eſſentialium quaſi ridiculam, & fruſtraneam non negligimus, vt ex præcedenti reſponſione ad §. 5. conſtare poterit.

13. Examinemus authoris conſiderationem in pleuritide per exem-
§.13. plum explicatam. *Ergo autē in pleuritide conſidero primum motorem internum ſiue calcar: ac dein laceratorem pleuræ. Et vtrumque vnum idemque efficiens ſui, ipſam voco pleuritidem. Cruorem autem eò affluentem, & effuſum indeque natum apoſtema, tanquam productum conſidero; quorſum communem adducam experientiam in exemplum. Sit ſpina parti alicui infixa: cui ſuccedit in inſtanti dolor, à dolore mox pulſus; à pulſu cruoris affluxus: vnde tumor febris apoſtema &c. ſpina ergo poſt ſe mouet cœtera.*

Hæc conſideratio cùm verum, & ſolidum fundamētum non habeat, meritò lectores hærere, & addubitare accidit, ac primùm quidem ſibi ipſis diffidere, tanquam ea non aſſequantur quæ propoſita ſunt, & aliquid falſitatis præ ſe ferre ſuſpicantur. Etenim præterquam quod confundit cauſam coniunctam, & continentem cum morbo contra artis regulas, errat in cauſæ poſitione. Quomodo enim in carne vel membrana colligitur hic motor, ſi aliunde non confluxerit: quod vt clariùs explicetur, repetenda eſt Hippocratis doctrina. *Lib. de veteri medic.* *Supponēdo primò, quod qui à cauſo febricitant, vel peripneumoniis inuoluuntur, aut aliis validis morbis, non facilè caloribus liberantur, nec hic frigidum aduerſus calidum ſe erigit. Atqui ego hoc ſignum ſyllogiſticum eſſe exiſtimo, quod non à ſolo calido abſolutè homines febricitent, neque hoc ſit vnica afflictionis cauſa; verum idem eſt vnà amarum & calidum, aut calidum & acidum, & ſalſum & calidum, & alia innumera; eademque frigidum cum aliis facultatibus conſociatum.*

Secundò ſuponendum eſt, vt harum cauſarum origo euidentior fiat ex eodem Hippocr. *Quam eleganter igitur, & quàm congruenti ratiocinatione hæc inueſtigantes, iuxta hominis naturam hæc inuenerunt primi indagatores, ac æſtimauere artem Deo dignam, quemadmodum etiam à poſteris receptum eſt: etenim nec ſiccum, nec humidum, neque calidum, neque frigidum, nec quicquam ex his exiſtimarunt homini damno eſſe, neque quoquam bonum opus fore homini putauere: ſed quod in vnoquoque forte, & naturâ humanâ potentius eſt, vt ab ea edomari nequeat, hoc ipſum eſſe quod damnis augeret corpus opinati ſunt; atque id exigere quæſiuerunt. Robuſtiſſimum eſt inter dulcia dulciſſimum, inter amara amariſſimum, inter acida accidiſſimum; & in omnibus adeò rebus vigor ipſe ac ſummum. Hæc enim homini ineſſe viderunt, & hominem affligere. Homini enim ineſt, & amarum, & ſalſum, & dulce, & acidum, & acerbum, & inſipidum, & reliqua*

reliqua infinita, omnigenas facultates habentia, copiamque & robur. Atque hæc mixta ac contemperata inter se, nec sensibus conspicua sunt, nec hominem affligunt. Vbi verò quid horum à cœteris secessionẽ fecerit, atque ipsum per se solùm constiterit, tunc & sensui conspicuũ fit, ac hominem fatigat.

Et licet Vanhelmontius hunc locum pro sua doctrina confirmanda afferat, tamen malè ab ipso intelligitur: Ne verò aliquis existimaret hîc de aliis causis quàm de humoribus sermonem haberi, addit inferiùs: *Præterea cuncta alia mala quibus affligitur homo, ea omnia ex succorum potẽtiis proficiscuntur; verbi causâ, si amaror quidam secernatur, quam bilem flauam appellamus, quales illicò iactationes & æstus incandescentia, & prostratio virium inuoluunt? verùm liberati ab illa nonnunquam, aut vltrò aut pharmaco purgati, modo, loco & tempore quid horum factum fuerit, liquidò & doloribus & ardoribus defungũtur. Quãdiu autem eadem mole turgida, & pepasmi expertia, & immoderata fuerint, nullâ arte nec dolores nec febres placari poterunt.* Quo loco animaduertit quales passiones dimanent ex succorum exuperantibus qualitatibus & viribus: ac facultatem quidem appellat, humorum excellentes qualitates viresque, ἀκρότητας καὶ ἰσχῦς.

Hoc idem euenire ait. Hippocr. *Quibus acuti, & acerrimi, & aruginosi succi molesti sunt, quali mox rabiei, ac viscerum thoracisque morsibus, & anxietati inuoluuntur? neque horum finis, priusquam iidem excludantur, & sedentur, & aliis remisceantur; concoqui autem, & mutari, attenuarique, ac crassescere in aliam humorum ideam oportet.*

Igitur cum ex doctrina Hippocratis certum sit, quod humores simul mixti, & contemperati illam extremam & fortem qualitatem, siue amaram, acidam, aut salsam non demonstrent, nisi quando in a ii s succos degenerant: sic dicens circa finem lib. cit. *Si dulcis humor in aliã ideam mutetur, non quidem propterea quod aliis remixtus, sed ipse abiens à pristina sua indole, qualisnam primùm fiat? amarus, an salsus, an acerbus, an acidus? sanè acidus succus omnium maximè erit incommodus, reliquis aliquantum commodis existentibus: etenim dulcis omnium vtilissimus est.* De veter. Medic.

Ex his certò sequitur non solum habendam rationem humoris seiuncti, & segregati, sed etiam alterius qui manet cum reliquis humoribus permixtus; & ita sedulò intẽdere debemus, ne ex noua causarum præternaturalium incursione, tales succi exuperantes à sua mixtione abeant, & sic de nouo influãt ad productionem succorum extremorum & fortium. Igitur non abs de causa consideramus nos, sanguinis biliosi; vel pituitosi motum, quantitatem, & qualitatem illam potentem, ac extremam ab Hippocrate iudicatam, siue sit acida, amara, dulcis, acerba, aut salsa.

Hinc colligimus euidẽter quàm malè Helmontius subticuerit considerationem causæ antecedentis, & solius coniunctæ mentionem fecerit, sine quarum causarum cognitione curatio perfecta nullatenus celebrari poterit: & vt vno verbo dicam, non ideò per se & principaliter agit ille primus motor internus, quod cruorem attrahat; illud enim ex accidenti contingit: sed quia ex illa prima succorum mutatione

tione, & secretione acquirit vim, & facultatem fortem, & extremam; vnde suæ facultatis excellentiam perenniter mutuatur, hic primus motor nominatus; qui potiùs secundarius, & ab alio pendens est nominandus. Atque etiam non recipitur illud exemplum metaphoricum, de spina: quia claudicat ista comparatio, ex eo quòd hæc sit causa externa & euidens: at succus parti impactus, diuulsionem & dolorem pariens, est causa intrinseca, quæ à præcedente intra venas latente incrementum & facultatem suscipit, & particularem sui prouidentiam insinuat, diuersam ab ea quæ causæ continenti debetur, motrici ab Helmontio nuncupatæ; possumusque eo sensu enunciare causam primò mouentem, non esse illam quam ponit Helmontius, sed potius aliam antecedentem, quæ motu suo, & alteratione interueniente fouet, & perenniter nutrit coniunctam, & continentem causam.

De veter. Medic.

Loco cit. de veter. Medic. Quod sanè confirmatur demonstratione ab Hippocrate deducta, asserente: *Causas cuiusque affectionis esse censendas, quarum præsentiâ talem affectionis ideã nasci necessariũ est: quibusque in aliud temperamentum se flectentibus affectio cessat.* Hoc autem euenire ostendit, non solâ calidi in frigidum mutatione, sed humorum exuperantium acrium commoderatione, & concoctione, seu pepasmo. *Quod explicat exemplo coryzæ acrioris; quæ non solùm in tumorem nasum attollit, verùm eundem æstu incandescentem ad manus tactum torret, & si diutius perseueret, etiam locum exulcerat. Sedatur autem aliquo modo ardor in naribus, non cum fluxus prodit, & inflammatio consistit; sed postquam fluxus crassior, & minùs acris, & iam coctus, ac rectius permixtus priore fuerit; tunc sanè æstus placatur.*

Vbi attendit Hippocr. non tantum ad id, quod parti est impactũ, sed ad succi aliunde fluentis contemperationem, & concoctionem: cùm si solus adesset calor sola refrigeratio indicationem præberet. Hoc idem demonstrat de rheumate cursum suum in oculos flectente, *cùm validis prædita sint acrimoniis, exulcerant palpebras, quin frangunt ac etiam rodunt oculi tunicam. Hinc dolor, æstus, ac summus ardor aliquamdiu fatigat, donec scilicet rheumata coctione edomita fuerint, ac crassamentum nacta fuerint, ac lemæ ab ipsis gignantur. Fit autem coctio ex mixtione, & temperatura mutua, mutuáque veluti elixatione.*

Vbi rheumatis curam affert, consequenter considerat causæ fluentis prouidentiam, non tantum in dictis partibus, sed in aliis quibuslibet, verb. gr. *Quæ in fauces delabuntur, ex quibus raucedines, anginæ, erysipelata, peripneumoniæ, animaduertuntur cuncta hæc ineunte fluxu salsa, & humida, acriaque affluunt, & in talibus incrementis morbi augescunt. Vbi verò crassa euaserint, ac pepasmo mitigata fuerint, & ab omni acrimonia aliena euaserint, tunc ilicò tum febres soluuntur, tum cætera quæ hominem affligebant mitescunt.*

Concludimus inde, non tantum esse considerandam causæ coniunctæ, & iam fluxæ contemperationem; sed etiam precedentis & fluẽtis ideam, degenerationem, & fortem qualitatem, in pleuritidis & morborum acutorum generatione; à qua pendet & defluit illa causa continens, quam vt solam & inde-

pendentem falsò astruit Helmontius, primum motorem internum, siue calcar: *ac dein laceratorem pleuræ; & vtrumque vnum idemque efficiens sui, ipsam vocat pleuritidem; cruorem autem eò affluentem, & effusum, indeque natum apostema, tanquam productum considerat.*

Quod tamen non est veritati cõsentaneum, quia sputum cruentum non semper subsequitur pleuritidem, vt experientiâ ipsâ comprobatur: sed tantum illam quæ à sanguinis copia exuperante inducitur. Neque semper apostema hunc dolorem sequitur; quoniam dolor ex phlegmone, seu tumore pr. nat., exsurgit: at tumor nisi fieri prohibeatur, reprimendo materiam influentem; vel per recursum materiæ spõtaneum intrò delitescit. Nec suppuratione solâ terminatur, sed resolutione, quæ potissimum per sputi expectorationem contingit, quæ salubris est; vel tumoris induratione, vel putrefactione: quæ exitum periculosum adducunt.

§. 13. cit. Inane ergo iacit fundamentum, dum asserit: *Metaphoricam spinam pleuritidis, & propriè loquendo ipsam pleuritidem, esse peregrinam aciditatem conceptam in archeo, quam si fuget, & deponat in cruorem venæ cauæ? ea certè ad venam azygos, imò vel in ipsam propinquam costarum carnem expellitur: vnde apostema tanquam pleuritidis productum.*

Errat mirificè, vni causæ proximæ tribuens, quod à multò pluribus prostat, vt iam subindicauimus; cur

§. 5. cit. enim potius amara, quàm acida causa hunc morbum faciet? desuper quorsum censetur in Archeo concepta? absona & Philosopho indigna dictio (aciditas concepta in archeo:) atqui archeus est aura vitalis seminum, & vitæ directrix, ἐνορμον Hippocratis. Ergo neque est subiectum, neque causa, nec dicit esse in; aut esse ab, sed aliquid aliud præter naturam in massa humorum conceptum, spiritus & natiuum calorem corrumpens.

Hinc non bene concludit, dicens: *Sicut apostema natum ab infixa digito spina, nonnisi temerè curatur per venæ sectionem: sed propter solam spinæ euulsionem, sanationem promittit? ita contingit in pleuritide.* Supra namque demonstrauimus, aliam causam præter naturam in venis esse attendendam, quæ istam coniunctam, & parti infixam foueat: cuius merito dum vena secatur, solamen huic morbo comparatur.

14. Videamus quâ ratione aciditas in pleuritide concurrat; nam hoc perpetuò, & absolutè sumptũ, contra summi Hippocratis & Galeni mentem pronunciatum videtur: *Acidum qui eructant, non sunt pleuritidi obnoxij.* Nam hi sunt pituitosi; & pituita densior est, quàm vt facilè subeat tunicam costis intextam. Quin eiusmodi homines toto corpore algiosi sunt: nam acidi ructus sunt à ventriculo frigido, tum à succo aliquo tali sapore donato. Quin si salsa etiam fuerit pituita, aluum mouebit: ac tales pleuritidis vitant facilè inuasionem, teste Galeno in comment. quod pituita hæc mordens intestina infrà deuoluatur: quare vera pleuritis hos non fatigabit. Sæpè tamẽ euenit ab aquosa tenuiq; pituita pleuritis in hisce regionibus, sed illa non vera est, ac exquisita. Quare sedulò cauendum, cùm in his corporibus frigidis ac pituitosis, sæpè grauissimi laterum dolores proueniunt

niunt à flatibus, fotibus demulcendi: si venam pertuderis, necabis.

Verùm obiicies circa contemplationem aciditatis in terminis

§.14. pleuritidis: *Vt acor in stomacho est gratus, & ordinarius sapor: sic extra stomachum, omnis aciditas est præter naturam, & hostilis. Sic nempe tormina ab acido intestinorum; in lotio stranguria, in vlceribus corrosio, in pelle scabies, in artubus podagra, &c.* Respondemus succum acidum in duplici versari differentia: vnus est naturalis, & stomacho amicus, à liene proueniens per vas breue, quo ventriculi Archeus vtitur ad ciborum dissolutionem: alius verò est præter naturam, qui frigidus vulgò censetur, acidumque ructum parit, & cruditatem acidam sibi consociat; vnde tales rarò pleuritici fiūt; quo casu accedēte fit pleuritis notha, quam ventosam vocant. Nec inculpanda est sola succi aciditas in prædictorum affectuum generatione. Etenim tormina dysenterijcorum, non à solo succo acido, sed etiam à salso, vel amaro & biliosõ, aut quouis alio facultate corrodente prædito, suscitantur. In lotio stranguria; in pelle scabies, in artubus podagra, dolor, vel corrosiuus sensus contingit, non à solo succo acido, sed sæpiùs à salso, amaro, vel simili, vt sensibus patet, & diuersa temperamentorum constitutio cōmonstrat. Ergo ineptè Helmontius causam primam & efficiētem pleuritidis, in sola aciditatis contemplatione proponit: cùm plures aliæ ipsius causæ à nobis assignentur.

§.cit. Rursus insurgit, vt confirmet aciditatem esse pleuritidis causam. *Ast si archeus in cruoris gremium, leniculam sibi sinistro applicatā aciditatem deposuit; statim extrauenatur, eiicitur à venis spreta, & apostema parit, vbicumque id locorum contigerit. Sin verò profundius id in venis eueniat, pestilens aliquod pathema insurgit. Quod probat:* Quippe cruor aut caro nunquam acescunt, absque actuali putrefactionis consequutione (quod alibi per carnes belluarum, sub canicula ocissimè putrefientes, ideò iusculum acidum dantes probaui ex instituto.) Cruor enim acescens, mox contra naturam venarum, totiusque carnis indolem (quamdiu viuit) coagulatur. §.15.

15. Ad id respondemus, causam putrefactionis sanguinis intra venas, non esse aciditatem illîc depositam: nam putrefactio humorum fit à superaucto calore dissoluente humidum à sicco, augetur verò calor à prohibita transpiratione subsequente copiam & qualitatem humorum prauam; indéque ex illa dissolutione fit segregatio sanguinis non perpetuò in acidum, sed frequentiùs in amarum succum. Cuius rei obseruatio ex frequenti sputatione per tussim succi flaui & amari colligitur, potiùs quàm acidi. Vnde Hippocr. asseruit: qui acidum eructant, rarò pleuritide tentantur. Adde quod, licet aciditas in vino v. g. introducatur ex dissolutione spirituum: attamen iuxta heterogeneitatem mixtorum, fit vt aciditas in liquore introducatur; amaritudo in parte pingui, & sulphurea; salsedo in crassiori & tartarea portione. Quare non in omni dissolutione ad putredinem, aciditas contemplatur, sed amaritudo, ac salsedo pro partium varietate.

16. Cùm ergo non sit certum istud fundamentum de aciditate

ſanguini communicata, malè concluditur phlebotomiæ vanitas, di-
§.16. cens: *Hinc ſequitur, quod facti apoſtematis in pleuritide, non poteſt eiuſdem cruor per venam ſectam euacuari, vtcumque nomen reuulſionis aut deriuationis, in morbi metum, & ægrorum deluſionem, iactitetur. Itemque nec venæ ſectio impedit, ne quid deinceps amplius aceſcat, cùm phlebotomia priuationis tantum vim habeat: nec poſſit eductus cruor inhibere, ne, qui intus aciditatem hauſit, eandem deponat.*

Multò plura conſiderare decebat in pleuritidis, ſeu pleuræ inflammationis therapeia, primò morbi magnitudinem, vaſorum plenitudinẽ, ſanguinis exſuperantis motum, febrem coniunctam, dolorem punctorium, nõ ab illo acore præſuppoſito, ſed à ſanguine bilioſo phlegmonem in parte cauſante; vt inſinuatur à ſputo cruento, & flauo per expectorationem reiecto: quæ occaſionem præbent ſanguinis mittendi; ſine qua nec cauſa poteſt euinci, nec ſymptomata morbum conſequentia placari; ad quæ præſtat efficaciſſimum præſidium, venæ ſectio promptè celebrata. Alioquin experientia, & ſenſus fructuoſus inde emergens denegatur.

17. Vt probet ſanguinis miſſionem non eſſe condignum pleuriti-
§.17. dis remedium: *Quia quod tale eſt tenetur in archeo cauſare auerſionem ab aceſcendi conceptu: eſt enim exorbitans aliqua peſtilenſue impreſſio in cruore, ſi aceſcat vt vt tenuiter. Sin autem ab endimico, in thoracem ſpirato, vel aliàs intus nato veneno acido, archeus infectus ſit, iſque venarum cruorem, vel alium in alimoniam deputatum affecerit; ſtatim eundẽ cruorem quæuis pars putredinem extimeſcens, à ſe repellit. Hoc inquam eſt calcar efficiens, atque vera pleuritis.* Vnde infertur quod eductus ſanguis prohibere non poſſit, vt qui intus illam aciditatem ſuſcepit, deponere valeat.

Ad id Reſpond. remedij indicationem, non ſolum ab illa aciditate in cruore concepta deduci, ſed etiã ab ſeroſitate ſanguinis amara, ſalſa, acerba; vt videtur primus medentum Hippocrates ſenſiſſe, dum ſcribit: *Non calidum, frigidum, humidum, ſiccumue morbi ſunt: ſed quod acre, amarum, acidum, & auſterum eſt.* Vnde concludimus cauſam efficientem pleuritidis non eſſe ſolam illam aciditatem, cùm aliæ cauſæ concurrant ad ipſius generationem, vt iam ſatis amplo ſermone demonſtrauimus.

18. *Eſſe autem acidum in pleuritide, ex eo patet; quod in pleuritide lotium, & cruor venâ ſectâ elicitus grumeſcant etiam exeundo, ſiue ante cruoris condenſationem, quæ grumeſcentia ſiue caſeatio, eſt acoris effectus.* §.18.
Acorem in cruore & lotio probat ex grumeſcentia; quaſi illa condenſatio & craſſities ab alia cauſa non proueniret: ſcilicet à craſſorum corporum permixtione, fibrarum condenſatione, quorum ratione videmus ſemper ſanguinem fibroſum coagulari, cuius ſanè ſubſtantia non eſt corrupta; quod ſi aliter putrefacta fuerit, fibris conſumptis, non coagulatur.

Latex autem aceſce s, in intercoſtales carnes incidens, facit dolorem pleuriticum: non autem verum & conſtantem affectum, quemque id irco flatulentum nominant. Tradit cauſam nothæ pleuritidis in recremẽto pituitoſo acido, & flatulento; quod nos quoque concedimus: ſed non

non ex eo probatur acoris exiſtentia in pleuritide. Si enim hæc potiſſima eſſet huiuſce morbi cauſa, proculdubio ſputum quod à pulmonibus,ex pleura affecta exſudans attrahitur, talem ſaporem acidum præ ſe ferret:cùm tamen ſæpè amarum, ſalſum, & rarò acidum ſapiat: quod ſignum obſeruatur patognomonicum, & neceſſarium materiæ peccantis qualitatem,& ſtatum certò ccommonſtrans. Si enim acor perpetua eſſet pleuritidis cauſa,dum cruori communicatur, & ſputum cruentum exprimit, & expellit,acido ſapore præditum perciperetur; contrarium tamen experientia teſtatur.

§.18. Cenſeo errorem Helmontij pendere ab experientiis chymicis, quas forinſecùs obſeruauerat, vt quum liquores acidi immiſcentur alteri, tunc eorum diſſolutiones, aut coagulationes accidunt: ſed hoc non euenit in maſſa ſanguinea, quæ varios potentiâ ſuccos complectitur, qui cùm extremas qualitates acquirunt, ſegregantur actu à reliquo ſanguine, & vires fortes aſciſcunt:hæc autem facultas non comparatur per mixtionem,ſed per degenerationem ſucci, forti illâ qualitate præditi, & per ſegrega ionem ex maſſa ſanguinea: quum ſcilicet ſanguis qualitate, & quantitate peccans à cauſis præter naturam tranſmutatur, & à ſuo naturali ſtatu decidit.

19. Valde digladiatur in quærenda cauſa doloris, & diuulſionis

§.19. pleuræ: *Igitur aciditas confeſtim dolorem parit: doloris autem propriũ comitem, ac cauſam, dixit conuulſionem. In qua pulſus antea latens manifeſtatur,indureſcit arteria,& comitatur dolor.* Tanti ergo facit hunc pleuræ ſpaſmum, vt dicat: *Quoties intenditur iſte motus,toties aliquid fibrarum dilaceratur à coſtis: dumque ſe vel tãtillum remittit,accurrit cruor vicinus, in locum rugarum, contrahendo fracturam. Hocque iteratis vicibus, cauſa eſt apoſtematis magni, iuxta frequentiam & aſperitatem contracturarum.*

Ita noua Philoſophia riſu digna cenſetur: certum ſiquidem eſt materiam iſtam pleuræ, vel muſculis meſopleuriis impactam alterare, & ſoluere continuum ipſarum, & dolorem punctorium inferre. Iſta verò diuulſio non eſt ita manifeſta, vt contracturam notabilem faciat:partium iſtarum pulſationem, conuulſionem,duritiem, punctionem concedimus; vnde cruoris acceſſio;ſed non eâ ratione, vt fibrarum fracturam procuret, vel apoſtema cauſet: quin ſæpiùs per expectorationem, & anacatharſim ſenſibiliter expurgatur, vel per alias artificiales euacuationes ſenſiles, vel inſenſiles Pleuritis diſcutitur.

Auocet dolor cruorem quantum licet; ſed nõ proinde ſequitur quod cruor extrauenatus,vt ipſe loquitur: *Aut alioqui iuſtam doſim ſuperans, ob ſymbolum fermenti acidi conceptum, hoſtilis fiat, & præſtò coaguletur.* Tum quia conſiderandus eſt proprius motus ſanguinis qualitate, & quantitate exuperantis, antequam dolor appareat, & noui cruoris, etiam à præcedente cauſa incepti, poſt dolorem ſucceſſiua confluxio. Et ſic malè concludit, quod cauſa doloris ſit illud acidum, cùm potius ſit alius humor phlegmonem generans, ex quo poſtea ſubſequuntur alia ſymptomata, nempe dolor, febris,tuſſis, reſpirandi difficultas, pulſus durities, ſputa vario colore, & ſapore conſtantia.

20. Nec maiorem fidem præbet, quæ de peripneumonia pronunciat:
§.20. *Quod si acor in venam arterialem, vel arteriam venalem (quæ sunt vasa pulmonis) dispergatur ab infecto archeo, necessitata aduenit peripneumonia pulmonis.*

Qualis est ista loquutio, quæ acori tanquam causæ inflammationis, tribuit, quæ sanguini vt plurimum bilioso concedenda est. Aura vitalis, & spiritus vim patitur, à causa præter naturam præsente, sed non inficitur vt putat Helmontius; quia perenniter occupatur in mitificatione materiæ peccantis, eiusque pepasmo, donec scopum perfectè attigerit, sicque morbi, eiusque causæ victoriam reportauerit. Si verò succumbat, pars affecta putrefactione, & gangrænâ corrumpitur. Quod cùm ita sit, cur nos reprehendit, tanquam nescios causæ continentis, ac radicis morbi propositi: quum potius ipse toto cœlo aberret in depositione causæ efficientis; vnde nec certas indicationes curatorias elicere valet.

21. Posito falso fundamento, falsa sequitur conclusio, dum ait: *Spi-*
§.21. *nâ euulsâ, facilè cessat reliquum. Nisi forte diutina morâ apostema ipsum fecerit spinosum. Nam semel formato apostemate vel vlcere, licet à tergo nec radicem in corpore sint nacta, nec aliunde foueantur, per se stant deinceps, subsistuntque absque alia sui tutela. Incumbendum ergo spinæ euellendæ: estque tabidi vlceris pertinacia; quod vlcus iam spinam non habeat, sed spinosum euaserit.* Significat ergo in ista propositione, spinâ nempe causam continentem, quam esse pleuritidem docet, si auellatur, facilè tolli affectum, modo locus non fuerit spinosus: intelligens, si productus ex dolore cruor, & apostema aciditatem contraxerit; tunc enim tabidi vlceris pertinacia ingēs introducitur. Quod si ita sit, quomodo asserit? apostema à dolore pleuritidis partum, non aliunde foueri, sed per se deinceps subsistere, & vlcus à diuulsione partis affectæ genitum, iam spinam non habere; sed spinosum euasisse: certè hæc ratiocinatio est futilis & inepta; quod enim naturam causæ induit, & est effectus illius, ab illa subsistētiam, & dependentiam habere debet: atqui apostema genitum, & factum spinosum induit naturam causæ præcedentis, & est effectus prioris causæ. Ergo ab illa necessariò fluens dependere debet in genere causandi. Sed quia hic author noua profert principia, etiam nouas ideas, sed parum rationi consentaneas proponit. Nos meliùs asserimus, quod si dolor pleuriticus intra tot dies, verb. gr. quatuordecim, aut viginti non quieuerit, tunc inflammatio quæ dolorem pariebat, apostema generat, quod quadragesimo, aut sexagesimo suppurans rumpitur, & empyema seu puris collectionem efficit, quæ deinde intra quadraginta dies per expectorationem expurganda est; alioquin vltra commorans pulmonem exulcerat, & tabem adducit, vt certò pronunciat diuus Senex: *Quicunque a pleuritide empyri (hoc est purulenti vel suppurati) redduntur, quando expectoratione repurgantur intra quadraginta dies, ex quo ruptio facta est, liberantur: sin minùs in phthisim degenerant.* Vide suppuratorũ in morbis thoracis causas, signa, exitus. lib. prognostic. & in coacis prænotionibus. Hoc pacto exponimus totam huiusce morbi historiam iuxta leges

aphor. 15. lib. 5.

Lib. 2. pag. tex. 48. vsque ad 70.

leges à natura ſtatutas, experientiæ conformes, non vero per iſtos metaphoricos terminos, obſcuritatem, & tenebras offundimus.

22. Si ergo Helmontius attendiſſet ad generationem huiuſce affectus, neceſſariam cauſarum antecedentium cum coniunctis, mediatarum cum immediatis connexio-
§. 22. nem admiſiſſet: *Gignitur itaque in nobis ſponte pleuritis, dum primæ digeſtionis hoſpes in alienam meſſem peregrinus inuolet: vel aliàs inſpirato endimico virulento. Cumque eſt pleuritis populariter frequens; in multo enim æſtu repentinus, multuſque affatim frigidæ hauſtus, pleuram, non ſecus atque aliud acidum irruens, contrahit.*

Quid aliud hoc denotat? niſi quod humor peccans in ſuis digeſtionibus malè celebratis, ad pleurā confluens ſit cauſa pleuritidis; qui ſi conſideratur vt eſt mixtus cum ſanguine; & adhuc exiſtens in motu, cauſæ antecedentis ideam gerit. Si verò, vt ſegregatur à ſanguine, & parti impingitur, cauſæ coniunctæ, & continentis nomen aſſumit, non tamen abſque prioris dependentia. Sic etiam de cauſis venenoſis virulentiſque, vel aliis procatarcticis iudicandum; quia ab his interni humores inficiuntur, & cōſequenter virus parti affectæ impertitur.

aphoriſ. lib. 5.
§. 23. 23. *Cum aſſerit, culinam pleuræ, non eſſe in tenuiſſima, ac indiuiſibili eius membranula: ſed in contigua ſibi intercoſtali carne.* à vero aberrat, quia nouus iſte terminus nihil facit ad partis affectæ conditionem, quæ in exquiſita & vera pleuritide, eſt ipſamet membrana pleura; quæ non ita tenuis eſt, ob duplicitatem ei connatam, vt obſeruatunt anatomici recentiores; & proinde cruorem eò affluentem cum aliis ſuccis permixtum, ſuſcipit ex venis vicinis. Quando verò eadem materia ad muſculorum meſopleuriorum carnem propagatur, minùs exquiſitam pleuritidem facit, cùm non tātus eſt dolor punctorius, nec tanta arteriæ durities, vt ſupra expoſitum eſt.

Vitiato ergo cruore, dum in fieri eſſe eſt, ad alimentum pleuræ, illicò aceſcit, fitque vera pleuritis. Et paulo infra: *Sed pleuritis contingens ab acido cruore, aliunde contaminato, morbos plerumque habet alios prænuncios.* Vitium ergo cruoris conſiderat, vel quando parti affigitur, vel aliàs quum aliunde illud contraxit: ſed quouis modo concipiatur, non poteſt denegari cauſæ coniunctæ ab antecedenti dependentia, vel ſaltem concurſus alterius ſucci cum ſanguine corrupto mixti, præter acidum; nempe amarum, aut ſalſum, vt ſæpius demonſtrauimus.

24. Futilis propoſitio propalatur: *Eſt autem pleuritidi proprium,* §. 24. *quod mox naturam ſui peccati pœniteat, adeoque horrore admiſſi erroris, delictum ſuæ digeſtionis libenter corrigat. Ac proinde ad ſanationem exigitur tantum, vt ſpina & confuſæ digeſtionis productum auferantur, in ipſo cruore circūſtante, imò & in ipſo apoſtemate.* Supponit, naturam connatam ſuæ conſeruationis ſpeciem habentem, ſeſe erigere ad cauſæ coniunctæ in cruore conceptæ digeſtionem, & euacuationem: ſed peccat in aſſignanda illa cauſa coniuncta, quam nos firmiter aſſerimus eſſe ſanguinem, frequenter bilioſum, phlegmonem cauſantem in pleura; contra acidum illum ſuccum rarò cenſeri cauſam huiuſce affectus,

affectus, vt ex Hippocratis oraculo probauimus. Vnde certò profitemur calorem, & ſpiritum vitalem inſurgere, ad digeſtionem materiæ pleuritidem efficientis, ſed non ſub illo charactere aciditatis; cùm potius amaritudinis idea ſit hoc in affectu conſideranda; hinc verò cruor exiens non eſt productum illius ſpinæ, quia ille ſuccus productus fuit antea cum ſanguine qualitate peccante, & potentiâ talem ſuccum comprehendente. Quo iure nec apoſtema illicò ſequitur, ſed potius idem cruor vitiatus, à calore natiuo mitificatus, & in meliorem conditionem redactus, vt expurgari deinceps valeat, ſi triumphare deceat, in ægri ſalutem.

§.cit. Subdit Helmontius rationem cuiuſdam obſeruationis, cuius vi noſtram ſententiam deſtruere putat. *At pleuritis, quæ per phlebotomiam eſt reſtituta, ſæpè poſt annum recurrit, ſæpiuſque tabem poſt ſe relinquit. Quia reſiduæ ſpinæ negotium relinquitur ſolius naturæ humeris ſuperandum, abſque adiutorio reſtaurante characterem ibidem morantem.* Ego obſeruaui talem pleuritidem ter recurrentem annis alternis, in egregio Domino Iacobo de Martignon patritio Maſſilienſi ſexageſimum quintum annum ſuperante, qui corporaturâ macilétâ donatus erat, & catarrho obnoxius: quum verò lateris dolore detinebatur, per geminatas venæ ſectiones, tum pectoralia præparantia, per catharſeim benignam, poſt diem ſeptimum celebratum, per expectorationem materiæ pituitoſæ & bilioſæ, tum etiã per leues diarrhæas einſdem ſortis, incolumis euadebat, & ab omni morbo immunis. Poſtremò tandem repetente eadẽ affectione, ſed æquò malignioribus ſtipata ſymptomatis, & virium notabili proſtratione, remedia illa ſolemnia, vt venæ ſectionem vſurpare noluimus, niſi priùs vires præſidiis cardiacis, tam intùs, quam extra adhibitis re‑ocillatæ fuiſſent, ac dolor per fomenta lenitus, & alia ſpecifica pectoralia in vſum veniſſent: quorum ope pleuritis curata fuit: verùm febris perſeuerauit ex prauis humoribus in venis corporis, putrefactionis focum habentibus; & tandem in hecticam commutatis; ſimul iuncto dolore iſchiadico, ex antecedente materia illûc tranſlata; tandem conſumpto humido radicali, ab hac febre, & dolore poſt aliquot menſes interiit: Nullo ante permanente foco in pleura, aut muſculis meſopleuritis; ſed foco febris mutato, & ſeroſitatibus alibi tranſuectis; vnde cordis ſubſtantia fibroſa, & ſolida ſenſim labefactata, huiuſce funeſti euentus occaſionem aduexit.

25. In ſequenti dictione confundit id, quod ex accidenti euenit, cum eo quòd per ſe fit: *Veteres quidem ſenſere, vbi dolor & calor, eò affluere cruorem. Sed ſpinam præcedentemque motricem aciditatem, vt neque ſpaſmodem dolorem, nemo (quod ſciam) adhuc attigit: vnde tamen duntaxat ſolatium ſperari debebat.* Quaſi verò dolor à tumore inflammatorio in pleura concepto, ex ſanguine confluente, non exoriretur: nam cruor qui ſubſequitur dolorem, ex euentu attrahitur, augetque dolorem: neque is eſt qui ſtatim ac eſt attractus expellitur per ſputum; ſed qui ex inflammatione reſudat, à pulmonibus allicitur, & per tuſſim reiicitur: neque ſubſiſtit quod attractum eſt, quin priùs ſubactum, & mitificatum, vel ſenſibiliter per expecto §.26.

expectorationem vacuetur, vel insenbiliter dissoluatur, & exhalet. Nec sanguis quando sputo miscetur, grumescit; sed rubedine suâ serositatem, cui permiscetur inficit, & rubro colore tinctum sputum reddit.

26. A vero etiam alienum credimus, quod adducit circa cruoris affluxum in pleuritide, & dysenteria:
§.26. *Porro dysenteria se separat à pleuritide, non tam acore causæ materialis, quàm subiecti varietate.* Inde sequeretur, quod si acidi munus sit coagulare cruorem, is æquè in dysenteria grumesceret, ac in pleuritide; cùm vtrobique eadem materia concurrat. Respondet Helmõtius: *Neque intestina à tergo carnem habent pro culina; idcirco eius membrana, apostema non fert. Quapropter adueniens cruor ad torminum solamen, non induratur, aut grumescit, nec fibras cruor mesenterij adhuc nactus est, quibus coaguletur, aut in apostema tuberet. Quare in dysenteria affluens ille cruor, in solamen purgantis doloris ex acido, effluit non grumefactus. At cruor qui intra pleuram & costas sistitur acidus, grumescit, apostematur.*

Ad hoc dicimus culinam exquisitæ pleuritidis, non esse carnem musculosam. Sed solam pleuram, humore sanguineo, & bilioso infarctam, vt iam dictum est; vnde non maior est ratio coagulationis cruoris in pleura, quàm in intestinis; cùm in ambabus partibus, sit membranæ duplicitas. Adde quod quando inflammatur caro musculorum pleuræ propinqua, non semper grumescit cruor, aut in pus vertitur: non quidem propter aduersarij rationem, quâ asserit, id euenire, quũ in pleuritide cruentum sputum, non coagulatum (quia nondum acidum) velut ad solamen doloris accurrit: quasi tale sputum non esset effectus causæ morbi; etenim sputum quod expectoratur tussis beneficio, non sẽper est illud cruentum, quod ex accidenti ad locum inflammatum attrahitur; sed frequentiùs portio materiæ sanguineę, & biliosæ, quæ confluxerat ad generationem morbi, quæ paulatim à natura subacta, & perenniter ex inflammata parte resudans, per tussim à pulmonibus attracta reiicitur salubriter: non semper coagulata, aut in pus conuersa, sed per pepasmum mitificata, & variis coloribus infecta.

27. Cùm supra dixisset: *Quod cruor qui intra pleuram & costas sistitur acidus, grumescit, & apostematur.* Deinde concludit, pleuritidem §:27.
à peripneumonia causis occasionalibus, vt neque remedio differre. *Suffunditur namque cruor in pulmonis parenchyma, iuxta spinam pleuriticam:* Quâ ratione nonnulli asserunt in omni pleuritide peripneumoniam coniungi. Verùm concedendum est in plurimis pleuriticis pulmonem cum pleura simul esse affectum, facilè enim fluxio in vtrãque partem decumbit, cùm pulmo pleuræ superiori parte alligetur; asseueramus attamen, solam pleuram sæpè inflammatione affici, illæso pulmone, aut saltem ita leuiter affecto, vt morbus, illius partis affectus dici nequeat. Licet ergo peripneumonia eandem habeat cũ pleuritide essentiam: materiâ tamen aliquatenus differunt, siquidem pleuritis fit frequentiùs à sanguine bilioso; peripneumonia sæpiùs à pituitoso. Pituita etiam excrementitia per viam catarrhi à cerebro de-

fluens, peripneumoniam efficere poteſt, quatenus in pulmone putreſcens ſanguinem attrahit, ex cuius admixtione inflammatio oritur, & hæc ſæpiſſimè in ſenibus contingit.

In ſequentibus diſtinguit vomicam à peripneumonia, defectu acidæ ſpinæ: hoc videtur aduerſari
§.21. priùs propoſitis, dum ait: *ſpinâ euulsâ facilè ceſſat reliquum: niſi fortè diutinâ morâ apoſtema ipſum fecerit ſpinoſum.* Et ſi plures morbi non differant materiâ occaſionali, (vt
§.27. ipſe ſubiungit,) *Sed membrorum atque functionum diuerſis agentibus, ac proprietatibus; quæ plerumque non tantum variant remedia, quam adiacentia à proprietatum poteſtatibus pendentia.* Quod cum ita ſit, ſequitur, quod non ſit ſolùm ſumenda indicatio à cauſa coniuncta & continente, ſed etiam ab aliis quæ pendent à membrorum, atque functionum diuerſis facultatibus. Ineptè
§.21. ergo Helmontius cenſet: *Semel formato apoſtemate vel vlcere, licet à tergo nec radicem in corpore ſint nacta, nec aliunde foueantur, per ſe ſtant deinceps, ſubſiſtuntque abſque alia ſui tutela.* Quod falſum eſſe ſupra mōſtrauimus: vnde in curatione ad varios ſcopos eſt reſpiciendum. Ob id in pleuritide, cum ſuperuenit empyema, ad nouum opus eſt incumbendum, nempe ad puris confecti, & vomicæ ruptionem, atque reiectionem, & tabis præſeruationem, non autem ſoli ſpinæ euellendæ. verùm Vanhelm. à recta ſcholarum via diſcedens, ad varios, eoſque inextricabiles ſcopulos deflectit.

§.28. 28. *Liquet inde enim, quàm irritum in dyſenteria enematum remedium. Quippe dyſenteria eſt tantum tenuium inteſtinorum; aliquot vlnis diſtantium, à craſſioribus, clyſteriorum capacibus.* Hæc obiectio non eſt ad rem, niſi oſtendat, de diuerſarum partium affectarum diatheſi, habendam eſſe rationem. Quum verò aſſerit dyſenteriam in inteſtinis tenuioribus tantum collocari, errat; quia hæc affectio tam in craſſis, quàm in tenuibus ſubſiſtit, vt colligunt dogmatici ex qualitate doloris, & ab excretis: ſi enim tenuia inteſtina laborēt, dolor eſt acutiſſimus, & magis pungens; deinde aluus poſt dolores ſtatim non depletur; ac tandem ſanguis cum recrementis eſt valde permixtus. Cōtra in affectu craſſiorum; dolor eſt minùs vehemens, & diuturnus; à torminib⁹ ſtatim fit excretio; cruor, & purulenta materia deiectionibus ſupernatat, aut parum permixta cernitur. Verùm tamen eſſe cenſemus; quod ſi ſuperiora inteſtina vlcerata ſint, medicamenta cōuenienti qualitate prædita per os exhibēda ſunt; ad quæ clyſterum materia peruenire nequit: nam tunc ſi clyſteres iniiciantur, eo tantum ſcopo iuuant, ad impediendum ne excrementa inferiùs delabentia, ipſis craſſioribus inteſtinis noceant.

Subdit: *Itaque in pleuritide, & peripneumonia vtuntur phlebotomo, ad neceſſariam cauſarum (vt aiunt) ablationem. Quaſi ſi ſola plethora ſanguinis (quã tamen dicunt vnicã & adæquatam ſectionis venæ indicatricem) eſſet illarum genitrix.* Reſponſum eſt ſupra, ex quibus fontibus §.16. inſinuetur venæ ſectio, in pleuritidis curatione; vnde repetitione non eſt opus.

29. *Cæterùm illinctus præſcripſere, non quidem ad cauſæ remotionem;* §.29. *verum ad faciliorem ſputorum expectorationem: illinctus nempe ex farfara,*

fara, è pulmone vulpis, &c. In thoracis & pulmonum affectibus solent Medici eclegmata, syrupos, tabellas præscribere, quæ per arteriam asperam ad pulmones feruntur, & sputum prouocant, quod præterquam experientiâ probatur, hoc certo quodammodo, nempe sensim, per latera asperæ arteriæ ferri experimur; vt doctè demonstrat Laurentius.

Lib. 9. anat. quæst. 25. Eclegmatum vsum non facere ad causæ remotionem negamus; quia hæc est summa totius curationis, per expectorationem sputum prouocare; alioquin si sputum, licet coctum & mitificatum subsistat, defectu virium non sufficientium ad expulsionem, ægri suffocantur. Cur ergo hoc remediũ reiiciemus? Verum dices talem sputi expurgationem non auferre morbum; quia cum tali expectoratione, viscus, *spinæ in nobis author, remaneat malè affectum, perstite apostemate pus comminante. Quodque nisi stato dierum numero (authore Galeno) integraliter sanetur, phtisis indubia sit expectanda.*

Respondeo hoc verum esse in illa pleuritide, in qua per expectorationem, non potuit tota materia expurgari, vndę dolor non quiescit post vigesimum; quod relinquitur in parte, suppuratur, & nouã morbi historiam producit. Verùm si ante vigesimum, remediis rectè adhibitis, & conatu naturæ iuuante dolor quieuerit, & expectoratio debita, & proportionata materiæ peccanti præcesserit, neque abscessus, aut puris collectio, aut tabes vllatenus subsequitur. Notanda etiam est distinctio de suppuratione, quæ nõ semper est vera, & propriè dicta, quæ vel ex sanguine corrupto, vel ex pituita putrescente puri analoga generatur.

§. 16.

§. 29.

30. Obiicit, scholas vbique circa curam palliatiuam morborũ occupari: *Scholarum studium, non tam collimat ad sanandum, quàm ad præcauendum dumtaxat incrementum. Id est, non causæ radicalis respectu, sed producti posterioris obtuitu: ne scilicet vergat in deterius. Est nempe scholis perpetuum, onus relinquere suum naturæ, in diem criticum sperare, & differre. Nam cum præter purgationem, & cruoris emissionem, vix agnoscant remedia; tantùm ad diminuentia liquoris, & virium procedũt, sicque solam curam palliatiuam circa effectus & producta posteriora occupatæ. Vt nimirum residuum in culinæ mangonia, atque præscriptam diætam relegent, siue quos beatior dispositio custodit, siue aliter in difficiliores morbos ruerint, seque destitutos in incurabilium numerum redegerint.* §. 30.

Vacuare & reuellere causam antecedentem, nempe sanguinem biliosum, quantitate, & motu peccantem, per phlebotomiam eiusdem lateris, quæ promptè reuocat causæ motum, dolorem causantis: causam morbi temperare, & ad pepasmum præparare, partem exteriùs relaxare, emollire, & quod fluxit discutere; coctam materiam vacuare, quæ in primis viis hæret, & in secunda regione putredinem contraxit, purgare: expectorationem promouere; nonne illud est causam radicalem auellere? & morbum lateralem, methodo curare, & præseruare simul. Quod ex effectu, & felici remediorum successu consequimur, & multos ægros ab imminenti periculo liberamus. Quin tam à venæ sectione abhorret; quinimo sæpè sæ-

piùs sanguis putridus hinc extractus, & cum debita moderatione, vt solet fieri in istis locis maritimis, magnum & notabile adiumentum adferat, atque lateris dolores atroces mirificè sedet. Scio quamplures peccare in nimis liberali, & repetita venæ sectione, sed moderatam timidè reiicere malè sapit, & experientiam temerè impugnat.

Facetè nos redarguit, hoc in loco, circa dotes eclegmatum, & quorumdam medicamentorum vsualium, quorum proprietates, non ita, vt ipse proponit, accipimus; sed prout vim obtinēt præparandi materiam morbificam, tum contemperandi, & mitificandi, vt postea expulsioni facilior euadat.

§. 31. 31. Quæ cùm ita sint, cur adeo exclamat contra atrocem medētum incuriam? cùm inquit: *At nil à scholis cogitatum, pro spinæ pleuritidis ablatione: vnam tantum ob culpam. Nimirum quod eandem nesciuerint, & indagare neglexerint, inuicem subscribendo contentæ. Vires infirmi interim infirmiores reddunt, & posthabent, tanquam volentes perdere, per iteratas venæ sectiones, quasi stratis viribus, aliquid opportuni deinceps sperandum sit.* Mordicùs censet acidum in pleura contentum esse causam doloris, & cruoris, quod in pleuritide nótha, & flatulenta cùm solummodò concurrat; & causam exquisitæ pleuritidis non statuat, quæ in pleuræ phlegmone consistit; haud dubio indicationes curatorias omittit, quæ ad veram morbi curationem necessariò requiruntur.

§. 32. 32. *Proponit sua remedia, quæ spretà maledictà venæ sectione, balsamo vitæ, ac naturæ viribus seruatis, radicalem spinam euellunt. Sic nempe statim dolor, sputum cruentùm, atque febris cessant placidè, ipsumque diuulsum continuum mox incarnatur. Sunt nempe mea remedia, quæ neminem in pleuritide & peripneumonia derelinquunt. Puluis de virga cerui, vel tauri, vel cruor hirci, vel succus cichorij syluestris, flores papaueris syluestris, ac plura talia.* Et paulò infra: *huiusmodi namque præsidia, archeo amica, atque domestica naturæ humanæ, causam immediatam in archeo corrigunt, tolluntque acorem, & ad diaphæresim disponu:t cruorem, dolorem pacant, quia aciditatem extinguunt, ablato quoque acoris fermento, resoluunt quantum possunt cruoris extraueuati reliquum, neglectà puris destinatione, tempestiua deijciunt per tussim.* Nos verò præter venæ sectionem, ac vulgaria alia remedia huic morbo valdè proficua, alia quidem vsurpari posse propria, & specifica concedimus, nempe flores papaueris rubri, vel destillati, vel ex succo in syrupum redacti.

Quercetanus laudat pomum excauatum, & thuris masculi drachmâ vnâ repletum, & ad ignem coctum, quod æger degluttiat, superbibendo aquæ cardui benedicti vncias tres: postea benè contectus sudet; quod remedium post tertium morbi diem vsurpari debet, eoque multos à dolore lateris liberatos fuisse. Quæ etiam à proprietate occulta iuuant, sunt cinis priapi tauri exhibitus ad drachmam vnam, cum aquæ melissæ, aut hordei; aqua cardui benedicti à proprietate mirè confert. Similia præsidia non sunt reiicienda, sed ab his solis morbi curatio non est expectáda, nisi alia, quæ per indicationes probatas solemus elicere, imperemus. *In Pharmacopœa.*

§.33. 33. Immeritò redarguit dicens: *Non enim dyſenteria poſcit aſtrictiua; nam ſub indicatione ordinaria: ſiue ſub conſtipatione,& adſtrictione mors mox adeſt.* Poſito namq; quod dyſenteria eſt frequens, & cruenta alui deiectio cum ventris dolore, ac torminibus, ab inteſtinorũ exulceratione dependens: proculdubio ab acribus ſuccis inteſtina exulcerantibus,procreatur;quales ſunt bilis flaua,porracea, æruginoſa, atra, tum pituita ſalſa, vel certè peculiari quadam, & malignâ qualitate prædita,quâ inteſtina exulcerari valeant.Sed quæ medicanda indicantur lenientia,abſtergentia, vacuantia, vlcus conſolidantia, fluxumque conſtringentia, & malignitatem expugnantia. Ante ſeptimum diem, priuſquam vlcera inteſtinorum probè abſterſa fuerint aſtringentia per os non conueniunt:quę tamen exhibenda ſunt poſt ſufficientem purgationem; diſtinguendo fluxus qualitatem, ac indolem, an ſit ſymptomaticus, an verò criticus; vrgentiori ſymptomati ſemper occurrentes: quum ergo aſtrictio eſt conueniens,modo,loco, & tempore, præſcribitur bolus armena, terra lemnia, puluis granorum actes cum ſaccharo,etenim adſtringendo, malignam qualitatem diſenteriæ coniunctam, oppugnant: obſtructio verò quæ ab horum vſu metuitur,ſaccharo inhibetur. Neſcio an remedia Helmontij ex ſanguine leporis,& carne ſicca, tum ex vngulis iumentorum pulueratis ſint meliora? In Pharmacopæa.

34. Quantum ad illos clyſteres notatos ſpectat, certè non in qualibet dyſenteria conferunt, nec niſi quando ex loci affecti conditione inſinuantur, vt in dyſenteria craſſorum inteſtinorum; & remedia ex rectis indicationibus elicita, diligenter præparai debent. Eſt enim inter affectus periculoſos, & curatu difficiles.

35. Ex illa obſeruatione authoris pleuritici, manifeſtè apparet,nõ fuiſſe exquiſitam pleuritidem, ſed notham, ex mediaſtini inflammatione;vnde pleuritis antica, de qua in principio ſermonem habuimus; quod probatur ex doloris mutatione ad alium locum; tum ex radice ipſius in liene ſtabulante; indeque materia flatulenta exoriens, facilè per præſidia diſcutientia fuit ad integram curationem perducta.

36. His poſitis & ſtabilitis manifeſtè conſtat, quàm vana ſit Helmontij præſumptio, in quærenda noua pleuritidis cauſa, ac noſtræ methodi,longâ & ſecurâ arte,& experientiâ doctiſſimorum Medicorũ, confirmatæ,impugnatione: cum tamen noſtra curandi ratio, debitè celebrata, inculpata ſit,& cum magno fructu,ac tanti morbi debellatione, apud omnes recepta probetur, & cum admiratione amplectatur; quoties enim vena ſecatur in vera pleuritide, ſtatim, & eorum omnium videntium oculis dolor ſedatur: dum purgatio leuis inſtituitur, præſentibus indicationibus, quæ à noſtris doctoribus exactè obſeruantur, videmus naturam deinceps recreari, & ſarcinâ recrementorum, & laticis liberata, alacriori vigore ſuo fungi munere,quod potiſſimum in expectoratione verſatur: annon videmus alui fluxu critico ſæpe pleuritidem ſalutariter terminari; purulentam materiam in thorace collectam per vrinæ vias, criticè euacuari. Quod nos docet, non vno modo & vnicâ regulâ, in

huius morbi therapeia procedendum : & licet varij errores ab indoctis Medicis, vel malos mores ſectantibus,inter praxim committantur. Attamen viri dogmatici, verique Medicinæ Doctores,regulas indicationum conſequẽtes,rarò aberrant, & ſuas operationes cum prudentia, iudicio, & rationis trutina ponderant,atque dirigunt : & quod curari poteſt,præſtant;quod inſanabile eſt præſagiunt, atque omnia arte,& experientiâ gubernant,vt ex longa noſtræ diuinæ artis approbatione, confirmatum ſtabilitumque videmus. Quare non debebat Vanhelmontius,veteris Medicinę principia ac fundamenta ſubuertere,ſed quæ intermixta erant, non ſatis intellecta, vel non valdè veritati conſona,corrigere,& ſub meliori ſenſu reformare.



CONSVLTANDI

CONSVLTANDI METHODVS

Ad quoslibet affectus propositos curandos necessaria.



ONSVLTATIO ex Philosopho libro 6. Moraliũ Nichomachio, cap. 9. est rectitudo, quæ secundum vtilitatem, & id quod oportet, & sicut & quando existit, ad quendam finem tendere & spectare videtur. Clariùs Piccolomineus c. 22. grad. 2. Philosoph. Moral. definit eam inuestigationem per rationem mediorum latentium, quæ ad nos pertinent, ac in nostra facultate sunt, vt potiora inueniamus pro consequẽdo fine. Medica vero consultatio nihil aliud est quã perquisitio optimorum remediorum per intentiones, & indicationes varias facta, ad propositum morbum expugnandũ, ad varia peritorum Medicorum solertia & consilio.

Galenus comment. in libro 1. de rat. vict. in morbis acut. ait, ad benè medendum imprimis quisnam sit affectus dignoscere oportet, deinde qualis futurus sit prænoscere, tum aggredi ipsum curare, hoc idem axioma repetit lib. 10. Meth. medendi cap. 6. quo in loco ea quæ inter consultandum nũquam omittenda sunt, exponit.

De Diagnosi affectuum in genere.

SECTIO I.

Διάγνωσις morbi habetur iuxta Galenum lib. de constitut. art. cap. 16. lib. 1. de crisib. cap. 3. & de simpl. medica. facul. ex multis capitibus, imprimísque à specie morbi, parte affecta, eius causa, morbi magnitudine, more, motu, eiusdemque tempore.

Primùm pars affecta perquirẽda, deinde affectus species, tum causæ, & reliqua suis signis sensim indaganda: si tamen affectus parte affecta conspectior videatur priùs erit explicandus; vt inde faciliùs affecta sedes alioquî obscurior innotescat: si pars laborans per se nota sit, inter consultandum, affectus species protinùs internoscenda occurrit; mox eius expendendæ causæ; sin affectus species, ac sedes conspicua fuerint, sola causa superest indaganda.

Morbi species ex propriis symptomatibus cognoscitur quæ affectum perpetuò comitari solent; quare cum symptomata sint signa speciei morbi, & de illis solùm æger conqueratur, qui primo loco dicit inter enarrandum morbi historiam, differendo

differendo de præteritis & præsentibus à quibus indicatio trahi debet; symptomatum ægrotãtis enumerationem nusquam prætermitat; vt ad morborum cognitionem deueniat Medicus, qui eorum symptomatum, & accidentium causæ existunt.

Morbi verò signa ex quinque capitibus oriuntur. *Primò*, ab actione læsa, quod renuere videtur Fernelius lib. 2. patholo. cap. 8. cum à variis morbis eadem actio lædi possit; attamen Galenus lib. 1. de loc. affectis docet læsarum actionum differentias ipsum affectum declarare: omnis namque morbus partis actionem per se lædit; ergo actio læsa effectus morbi esse dicitur, ideoque eum significat. *Secundò*, ab excretis. *Tertiò*, ex situ partis certis morbis obnoxiæ. *Quartò*, ex doloris proprietate. *Quintò*, ex corporis accidentibus, seu colore, & qualitatibus mutatis; vt color citrinus iecoris obstructionem; His addi possunt iuuantia lædentia; nec non similitudo cum aliis morbis eiusdem generis: ab aliis quoque morbis diuersæ sortis distinguendus est affectus: hæc omnia signa per συνδρομὴν collecta sunt effectus morbum demonstrantes, & quandoque simul partem affectam; Argenterius lib. 1. de signis Med. ca. 5. adiungit signis prædictis propriam cuiusque essentiam, quæ qualis res ipsa sit, ostẽdit. Esto natura rei seipsam manifestet? sed tunc nullo opus erit signo: superiora autem signa rei naturam occultam patefaciunt, quæ non semper omnia, sed quædam necessariò elucent in vnoquoque affectu; vt dicit Galenus lib. 1. de loc. affec. aliquando enim apoplexia ex sola actione læsa, priuatione motus & sensus dignoscitur.

Pars affecta ex Galeno lib. 1. de locis affectis cap. 5. cognoscitur. *Primò*, ex actione læsa. *Secundò*, ab excretis. *Tertiò*, à situ & conformatione partis. *Quartò*, à proprietate doloris, vt grauans est carneæ partis, pungens membraneæ. *Quintò*, à qualitatibus immutatis, vt rubor genarum pulmones vitiatos denotat. Verum aduertendum est an pars primò & per se laboret an verò per consensum, vt sciamus vnde remedia applicanda sint; quatuor modis vna pars alteri compati ur ex sent. Sabini referente, Gal. com. 1. in lib. epidem. partium vicinia, generis cõmunitate, vasorũ communione & operis societate, internoscitur ergo pars ea quæ primario & per se afficitur, ab ea quæ per συμπαθέιαν & consensum laborat; quod pars primariò affecta, alio quouis sublato persistat, & continuò perduret nec alterius partis affectu increscente, eius molestia augeatur: & cum affectio alterius partis non præcessit; & dum habet propria sui affectus signa, quæ autem per consensum afficitur, alteri morbo succedit, plerumque intermitit, neque propria signa obtinet; atque ad alterius morbi incrementum ingrauescit, vt videre est apud Galenum 2. loco affect. cap. 9. 3. eiusdem tractat. lib. cap. 1. & 5. de constitut. art. cap. 16. & Auicennam libro 1. fen. 2. Doctr. 3. cap. 2. Thomam à Veiga com. in lib. loco affecto.

Causæ morbi inuestigandæ sunt, primum externæ seu προκαταρκτικαὶ, quæ vel præsentes adhuc sunt, & sensu deprehenduntur, vel præcesserunt, tuncque ex ægri & adstantium relatu repetendæ: internæ etiã inquirendæ quæ ad humores in nobis

nobis contentos referuntur, qui plethoram tum ad vasa, & ad vires efficiunt, nec nõ cacochymiam biliosam, pituitosam, & melancholicam propriis signis detegendam: Inde Alchymistæ & Paracelsistæ nos humorales nominant, qui prædictos humores denegant, tum in Paracels. labyrintho, & in paragrãmatis; nominantes morbos, mercuriales, sulphureos, & salinos, qui ænigmaticè his verbis loquuntur quæ tamen omnia, ad prædictos humores reuocantur: adde quod Paracelsus palinodiam decantare cogatur lib. 6. Archidoxi, asserens bilem vtramque cum pituita à certis quibusdam remediis expurgari; eum amplè refutat Thomas Erastus peritissi. parte 3. disputatio.

Notandum est humorum signa peti à causis efficientibus disponentibus, & materialibus à quibus producũtur, deinde ex effectis quos producunt: causarum ergo natura constabit ex censu rerum naturaliũ, temperamenti totius & partium principum, ætatis, sexus & consuetudinis, quæ altera est natura. Rerum non naturalium? aëris, cibi & potus, somni, vigiliæ, motus & quietis, animi pathematum, excretorum & retentorum: Et rerum præter naturam: considerandum quippè est, quibus morbis antea laborauerit: Effectus vero causarum colores sunt, sapores, humorum motus, & cæteræ mutatæ qualitates, humorũ quorumcumque dominatum demonstrantes.

Magnitudo Morbi à Galeno l. 4. Meth. Medend. cap. 6. trifariam euenit; *Primò*, propter affectus magnitudinem, vt ex propria essentia & symptomatis manifestatur. *Secundò*, ob afflictæ partis præstantiam. *Tertiò*, ob κακοήθειαν, & causarum malitiam; aut alterius vehementis causæ affluxum; vnde Hippocrates lib. de vlceribus, magnum existimabat vlcus exedens quia κακοήθες & à causa maligna. Vrget Argent. in lib. de different. morbo. sibi contrarium esse Galenum lib. 7. Meth. Med. cap. 12. vbi magnitudinem morbi triplici modo æstimari ait, alia quæ ex læsæ actionis prestantia spectatur, alia quæ ex propria affectus essentia; & tertia præter has quæ à facultate nostrum corpus gubernante. Qui locus ei 4. Method. non contradicit contra Argenterium. In hoc enim postremo signa, in alio vero causæ magnitudinis afferuntur: magnitudo morbi, quãtitatem remediorum indicat.

Cognoscendus porrò est affectus mos an benignus aut malignus; quod ad therapiam multùm confert, in malignis siquidem morbis ἀλεξιτήρια omittenda non sunt: Maligni morbi tribus modis dicuntur; *Primò*, ratione sæuiorum accidentium, quam pro ratione morbi competat, quo pacto Galenu lib. de cõstit. art. cap. 16. malignam esse pleuritidem asseuerat. *Secundò*, maligni censentur, ob partis affectum, suapte natura maligna symptomata suscitantis; qualia sunt ex Galeno lib. 4. Meth. cap. 6. vulnera tendonum, neruorum, articulorum & similium, quæ excitare solent conuulsiones, vigilias, deliria dolores intensos. *Tertiò*, à causa venenata & contagiosa maligni contingunt, quo sanè modo comment. 3. in lib. 3. epidemiorn Galenus supra text. 9. & 12. Hippocratis, malignos eos dicit affectus, quos putridus & malignus humor suscitat. Dignoscitur vero morborum malignitas iuxta Galen.

lib.de const. art. ex ipsius affectus natura, vt in pestilentibus accidit: vel ex symptomatum superuenientium malignitate, & sæuitia, vt carbunculi, bubonis, exhantematum, lypothimiæ, somni profundi & cæterorum.

Motus morborum diligenter notandus, ad prædicendum, & instituendam diætam. Galenus lib.3. de dieb. decretor cap. vltim. huc refert βραχυχρόνιος breues, & πολυχρόνιος, longos. tum. acutos & tardos. acuti docente Galeno ex Archigene cōment. in Aphoris. 19. sect. 2. sunt qui cito vehementi & periculoso motu ad crisim perueniunt. Neque obstat Argenterij in Galeni dictis contradictio, qui lib.3. de difficultate respir. cap. 9. ostendit Hippocratem lib. prænotio. & 1. de vict. acuto text.8. acutos definiisse febre continua comitatos: loco vero prædicto quosdam morbos à materia frigida factos, vt tetanus, apoplexia, qui sine febre sunt, acutos nuncupat. Respondendum, in supradictis locis Galenum propriè acutos tantum descripsisse, qui febrem comitem habent, quales & potissimum quos acutos ob partis affectæ præstantiam dicit Galen. in Aphor. pleuritis & peripneumonia nō verò omnes. Signa horum cap.7. lib. 1. methodi generalis, à parente meo clarissimo, repetuntur à symptomatibus, causa morbifica, præterea ab accessionum temporibus, ex coctionis signis, natura partis affectæ; excretorum quantitate, virium comparatione cum materiæ copia. De his Galenus lib.2. de dieb. decreto. cap. 12. eosque diuidit in exactè peracutum, & non exactè peracutum, qui ad septimum vsque diem protenditur; tum in exactè acutum, cuius terminus 14. dies est, & non exactè acutum, vigesimo terminandum: in acutum denique ἐκ μεταπτώσεως, ex mutatione, & decidentia ad quadragesimum diem. Qui rursum ab Argenterio in tria secatur genera lib. de Morbo. differ. cap. 20. ex Galeni doctrin. in loco citat. de dieb. decreto. quæ explicuimus cap. 9. tractat. nostri Pathologi. de differentiis morbor. à motu.

Morbi tempora distinguere debet Medicus in actu practico, vbi dies à decubitu, aut saltem à graui conflictatione sunt numerandi, vt sciamus quo tempore medicationes instituendæ sint; an sit in principio, an in incremento, statu, aut declinatione, vt apparet ex morbi natura, anni temporibus, regione, temperamento, ætate, victus ratione, circuituum incremento aut declinatione, cruditate, aut coctione. Hippocrates Aph. 30. lib. 2. in principio & fine morborum, omnia sunt mitiora, in statu autem deteriora. Occurrit questio, num in morborum principio apparere possint signa coctionis decisa à peritissimo parente meo cap. 8. methodi generalis, lib. 1.

De Prognosi.

SECTIO II.

PRædictio aliud est consultantis officium, definitur doctrina siue Medicinæ significatiuæ pars, quâ futuros morbos & eorū euentus prædicimus. Præuidentur autem morbus, mors, salus, crises, morborum symptomata, μεταστάσεις seu translationes, & alia multa.

Salus

Salus aut mors ideo prædicitur, vt si aliqua salutis species elucescat, promptis remediis occurramus: sin minus læthalia adsint signa: vt facies Hippocratica dicta; nares acutæ, collapsa tempora: aut retrocessus materiæ morbidæ, ad nobiles partes per ἐπιγένεσιν; aut alia quæ natiui caloris extinctionem σβέσιν, aut dissolutionem μάρανσιν, patiunt, qui sunt modi mortis proximæ, ex Aristotele allati lib. de morte & vita: interitum prædicendo, calumniæ periculum effugiamus, aut infamemus remedia, vt refert Celsus, quæ multis præsidio fuere. Ad salutem verò vel mortem præsagiendam: comparandæ sunt vires ægrotantis cum morbi magnitudine Authore Galeno 3. prognostic. & lib. de constitutione artis. Nam si vires ita validæ fuerint, vt morbum superare possint certa spes est recuperandæ sanitatis: sin ita imbecilles, vt vincere morbum non valeant, mors necessariò futura est. Vires autem cognoscuntur ex facultatum vitalis animalis, naturalis, & caloris innati œconomia: magnitudo autem morbi à signis prædictis. Vires sunt aliquando debiles ab oppressione, vt in plethora ad vasa & ad vires: aliàs quod peius est à dissipatione.

Crisis est subita in morbo, vel ad sanitatem vel ad mortem mutatio, quæ fit natura à bonis mala separante, & ad decernendum præparante, teste Galeno in Aphoris. 13. lib. 2. species criseos duplex est ex Galeni sententia lib. de crisib. aut enim fit per manifestas excretiones: *per vrinas* videlicet, quam criseωs speciem Hippocrates 1. epidemiωn sect. 2. vocat περιστρέψαν quæ dignoscitur dum ægri, pondus & tensionem, in renibus, & vesicæ regione persentiunt, cum aliquo prurituitu in extremo pudendi, frequentique micturitione, cuti constipata, densoque corporis habitu existente: rursus *per alui deiectiones.* Hippocrates Aphoris. 73. lib. 4. scribit, quibus Hypochondria suspensa murmurant, lumborum dolore superueniente, his alui humectantur, nisi flatus erumpant, aut vrinarum multitudo: qui Aphorismus recitatur in coacis & 6. epidem. *Per vomitum*, vt demonstrat Hippoc. 3. prognost. crisim contingere, hęc indicant, oris ventriculi mordicatio, vnà cum capitis dolore, vertigines obortæ à vaporibus: labri inferioris palpitatio, ptyalismus, multæ saliuæ reiectio. *Per rigores*, ab Hippocrate sent. 9. lib. 6. epidem. sect. 1. rigorem vrinarum suppressiones præcedere solent, si cum bonis signis processerint, & aluus permeet, somnique affuerint. Quin etiam febris genus, ac forsitan etiam quæ ex lassitudinibus contingunt, in considerationem adhibenda sunt, hoc explicat Galen. lib. 3. de cris. cap. 11. *Per sudores*; indicia sunt, aliarum excretionum negatiua, in febribus acutis contingens eos soluit vt voluit Hippocrates, præcedunt deliria, rigores, leues partium madores & rubores, vrinæ suppressiones, pulsus vndosi & alti, facies prætumida & rubens, cutis mollis, & laxa, die septimo accidit, sin vndecimo aut decimo quarto. *Per* αἱμοῤῥαγίαν è naribus, cuius sanguinis profluuij signa sunt, fulgores in oculis apparentes, capitis dolores obtusi, faciei, oculorum rubedo, præcordiorum tensio, ætas iuuenilis, vernum tempus, venarum faciei intumescentia. Lumbi dolẽtes inquit Hipp.

in prorrhet. & oris ventriculi molestiæ accedentes signa sunt futuræ fluxionis per hæmorrhoidas ; quod in multis comprobauit Varandæus celebris Doctor. vt refert part. 1. prognos.cap.4. distinct.17.obseruauit Clarissimus Iacob. Fontanus parens meus criticũ sanguinis fluxum dyssentericum in nobili D. d'Esparrõ post febrem continuam; signa eius eadem sunt quæ alui fluxus,tum & peculiarem crisim, in religioso quodã viro,& alio Aquensi coriario,fluxum materiæ pituitosæ per os, spatio quindecim dierum qui cognoscitur dolore & tumore capitis,oris inflammatione.

Secunda criseως species , per effatu dignos abscessus euenit ; quæ crisis permutationis ab Auicenna lib. de crisib. nominatur quales in herophonte Hippocr. obseruauit,& in virgine Abderitana. Hippocrates Aphorismo 32.lib.4.quibus cõualescentibus è morbis, pars aliqua laborat:vel lassitudinem sentit , ibi abscessus fiunt & futuri sunt : Est namque signum materiæ iam incipientis delabi in illam partem:reliqua signa afferuntur à Galeno c. 1. lib.3.de crisib.

Aliquando λύσει solutione morbi finiuntur, quæ definitur affectus terminus per insensibilem dissipationem factus.

Ex iam dictis obserua prognosim ex aliqua Hippocratis sententia perpetuò si fieri potest, esse desumendam , is enim longa annorum obseruatione , in morbis ea omnia mirificè annotauit, quæ contingere aut prædici possunt: cuius doctrina indubitatæ sanè veritatis existit;ita vt Hippocratis prognostica pro oraculo diuinitùs loquente habenda sint.

De morborum therapeia.

SECTIO III.

VLtimum cõsultantis officium Magisque præcipuum est methodus curatiua; adeò vt Augenius in arte Medica peritus in suis epistolis medicinalibus,de hâc solâ in consultationibus agendum esse putauerit,licet,non minores , de affectuum cognitione, & prognosi quã de curatione,inter cõsultantes Medicos , disceptatio suboriatur. Describitur methodus therapeutica via & ratio perfecta inueniendorum remediorũ , quæ cognita priùs parte affecta,affectus natura, causis, & symptomatis , omnibusque considerατis circunstantiis; remedia per indicationes inuenta, vsuque comprobata,certo ordine constituit eorumque genus,qualitatem, quantitatem , tempus, vtendique modum definit, restituendæ sanitatis causâ.

Dicitur ratio inueniendorũ remediorum nõ quidem temeraria,qualis empiricorum est , qui nec inueniendi vt inquit Galenus lib. 1. Meth.med.cap.4. nec docẽdi apud ipsos esse necessarium ordinẽ profitentur,quasi nec arte vlla , ratione, experientia niteretur ; imò vnius fortunæ fauorem , ad ea quæ quæruntur inuenienda requireret : Discant ergo remediorum inuentionẽ multum artificiosam esse , quippe quæ exposcat præuiam partis affectæ,affectus, & causarum cognitionem;& ideò Galenus lib. 2.Metho. medend.cap.7. ait finem propositæ tractationis esse inuenire remedia cuiusque morbi : eius vero inuentionis

tionis principium, ipsius morbi cognitionem esse ; à quibus indicationes eruet, quæ viam acquirendi scopos demonstrant sanitatis restituendæ causa, tutò scitò & iucundè.

Indicatio à Galeno lib. de optima secta ad Thrasib. propriè definitur comprehensio & notio iuuantis auxilij, vnà cum comprehensione rei præter naturam nocentis, quæ simul cum re indicante adueniat; sine vlla experientia aut ratiocinio: cognita siquidem rei noxiæ natura, sequitur indicatio, ex insito quodam principio & indubitato, siue vllo medio, generis auxilij conferentis: vt cognito morbo calido, indicatur statim remedium frigidum. Indicare ergo nihil aliud est quam huiusmodi notionem curatiuã producere; indicans est idipsum quod producit istam indicationem, res scilicet præter præter naturam: indicatum est id quod consequitur istam comprehensionem, nempè remedium intentum. Indicatio ergo cum sit molestæ rei notio, eruitur à rebus præter naturam, morbi nempe causa, morbo, & symptomate: vnde lib. 3. Method. absurdum est aliud esse quod indicet, aliud quod curetur. Causa morbi pręcipuè indicat sui ablationem: quæ indicatio à Galen. lib. de opt. secta cæteris præferenda videtur, non tamen alias excludere, intendit, vt malè infert Argenterius in suis libris de indicationibus morbus curationem per contraria, quatenùs est causa immediata læsæ actionis, & præcipuè id indicat qui factus, existit: alij verò, si non in executione, saltem in intentione: tum ex affectus specie species remedij, ex differentiâ differentia oritur ex Galeno ad Trasibul. symptoma non semper directè curationem indicat, sed quando vrget & quatenus valdè nocet. Idcirco dicitur ad therapeuticam actionem tria concurrere ex Medici officio, curationem morbi, præseruationem causæ, & mitigationem symptomatum.

Verùm dices nùm à parte affecta ducitur præcipua indicatio? Respõdeo non elici ex ea indicationem curatiuam, quæ est contrarij applicatio, sed conseruantem, seu similium & corroborantium appositionem: ad curationẽ. Item locus affectus, remedij curantis genus non indicat, sed coindicat modum illius, vt infra videbitur; sicut nec temperamentum, ętas, aër & similia, quæ licet Galenus ampliori indicationis significatione 9. Method. c. 7. vtens, velit in indicantium numero reponere; attamen solùm remedij modum coindicant; denuò cum ea non curentur, neque proindè indicant, vt ex superiori axiomate constat.

Coindicatio notio est ex circũstãtiis petita, quæ indicationis efficaciã auget vel tolerat: coindicantia sunt res naturales & non naturales: Naturales vires, tẽperamentũ, ætas, sexus, cõsuetudo, pars affecta quoad substantiam, facultatem, situm, connexum sensum, custodiam sui per sublationem rei molestæ postulant, & vsum remedij immutant, res non naturales perpendendæ sunt, an cum remediis consentiant, inter quas precipuè aër recensetur, ad quem reuocatur consideratio regionis, loci, diei, horæ, tempestatis, ventorum, lunæ quadræ, & astrorum varij status; à quibus remedij vsus diuersimodè immutatur.

Contraindicatio est notio ex re aliqua præter naturam petita, quæ oppositũ indicationis omninò sua-

det; vt si febris refrigerationem pituita eius causa calefactionem: vel ventriculus frigidus indicat calefactionem; sedcontraindicat iecur calidum.

Correpugnantia est secundaria contraindicatio, notio ex circunstantiis petita; ex diametro; indicationi & coindicationi opposita. Quę secundariò cõtraindicantia seu correpugnantia ab Argenterio & Neotericis dicta sunt omnia quæ coindicare diximus; si indicantibus repugnent, vires scilicet, temperamentum, ætas, &c. vt πλεονεξία humorum & sanguinis redundantia, sanguinis missionem postulat, id vires robustæ coindicant. Morbus frigidus contraindicat, debiles vero correpugnant, & secundariò contraindicant.

His compertis in qualibet consultatione, & actu practicò debet Medicus sibi proponete intentiones & scopos quosdam, quos per indicationes perpetuò inueniet: Hę verò intentiones in genere plures sunt. *Primò*, proponitur quid sit agendum an vacuandum, an alterandum, vel reficiendum, quod à naturâ affectus & causæ indicatur; si sola præualeat intemperies, alterandum.

Secundò, quibus remediis an diętecticis, Pharmaceuticis, vel Chirurgicis, qualitas autem auxiliorum à qualitate causæ & affectus indicatur, iuxta regulam contraria contrariorum sunt remedia, vt qualitate humorum perspecta, sciamus quibusnam præsidiis, humores præparare aut alterare oporteat.

Tertiò, quantum agendum an parùm an multùm, in quâ mensurâ vel gradu adhibenda sint remedia; huic scopo satisfacit quantitas morbi & materiæ morbificæ; coindicant, vel correpugnant vires, temperamentum, aër, ætas, sexus, &c. quæ vel cum indicantibus consentiunt, vel ab iisdem discrepant.

Quartò, quomodò agendum, vtendumque remediis quæ intentio cæteras applicandi remedij circunstantias complectitur, quæ à coindicantibus prædictis repetuntur: hic ergo proponitur an vnà an pluribus vicibus, sit offerendum, quo tempore, quà formâ per quem locum & quo ordine.

Primus, modus agendi indicatur à modo morbi, nam si continenter morbus affligat repentinum exposcit remedium, contra si intermittat, & det inducias partitis vicibus est adhibendum: tamen humoris peccantis conditio modum vtendi indicat, vt succus melancholicus vnica vice purgari nequit; denique ea quæ consentiunt vel dissentiunt, vt vires debiles, dum exigitur sanguinis missio, partitas vices subindicant, temperamentum, pars affecta coindicant, vel correpugnant.

Secundò, tempus adhibendi remedij indicatur ex tempore morbi; vnde Hippocrates circa initia morborum si quid mouendum moue, in augmento enim & statu meliùs est quiescere: præterea virium, ætatis, aëris, & aliarum particularium rerum consideratio occasionem applicandi remedij indicat.

Tertiò, locum remedij indicat, partis affectæ situs, conformatio, connexio.

Quartò, forma remedij indicatur, à partis affectæ naturâ, à consuetudine, ætate, aëre, cœli tempore, temperamento, &c.

Quintò, exhibendorum remediorum ordo iuxta regulas generales methodi

methodi quarum *prima est* & magis ordinaria, à causæ remotione incipiendam esse curationem, deinde ad morbum factum esse deueniendum: aliquando tamen incipiendum esse à causa sine qua non, à symptomate scilicet, si morbum impediat, atque vrgeat. Sæpè ratione habita virium debilium, relicta omni therápeia refectioni & restaurationi incumbendum. Indicationis huius exemplum adest, de arte cur. ad Glauco. apud Gal. lib. 1. cap. 14.

Alia regula, generalia remedia peculiaribus topicis sunt anteponenda: *altera* traditur à Galen. n. 5. sect. 1. lib. 6. Epidem. si quis egeat purgatione & sanguinis missione, à sanguinis detractione auspicanda est curatio; Nisi sit in ventriculo repletio vomitiua, vel nauseatiua, vt addit Auicenna ca. de synocho putrid. *postrema*; causa continente ablata expellitur statim morbus, remota autem coniuncta non tollitur, vt videre est, in morbis factis, & à causa independentibus; quo tempore in morbi curatione versabimur. Altera regula; arti primò laboranti primùm succurrendũ est, quia quæ condolebant illâ percuratâ conualescent.

Ex iam dictis patet quâ methodo inueniendæ sint indicationes, & quomodo iis satisfaciendum. Inter consultandum; Medici enarrare debent symptomata de quibus æger conqueritur, & dies decubitus, aut sæuitiæ morbi: atque ex his symptomatibus in cognitionem morbi & affectæ partis deuenire, ad quorum curationem symptomata expugnantur; morbi verò inuenti sui curationem per contraria indicant; morbi specie & more quid agendum sit indicantibus: eius autem magnitudine ac totius temperie, quantitatem auxilij definientibus, & parte affecta agendi modum præscribente; quibus & quomodo assentiantur, coindicantia vel contraindicantia, & correpugnantia dissentiant, videndum; considerantes vires, ætatem, sexum, & consuetudinem, aërem & similia: sed quum morbus causâ perseuerante tolli nequeat; hę sunt expendendæ imprimisque proximæ & immediatæ, quæ si ab aliis remotioribus oriantur, ad vltimas vsque progrediendum: In exequtione verò remediorum contrariâ viâ procedimus iuxta regulam à Galeno traditam lib. 11. Method. medend. cap. 10. quod enim vltimum in resolutiua methodo est inuentum, id primum omnium in curatione est peragendum; primò nãque sibi finem proponit, siue scopum; deinde regrediendo quærit remedia ad ipsum scopum acquirendum. Dum plures sese offerunt indicationes, obseruanda Galeni lex est lib. 2. Meth. med. cap. 7. allata, à primis indicationibus auspicandum est atque hinc ad eas quæ deinceps sunt transeundum; rursúsque ab his ad proximas: itaque pergenti non priùs desistendum, quam ipsius cõpos sit finis. Verum vt prædicta exemplo pateant; proponenda est consultatio ad cuius ideam, de cæteris decernendum erit.

CONSVLTATIONIS

EXEMPLVM.

De Cephalalgia Biliosa.

IVuenis temperamento calido & sicco prēditus, ac immodicis exer-

citiis, vigiliis, meriquc potui liberaliori assuetus; corripitur à septem diebus acri ac pungente capitis dolore, cum ingenti eius ardore, ex dextro potissimum latere; in facie colorem citrinum gerit, narium ariditatem, atque punctionem persentit; peruigilio torquetur, oris amaritudinem adesse dicit, pulsum habet velocem, vrinam croceam, & bile tinctam: quæ omnia symptomata, & præcipuè dolor, ab intemperie calida, & bile oriri denotant.

Signa huius morbi essentialia præcipua sunt, doloris modus pungens & mordax; qualitas in colore & calore mutata, & læsa actio vt potè pulsus velocitas; nec non excreta ardore plen. Signa per quę hic affectus distinguitur à cephalalgiâ sanguineâ; ex priuatione tensionis, grauitatis, & ruboris faciei innotescunt.

Pars affecta caput est, vt situs doloris demonstrat: ac quoniam aliquando affectio extra caluariam est; alias vero intra, & quandoque omnes tum internæ, tum externæ partes in vitio sunt: aliquando vel nerui, vel membranæ, vel venæ, vel arteriæ, aut cerebri substantia meningibus inuoluta afficitur: laborare hoc in casu proposito partes quæ intra caluariam sunt iudico: tum ex situ doloris in profundo percepti. *Secundò*, quod dolor ad oculorum vsque radices persentiatur. *Tertiò*, quod idem dolor cuti compressa non ingrauescat; sed potius lateat & mitescat, quæ signa sunt à Galeno explanata lib. 3. de loc. affect. c. 9. Meninges verò cerebri pati constat; ex vehementia doloris, & punctionis sensu: an per consensum lædantur? vix negabo; quoniam in corpore biliosa & sicco, stomacho bile amara imbuto, vt ex sapore linguæ, & morsu superioris orificij ventriculi, apparet; non potest caput, per insignes neruos ei compatiens, hanc biliosæ materiæ effumationem, ex inferioribus visceribus, non suscipere.

Causa huius morbi coniuncta est materia biliosa, vt ex conditione doloris cognoscitur, qui procul dubio ab humore acri & deuréte exoritur. Causa autem antecedens est idem humor biliosus, in venis magna satis copia antea collectus, vt dignoscitur ex totius, & partium principium temperamento calido & sicco, quod iuxta multorum loquédi vsum biliosum dicitur tum ætate iuuenili, ex vsu calidiorum ciborũ, vini potu largiori, immoderato exercitio, iracundiæ propensione, bilioso vomitu, excretis per aluum aut vesicam bile perfusis, & insomniis rixarum plenis.

Magnus est hic morbus, ob vigilias, sitim inexplebilem, & linguæ scabritiem: ideoque maligni ferè moris existit; Acutus est, & intra quatuordecim dies finiendus aut saltem circa vigesimum.

Quoad prognosim spectat periculum hic esse constat; minatur quippè phrenitidem, si bilis maiori copia ad caput irruens, magis adusta, meninges inflammet; febremque ardentem, si in venis computrescat: quocirca promptis ei occurrendum remediis.

Therapia à causarum remotione incipienda est; his enim perseuerantibus affectus abigi nequit: cum intemperies biliosa adsit, vnâ cum causa fouente; Iuxta methodum necesse est has causas resoluere, donec ad summas & primas perueniamus; quas primum abscindere oportet:

portet: hæc est materia in venis abundans, quæ sui amotionem indicat, vt tùm è toto, tum ex parte affecta educatur, sic enim dolor quiescet, causa sublata quæ dolorem parit & fouet:præterquam vbi intemperies sit derelicta & aliquid ipsius morbi iam factum, tūc etiam per contraria remedia eam curare oportet, vt apparet 7. Methodi medendi. Ex natura ergo causarum, & affectus quatuor exhaurio scopos ab his indicatos peculiares, primus, vacuatio facienda vniuersi corporis: secundus reuulsio eius quod influxit, tertius repulsio influentis; quartus est reliquiarum dissolutio & partium corroboratio: qui scopi aduertendi sunt in morbis omnibus à materia pendentibus, quoniam ab ipsius defluxione gignuntur.

Primus & secundus scopus dicendis remediis complentur purgatione, & venæ sectione. Purgabitur ergo statim χολαγωγοῖς ob cacochymiam biliosam & ventriculi morsum, hac quantitate & modo.

℞. rhabarbari drach. ij. spicæ nardi scrup. vnum. Infundantur in s. q. aquæ cichor. & betonicæ; expressioni dissolue diaprunis solut. drachmas quatuor, syrupi rosati soluti. vncias duas, misce fiat potio sumenda horis matutinis cum regimine.

Verum vt humor biliosus ad ampliorem purgationem faciliùs præparetur; hæc remedia assumet.

℞. syrupi de cichorio compositi & de nymphea, aut loco huius violati ana. vnciam vnam, aquæ portulacæ, cichorij, betonicæ, rosarum ana vnciam vnam, misce fiat Iulep, capiat sequenti die manè hora vj. continuet per tres dies, vel horū vice sequens apozema desumet.

℞. rad. graminis, acetosæ, & cichorij ana vnciam vnam: herbarum lactucæ, endiuiæ, oxalidis, boraginis, dentis leonis ana. manip. vnum, betonicæ, fœnic. ana. manipulum semis. semin. quatuor frigid. maio. anisi ana. drachm. vnam. sem. semin. papauer. albi. drach. vnam trium flo. cordial. nympheæ ana. pugil. vnum, hordei mundati drach. duas, fiat omnium decocto in suffici. quantitate aquæ, ad tertiæ partis consumptionem. In colaturæ libra vna semis, dissolue sacchari vncias tres, syrupi violati vncias duas, fiat apozema aromatisatum, cum drachma vna puluer. diarrhod. abbatis pro tribus dosibus matutinis.

Secundo die præparationis detrahatur sanguis ad vncias octo: etsi enim suspectum sit remedium, sincera bile redundante; tamen hîc ob immixtionem sanguinis; tum ob reuulsionem, ex vena mediana aut cephalica brachij dextri è regione lateris dolentis emitti poterit præmisso clystere.

℞. decocti comm. enemat. refrigerant. & emollient. libr. vnam sem. in quo dissolue cassiæ pro clyster. & catholici ana. vnciam vnam, mellis & olei violati ana. vnciam vnam sem. salis drachm. vnam, misce fiat clyster. iniiciatur vna hora ante venæ sectionem finitis iulepis reiteranda est potio præscripta: Sæpè hæc sola remedia dolorem auferunt; sed si pergat dolor, ad eundem scopum cucurbitulæ humeris applicatæ cum scarificatione, venarumque sublinguium seu ranularum sectio, mira confert, vt in pluribus compertum est.

Tertia intentio suadet repellentia interim esse adhibenda, vt materiæ ad caput defluentis impetus

indicat, ex Galeno 13. lib. Meth. med. ab initio, id præcipiente vbi ſcilicet corpus vacuatum eſt. Videndum ergo qualia & quæ repellentia admouenda, qua quantitate, & modo, repellent frigida & adſtringentia, verùm ob ſitum partium profundum, tenuium partium eſſe debent: vt oleum roſaceum mixtum cum ſucco acetoſæ, ſincipiti deraſo admouenda: menſura autem refrigerandi deſumitur ex affectus magnitudine, magna refrigeratione opus erit, id coindicante ſitu partis, & conformatione oſſea ad quem finem,

℞. folio. lactucæ, endiuiæ, viol. maluæ, betonicæ, ana. m. j. ſemperuiui m. ſem. ſemin. papaueris albi, pſilij ana. drachm. vnam ſemis flo. nymphex viola. roſa. ana pugil. duos, decoquantur in aqua comm. adde aceti vnciam vnam, camphoræ grana. quatuor. miſce fiat embrocatio capiti deraſo applicanda.

Tempus repellendi eſt dum pars ardore premitur, ceſſandum vbi remittit: Hæc quoque repellentia reſpiciunt morbum iam factum, videlicet intemperiem calidam derelictam. Perſeuerante autem morbo, relicta omni cauſæ & morbi curatione: ad ſymptomatum vrgentiorum mitigationem deueniendum eſt, vnde ad vigilias delirij metu,

℞. ſyrupi violati & de papauere ana. vnc. vnam, aquæ lactuc. betonic. ana. vncias duas, fiat iulep capiat hora ſomni.

℞. pulue. requiei nicol. vnciam vnam, irroretur aqua roſarum, inter duos pannos lineos interſuatur, fiat frontale eadem hora vel,

℞. laudani Paracelſ. gr. v. capia t hora ſomni. lotura tibiarũ prodeſt, ex decocto folio. lactucæ, endiuiæ, flo. nympheæ, viola. ſalicis & ſimilium. Dolore extirpato, quarta intentio tendit ad humoris reſiduum digerendum, cùm præſertim iam fluxio ceſſauit: quo fine immiſcenda ſunt diſcutientibus refrigerantia: vt oleum roſaceum cum camomelino, eoque pars inungenda.

Sequens opiata mire ventriculum roborat, & effumationem bilioſi humoris impedit.

℞. conſeruæ roſa. viola. & nympheæ ana. drachmas iij. maſtiches, carnis citonio. conditæ caulium lactucæ condito ana. drachmas duas pulue. electua diatriaſantali, & diatragacanti frigi. ana. drachmam vnã ſemis, cum ſyrupo violato fiat opiata, cuius capiat drachmas tres, poſt prandium ſuperbibẽdo parum aquæ borraginis.

His omnibus remediis addenda eſt victus ratio quæ fiet vſu ſex rerum non naturalium. Sumpta ergo indicatione à morbo, cauſa morbi, & coindicatione à temperamento, ætate: frigida & humida exhiberi debent. Itaque conuenit frigidus & humidus aër, animi corporiſque tranquillitas, longior ſomnus, lubrica aluus, temperata balnea. Plurimum nocet inedia, & ira, vtatur æger cibis frigidis & humidis, iura pulli elixentur cum acetoſa, endiuia lactuca. Pro paſtu vtatur ſyrupo violato cum aqua cocta: vinum, circa morbi finem ſolùm concedendũ, ſed depropoſiti doloris diagnoſi, prognoſi & therapeia ſatisſuperque dixiſſe videor.

ADDENDA

Pag 46. *ad calcem Capitis quinti sectionis primæ, cui titulus,* Spiritum, & calorem nostrum, *&c.*

ERVDITISSIMO CLARISSIMOQVE D. GABRIELI FONTANO MEDICINÆ Doctori, & Professori, D. CAROLVS GIRAVDVS Med. Doctor Pedemontanus S. D.

NVDIVS tertius cùm mihi per imparem tuam humanitatem fuisset concessum, te à seriis tuis studiis auocare importunis meis colloquiis, meoque desiderio tantum indulsisses, vt indefessi tui laboris auditione fecisses participem (medicinalis intelligo Tomi, qui tanto cum Medicæ reipublicæ detrimento sub prælo gemit adhuc) eam fortè fortuna mihi admodum exoptatam euoluisti quæstionem, in qua de vitæ principio, immediatóque animæ instrumento, calore videlicet innato, agebatur. Tibi meam aperui mentem, méque in hoc dubio, veluti in labyrintheis anfractibus miserè deuolui fassus sum. Attento adstiti animo dum adamantina tua tela iaciebas in Sénertum, Fernelium, Zacutum, aliosque similis opinionis sectatores, arbitrantes calorem illum hanc molem agitantem, vt instrumentum substantialis formæ, animæ nempe, originis esse cœlestis, omnique materiæ impuritate immunem: fui admiratus. Verùm quia plus ingessi quàm digessi, maius me nunc, tuam capiendi opinionem exercet desiderium, agitatque fermè furor.

Quantum enim hebes mea mens potuit aduertere, nodum illum, qui quam diutissimè principum in medicina ingenia distorsit, in propatulum posueris. Adiui D. Iacobum Fontanum parentem tuum, & medicinæ antesignanum, qui quidem caloris innati naturam graphicè. Depingit, verùm, me haudquaquam ex toto potuit scrupulo liberare propter compendiariam eius scribendi methodum: vidi Fernelium, consului Sennertum, Fuchsium, Varandæum, Iacchæum, & alios, ex quorum lectione nihil, præterquam confusionem, tenebrasque potui exhaurire. A te igitur Gordiani huiusce nodi solutionem expostulo; priùs tamen quibusdam telis, quæ mihi ferrea, tibi autem ficulnea videbuntur, tuam impetere sententiam ausim.

Tua igitur thesis est calorem (quem innatum primigeniumque appellamus) elementarem esse, non

verò cœlestem, ac eiusdem esse speciei cum eo, qui mixtionis cuiusque est author. Hoc quidem mihi Philosophiæ consentaneum non videtur (tui tanti viri Philosophiam apprimè callentis, veniâ.)

Ac primo loco: illa qualitas elementaris non est quæ effectus elementorum naturæ aduersantes edit: atqui huiusmodi est natiuus calor: ergo. Non enim est necesse, vt tibi chyloseos, hæmatoseos, omioseos admiranda naturæ, ausim dicere prodigia proponam, quæ nihil minùs, quàm caloris elementaris naturam redolent. Scio quid mihi respondeas: hoc præstare ratione modificationis, seu certi gradus temperiei: verum in quolibet elementari corpore, tibi quemlibet temperamenti gradum elige, numquam tamen similes consequi licebit effectus.

Secundo si talis calor esset elementaris, quò magis esset vnitus in angustiori subiecto: eò magis tenderet ad intemperiem, ac sibi insitas proprietates eliceret, vstionem nempe, & alia quæ breuitatis gratiâ prætermitto, sed talis in semine angustissimo subiecto totus existit; quare igitur semen non vrit? cùm vbi per totum corpus diffusus est, ac vt supponis moderatus, tales producat effectus, vt fermè vrat: vnde, inquit Galen. si quis digitum in viuentis animalis cor immittat, ipsum vri est necesse; si igitur vbi per vniuersam corporis compagem talia dispersus patrat, cur non maiora, ac intemperatissimo vnitus in semine. Verùm fortasse mihi dices, talia contingere propter spiritus influentes, qui calidissimi sunt, & totius partes integrantes: sed contra. Nam ex Philosopho, propter quod vnumquodque tale, & illud magis, sed spiritus influentes sunt calidissimi propter calorem innatum: ergo consequenter illis calidior. Nec mihi dicas hoc à Philosopho intelligi de generationibus vniuocis, non verò æquiuocis: nam hoc perpetuò ab insito calore tanquam à causa principali, & vniuoca prouenit. Ergo.

Tertio, vt quid tanti habetur ponderis, apud Medicos, ipsius iactura, quam deploratam asseuerant, si elementaris; cùm elementorum qualitates præsentes perpetuò adsint.

Quarto, si inter agens & patiens debet esse proportio: ex Aristotele enim omne recipiens debet recipi ad modum sui recipientis, quænam erit proportio inter animam rem spiritualem & immaterialem, ac ipsum corpus terrestre, si vinculum quo vniri debent, eiusdem est naturæ cum corpore, toto cœlo ab animæ perfectione deflectente.

Quinto quonam calore viueret mandragora, papauer, serpentes, & alia frigidissima, nisi calorem quemdam haberent cœlestem, ac frigoris contrarietati minimè obnoxium. Nos nempe docet Philosophia, hâc esse legem & ordinem inter primas elementorum qualitates, vt vbi duę ex his contrariæ in vno eodémque subiecto reperiuntur, vnaque illarum viribus est inferior, ab altera intensiori & potentiori vincitur, in propriamque vincentis naturam transmutatur; quare igitur frigidarum stirpium calor, quo mediante viuunt, frigori non cedit, cùm ab ipso longo tractu exsuperetur intensione.

Sexto, cum ea qualitas prædominetur in mixtis, quæ est intensior, calor

calor autem in omnibus mixtis tāquam principale operetur, vt quid omnia mixta calido temperamento prædita non erunt?

Hæc ſunt, quorum difficultas me non parùm premit: Tuo quæſo reſcripto, vna cum tuis iuſſibus tibi deuictiſſimo faue, vehemens enim proficiſcendi in arte deſiderium, tuaque incomparabilis humanitas, te toties importunè ſollicitandi præbent audaciam: Vale igitur & viue, vt viuat acerrimus Medicinæ propugnator. Datum in Nemolarum pago die 27. Aprilis anno 1644.

Domino Carolo Giraudo Medicinæ Doctori: Gabriel Fontanus Med Doct. S.D.

LITERAM tuam accepi, in qua non minorem tui ingenij & genij præſtantiam, quam ex confabulatione noſtra ſpectaueram, recognoui; ſpinoſam mihi quæſtionem proponis, quam nihilominùs à me ardenti animo expoſiturā poſcis: & ſtatim ſena argumenta obiicis, quæ faciunt ne poſſis illorum ſenſui adhærere qui cenſent calorem noſtrum eſſe elementarem, non cœleſtem: quorum cenſum me fuiſſe ſequutum inter noſtras colloquutiones animaduertiſti.

Certè tuum primum argumentum, actiones caloris præſtantiſſimas, calorem elementarem non arguere, conuincit: ſecundum ex effectu, quia in parua mole coactus nō vrit, vt igneus. Tertium ex ipſius iactura quæ non tam irreparabilis eſſet, ſi elementaris vbique præſentis naturam indueret. Quartum ratione mediationis, quâ nectit animam corpori, nobiliorem naturam ſortitur. Quintum ex ſtirpium & animalium frigidiorum exiguo calore vegetationis tamen authore. Sextum ex intenſione caloris prædominantis, mixta cuncta eſſent calidiſſima.

Hiſce pro voto ſatisfacere nequeo, quin ſuppoſuerim hominem animalium principem, vniuerſæ naturæ compendium habere; anima quippe ipſius diuini luminis radius eſt immortalis, facultates ſenſus & motus interiores velut aſtra cognitiones rerum influentia dicuntur. Corpus humanum, vt & cætera mixta perfecta vita prædita, eleganti elementorum congerie conſtat: ex limo namque efficitur, cui omnia materialia ad generationem neceſſaria inſunt, ex duobus enim maximè corporeis elementis, terra ſcilicet & aqua, corpora fieri rationi congruit: ſolidiores partes terram, humidiores aquam, ſpirituales aërem, calorem innatum ignem naturæ dixerimus. Spirituales naturas non ſolum vocamus eas quæ citra materiam creatæ, quales intelligentiæ exiſtunt; verùm etiam quæ licèt ex materia originem trahant, tamen præ ſumma tenuitate & nobilitate ſenſuum examen fugiunt, & merè ſpiritualibus proximæ, magis ratione quàm ſenſu percipiuntur; huiuſmodi naturæ ſunt aër purus, ſiue æther, influentiæ corporum cœleſtium, ignis inſitus, & ſpiritus ſe-

mirnales ; spiritus vegetabiles ; animales ,& vitales , & cætera similia: in quibus ipsa rerum natura veriùs quàm ; in crassis corporibus consistit. Hunc spiritum calidum esse nemo negat; caloris enim ; seu potius calidi tenuis substantia(qualis est spirituum) sibi est consocialis: hanc nemo purè igneam dixerit, id est communi nostro igni conformem , omni generationi aduersantem, nonnisi ex præda viuentem;ex aliena ruina subsistentem, vitæ destructorem , cineri omnia destinantem , naturæ potius hostem quàm hospitem, excidium quàm vitæ columnè asseuerauerit? Ista autem substantia spirituosa calida elementaris existens , humido quodam cohæret , eoque non aquoso ; sed aëreo,pingui, & oleoso. Certum etenim est illam ob tenuitatem & mobilitatem citiùs euasuram, nisi suo vinculo detineretur : hinc fit quod elementaris à nobis dicta sit , quia cum qualitatibus elementaribus mixta, & alterationem in mixtione perpessa;vnde tandem calida & humida per excellentiam prædominatur temperies ad vitam potissimum requisita : præcipuus verò administer vitalium functionum est calor, qui non ob materiam subiectam solùm est elementaris; non propter solam alterationem , & aliarũ qualitatum mixtionem in generatione, sed insuper ex propria in seipsum actiuitate per ætatum decursum ; vnde aliquando harmoniæ interruptio , intemperies , & corruptio tandem subsequitur. Sed quorsum spiritus in tanta qualitatum & corporum perturbatione,& mutatione conseruetur , & tam nobiles operationes exsequatur , est quod communem Philosophorum admirationem adfert. Hisce suppositis.

Ad primum argumentum acutissimum Resp. calorem ventriculi esse organum chylificationis,hepatis verò hæmathoseos, &c.non tãtum ob modificationem , seu certum temperiei gradum,sed ob permulta quæ concurrunt præstantissima , in hisce operationibus : imprimis peculiaris partis substantia, calore in humido & spirituoso subiecto cohærente perfusa, quæ à calore spirituoso cordis vberrimè fouetur:deinde circumiacētium partium calor concurrens,partis color, & miranda proprietas,& forma particularis cuique membro donata, præter animæ eminentiorem influxum , eiusque faculrates organicas suis dotibus peculiaribus instructas,absque vllo præceptore. Calidum autem operatur & dissoluit , atque fermentat cibos , per acidum liquorem à liene demandatum in ventriculum : coagulat per salsum in alimentis contentum;& tandem in propriam substantiam id quod dulcè est conuertit.

Ad secundum Respond. quod licet hic calor naturalis sit igneus , non ideo proprietates ignis possidet,quia ventilatur, materiâque sibi consociali fouetur, & motu suo naturali ad naturæ finem comparato , intra proprios limites continetur. In semine enim spiritus sunt pullifici , & pulsantes,qui miro artificio materiam in varias partes extendunt , & velut exsufflatione quadam perforant, vt solent vitriarij. Calor ergo naturalis qui in spiritu inest non vrit , cùm sit temperationis soboles , & prædominans qualitas:nisi quando ab aliqua causa præter naturam auctus & accensus in corde ferueścit ; de quo Galenus,

Lib. de cauſ. morb c.2. & 1. de differ. feb. c.3. Galenus, vbi febris & aliorum morborum calidorum quinque cauſas recenſet, motum ſcilicet, putrefactionem, contactum rei calidæ, pororum cutis conſtrictionem, indéque calidi effluuij retentionem, & rei calidæ admixtionem.

Quum autem dicitur cordis calorem ſenſu ipſo vrere ex Galeno, id comparate dictum puta: vt conſtat ex lib. de fœtuum formatione: *Claſſe 1. cap.3. ad fin.* Cor verò quaſi quendam ignis focum animalia ſortita ſunt: ſine corde enim ſanguineorum animalium calor perſimilis caliditati eſt, quæ in domibus æſtatis tempore ſentitur: ſed quemadmodum domus incenſo in ipſa igne, calidior redditur, ita animalium corpus ex corde caliditatem maiorem acquirit, quã ea ſit, quæ in venis & iecore inſita eſt. Aliud eſt ergo loqui de calore natiuo, aut præter naturam, de calore abſolutè, aut comparatè.

Ad tertium, tanti habetur ponderis non caloris, ſed calidi iactura, quæ ineunte ætate ad æquale, imò ad melius reſtituitur: hinc illud *Aph. 14. 1. ſect.* Hippocratis τὰ αὐξανόμενα πλεῖστον ἔχει τὸ ἔμφυτον θερμόν. Partes corporis ſpermaticæ poſt formationem detritæ, non poſſunt ſecundum primam intentionem reparari: hinc fit vt calidâ ſubſtantiâ ſenſim tabeſcente per vitæ decurſum, tandem ſenium & mors adueniat.

Ad quartum Reſpond. aliquam intercedere proportionẽ inter animam ſpiritualem & immaterialem, ac ipſum corpus terreſtre: etiamſi vinculum ſit elementare; non enim vt voluerunt Academici, ſpiritus eſt æthereus, & mediæ cuiuſdam naturæ inter animam & corpus, quaſi vtriuſque vinculum: cùm anima vt informet corpus, eo non indigeat vt intermedio glutine, vt vult Diuus Thomas; cùm ex ſola *In quæſt. diſput. quæſt. vnica. de ani. ar. 9.* creatoris præordinatione corpori vniatur, nullius intermedij concurſu: & vt forma informatæ materiæ copuletur. Sufficit ergo vt illa proportio ſeruetur, non mediatione etherei ſpiritus & caloris, ſed ſpiritus fluxilis, permeabilis, & tenuiſſimi famulatu, cuius operâ ipſa anima ſuas operationes promptiſſimè exſequatur.


Ad quintum, in ſtirpibus & animalibus frigidioribus ſanè frigus calorem elementarem ſuperaret, niſi heterogenea quædã materia pinguis intercederet, quæ molem frigoris in pauca caloris quantitate cohiberet, ſub imperio formæ præſtantioris. Vnde in opio v. g. quod frigidum vulgò creditur, ſulphur quoddam narcoticum reperitur, quod calidum eſt, operatione tamen ſenſum ſtupefaciens: & Dioſcorides in opio annotat quaſdam partes tenuiores pruritum acrimoniâ proritantes. In ſerpentibus hyeme latentibus bilis furor cohibetur, quæ ſolis acceſſu ebulliens frigidæ temperiei obſiſtit. Hinc reſpondeo illas plantas non eſſe abſolutè frigidas, ſicut nec animalia: cùm tali proportione ſint immixtæ in vtriſque heterogeneæ partes, vt pro diuerſitate quantitatis virtutis, vel molis, diuerſa etiã in ipſis harmonicè operentur: non enim præualet magna frigiditatis moles, magnæ caliditatis virtuti, quæ in exigua mole reperitur, licet elementaris ſit. Verùm inſtabis vincet frigiditas prædominans exiguam caliditatem, ſi hæc non ſit naturæ cœleſtis. Reſpondeo ne hoc fiat hyeme recurrere calorem ad radicem, ſeu partem cordi reſpondentem, vnde cœtera

tera planta tabescit, prædominante frigore supra calorem. Hyeme serpentes, talpam, & similia, latibula petere, vt suam speciem conseruẽt: natura nunquam deficit in necessariis. Vrsus hybernorum mensium somno pinguescit, non quia frigidus aut calidus: sic etiam natura præter calorem aut frigus cunctis rebus formam concessit, quæ operationum præcipua est causa. Denique concludo illa frigida esse potentia comparatione factâ cum hominis corpore: in se tamen licèt frigido præpolleant, tantum habere caloris elementaris, quantum sufficit ad suas operationes obeundas sub imperio formæ præstantioris: & cum calor cœlestis sit eiusdem speciei cum elementari, sanè idem argumentum de calore æthereo concluderet; nam frigida horum qualitas cœlestem calorem obrueret, nisi forma vi commistionis talem temperiem retineret.

Ad sextum caliditas non prædominatur in mixtis, quia temperies varia est, pro ratione formæ, ad cuius vsum cõparatur: sufficit ergo vt tãta sit caliditas quæ ipsius actionibus edẽdis satisfacere queat; & quia illa forma sub variis tẽperaturæ speciebus elucet; idcirco non semper calido temperamento sunt prædita.

Atque hæc sunt quæ celeriter prætercurri, vt tuæ voluntati satisfacerem, sciens veritatem ita esse abstrusam & reconditam, vt clarè hanc perspicere non valeamus; hinc fit vt multa nos ignorare quàm tenere fateamur: si quæ tamen sint quæ huic opinioni insistendi ansam pertinacius præbuerint, alias commodiùs tibi exponam, cum pro tenuitate virium cupiam impostezum tibi mearum opinionum propositionem patefacere, in mei animi erga te bene affecti continua declaratione Vale, datum Regij 3. Kalendas Maij anno 1644.

INDEX



INDEX RERVM in hoc volumine contentarum.

A

Abdomen.


BDOMEN febrium intermittentium focum constitui. pag. 322

Abstergentia.

Abstergentium quæ facultas. p.232
Abstergentia simplicia. p.233

Accessio.

Accessionis insultus quid. p.320
Accessionis symptomata. p.323
Accessionibus cibus an sit præbendus. p.332
Accessionibus quinam cibandi. p.351

Accidentia.

Accidentia esse actionum naturalium instrumenta. p. 46. & qui substantiam producant. p.47

Acer.

Acer sapor quid, eiusque differentiæ. p.163

Acerbus.

Acerbus sapor quid, eiusque vires. p.166

Acetum.

Aceti qualitates iuxta Hermeticos. p.165
Acetum melancholicis noxium ex Hippocrate chymicè loquente. p.81
Aceti anatome Chymica. p.110

Aciditas.

Aciditas atræ bilis vnde. p.79
Acidas vel acres substantias actiones lædere ex Quercetano. p.108
Acidus sapor, species, & effectus. p.165

Actio.

Actio causæ efficientis pendet ab accidente. p.131
Actiones non à solis qualitatibus sed ab aliis facultatibus prodire. p. 50
Actiones rerum,& vires formis potius quàm crasi adscribi. ibid.
Actiones transeuntes non tantum à primis qualitatibus, sed ab occultis oriri. p.171
Actiones naturæ non simpliciter à spiritibus prodire. p.46.& p.110
Actionum causas tribui hypostaticis principiis ab Hermeticis. p.107.refutantur.p.110
Actiones partium similarium à temperie promanant. p.94
Actio partis cur inuestigatur. p.95
Actio distinguitur ab vsu partium. ibid.
Actio læsa an denotet partis affectum. p.103
Actiones læsæ sunt morborum signa. p.144
Actiones corporis non lædi à sulphureis, saliuis, aut mercurialibus

 bus

bus substantiis; sed à succis calidis,acribus,acerbis, &c. p.112
Actiones læsæ an sint quæ ad nullum morbum notum referantur. p.123
Actionum in febribus læsio. p.310

Actus.

Actus primus & secundus quid. p. 48

Acuti morbi.

Acutis cur raro, & in principio purgandum. p.222

Ægyptij.

Ægyptij Isidem venerabatur. p.201

Aër.

Aërem corpora animata participare. p. 6
Aërem ex tribus chymicorum principiis non conflari. p.22
Aëris constitutionem esse illud diuinum in morbis. p.130
Aëris constitutio quæ morborum semina infert ex Ferne. Hippocr. & Gal. p.129
Aëris inquinamenta pestifera non agere tota substantia. p.123
Aëris dispositionem in anni tempestatibus obseruari. p.130
Aëris praui emendatio in peste. p.339

Æstus.

Æstus comitans febrem vnde excitetur. p.364

Ætas.

Ætatum temperaturæ & inclinationes. p.145

Æther.

Æther quid apud Hippocratem. p. 3

Affectus.

Affectus præt.nat. sumitur pro diathesi,seu dispositione. p.99
Affectus præter naturam tres. p.101
Affectuum varietas, compositionis medicamentorum causa. p.212
Affectus simplices quot. p.216
Affectus præt. nat. auferri per contraria. p.149

Agens.

in Agente tria inesse per quæ operatur. p.46
Agentia actu aut potestate talia. p.155

Alchymia.

Alchymiæ antiquitas, & quo tempore explenduit. p.193
Alchymia essentias rerum separat interioribus viribus dotatas. p.20.62.12.& 9

Alexipharmaca.

Alexipharmaca corpus immutant tota substantia. p.159
Alexipharmaca num media inter venena & corpora. p.177
Alexipharmacorum vsus in malignis & pestilentibus febribus. p.319
Alexipria seu Alexipharmaca. p.125 & 177

Alimentum.

Alimenta quæ nigrum succum generant. p.354
Aliméta tertianariis salubria. p.351
Alimenta acria piperata quando quaternariis competant. p.354
Alimentum quî differat à medicamento. p.156
Alimenti coctio quid & quotuplex. p.66
Alimentum duplex crassum & tenue. p.55

Alterans.

Alterantia alimenta & medicamenta Hecticorum. p.357

Aluus.

Alui excrementa in malignis & pestilentibus febribus quęnā. p.337
Alui astrictionis & fluxus causæ. p.365

Amarus.

Amarus.

Amarus ſapor,eiuſq; effectus. p.163

Αμφημεριν☉

Ἀμφημερινὸς πυρετὸς quid. p.341

Amuletum.

Amuleta ex arſenico & mercurio in peſte p.339

Amuletorum vires. p.176

Anatomia.

Anatomia ſpiritualis,& eſſentificata Paracelſi p.96

Anatomiæ neceſſitas. p.92

Anatomia oſſata mundi, & microcoſmi non oſtendit morbos, & remedia. p.141

Analogia.

Analogiam partium corporis cum planetis & metallis à Paracelſo fictam non probari p.37

Analogiam partium cum metallis præſidia non indicare. p.38

ex Analogia rerum inferiorum cum ſuperioribus morbus non cognoſcitur,aut eius medicina cōtra Paracelſum. p.143

Anima.

Anima mundi Platonica refutatur p.15

Animę mobilitas hominis nobilitatem commendat. In præfat

Animalis virtus non tranſit in mineralem aut vegetalem,& è contra p.53

Animal.

Animalium opera connatam habent doctrinam à Deo inſitam. p.89

Animalium mores homini conueniunt p.147

ab Animalibus mortuis plures prodeunt proprietates. p.173

Animalia inſtinctu remedia quærunt In præfat.

Animus.

Animi deliquij cauſæ p.365

Animi mores corporis temperiem ſequi p.144

Animi facultates ex temperie affici p.145

Annotatio.

Annotatio incompreſſa quid. p.320

Anodinum.

Anodinorum qualitates p.162

Antidota.

Antidota p.339. & p.340

Antimonium.

Antimonij facultas ex Dogmatic. & Chymicis. p.206

Antimonij præparatio excellentiſſ. p. 207

Antimonium præparatum à Libauio condemnatur. p.205

Antimonij vitrum Matthiolus cōdemnat p. 207

Aperientia.

Apetientia, attenuantia, incidentia quæ p. 233

Appetentia.

Appetentiæ ciborum inexplebilis cauſæ p. 108

Apoplexia.

Apoplexiæ idea p. 394

Apoplexiæ cauſæ à Paulo Ægineta & Galeno p. 394

Apoplexiam pituitoſa excrementa producunt. p. 395

Apoplexiæ cauſa ex Quercetano p. 395.

Apoplexiam ex mercurio cremoſo, ſeu deſtillato deducit Scheumanus p.396

Apoplexia ex contuſione, & cranij fractura dimanat p.397

Apoplexiæ aduentantis ſigna p.397

Apoplexiæ tres gradus p.397

Apoplexiæ graduum ſigna proponit Rhazes. p.397

Apoplexiæ curationes variæ p.398
Apoplexię causa Iuxta Hermeticos p.108

Apozema.

Apozematum refrigerantium & aperientium materia p.334
Apozematis exemplum in febribus quotidianis. p.343
Apozemata coquentia humorem melancholicum p.352

Aptitudo.

Aptitudo corporis ad suscipiendam febrem p.312

Aqua.

Aqua ingreditur mixtorum compositionem p.6
In aquâ non reperiri principia chymica p.24.
Aquæ vitæ sulphureæ alimenti vltimi meminit Quercetanus p.78
Aquæ potio in synocho imputri p. 317
Aquæ potio in synocho putri p. 334
Aquæ potio in Ardente p.349

Arabs.

Arabum secta. In præfat.

Archæus.

Archæus Paracelsi. p.62

Ardens.

Ardens febris exquisita & non exquisita p.345
Ardentis signa. p.347
Ardentis Prognostica. p.348
Ardentis legitimæ curatio. p.349
Ardentis spuriæ causæ. p.342
Ardentis spuriæ signa. p.347
Ardent.spur.curatio. p.349.& 350

Ars.

Ars medica diuinitus accepta. In præfat.
Artem medicam reges excoluerunt. In præfat.
Artis medicæ necessitas & præstantia ex Hippocr.In præfat.
Ars distillationis quo tempore nata p.193
Artem spagyricam ad medicinam esse vtilem p.209

Arthritis.

Arthritidis causa iuxta Chymicos. p.84

Asperitas.

Asperitatis causa p.161

Assatio.

Assatio quid p.197

Astra.

Astra vires suas corpori communicare p.36
Ex astris non repetendas propensionum causas p.147
Astrale pro spirituali substantia morbum causante sumitur ab Hermeticis p.125
Astrale cum diuino confunditur p. 127
Astralium morborum loca esse occulta ex Hermeticor. sententia p.126.
Astralium morborum seminaria non esse occulta p.126
Astra non contineri in metallis aut membris p.37
Astri interni ab externo independentiam male assignat Crollius. p.37.
Ex astrorũ inspectione causas morbi non quærendas, aut prognoses instituendas, ob astrologiæ incertitudinem. p.263

Ασώδεις

Ασώδεις febris quid p.312

Astringentia.

Astringentia alimenta ad alui fluxum sistendum p.373

Aurum.

Aurum in dentibus cadaueris repertum vnde. p.53

Aurum.

Aurum potabile vt noxium reiicitur p.206
Aurum verum an per alchymiam fabricari possit, dubitatur à Philosophis. p.24

Austerus.

Austerus sapor quid, eiusque effectus p.165

B

Balneum.

Balnei vsus in febre hectica p.358
Balneum vt competat in ardentibus & biliosis febribus,& quæ impediant p.350

Balsamum.

Balsamica vis mineralium, plantarum,& animalium,ab vnico cœlesti principio non prodit,contra Quercetanum p.53
Balsamum naturale partis conseruationem per similia indicat p.142

Basis.

Basis electio in compositionibus & dosis. p.213
Basim quæ corrigunt & dirigunt. p. 213
Basis quantitas & cœterorum vt moderetur p.312

Bilis.

Bilis plures species p.345
Bilem copiosiorem generantia quænam p.346
A Bile efferuescente putridam febrem excitari p.318
Biliosarum febriū differentiæ p.345
Biliosæ febres aliquando duplices p. 325
Biliosarum febrium causæ signa. p. 347
Biliosarum febriū Prognosis p.348
Biliosarum febrium curatio. p.348
Bilis vt coquenda p.349
Bilem purgantia p.350
Bilis præparandæ indicatio p.231
Bilem vitellinā præparantia p.232
Bilis flaua vbi colligitur p.69
Bilem sumi pro fœce contra Quercetan. p.79
Bilis atræ qualitates ex sententia Chymic. & Medicorum. p.80
Βουλιμίαν non ab intemperie, sed à spiritibus famelicis & salibus vitriolatis procedere Iuxta Hermeticos p.108. refutantur p.112.

Bubo.

Bubones & anthraces in peste ad expulsionem iuuandi. p.341
A Bubone ephemera spuria vt curanda. p.316

Bezoar.

Bezoar pesti vtilis. p.339

C

Cacochymia.

Cacochymia quid sit,& quid indicet p.221
Cacochymia particularis in corporis habitu vt causa morbis. p.133

Calcinatio.

Calcinatio quid, & quotuplex p.200
Calcinationis finis duplex p.200

Calculus.

Calculi coagulatio vnde. p.136

Calidum.

Calidi immortalis natura declaratur ex Hippocrate. In præfat.
Calidi innati definitio, et calor innatus duplex p.40
Calidi & humidi ad vitam necessitas p.55
Calidi natiui focus in corde. p.56
Calidi materia. p.56
Calidum fixum cur humido familiarius assignet p.58
Calidi & humidi substantiam distinctam esse p.58

Calidi natiui prima origo, eiusque reparatio. p.59
Calida & humida facile putrescunt p. 319
Calidum in febribus putridis quale p. 326
Calidum febrium malignarum aut pestilentium. p.337
Calidum quotidianarũ quale p.342
Calidum tertianarum p.347
Calidum quartanarum. p.352
Calidum Hecticorum quodnam p. 355
Calidorum diuersi gradus, & facultates p.160

Calor.

Calor ephemerarum qualis sentiatur p.315
Calor præter. nat. auctus febris dicitur pag.309
Calor febrilis an sit idem specie cum præexistenti naturali p.309
Calorem febrilem à corde diffundi p. 309
Caloris febrilis subiectum p.309
Caloris diffusionis impedimentum p. 310
Calorem febrilem actiones lædere p. 310
Calor externus est causa efficiens dissolutionis mixti, & cur sic dictus p.319
Caloris vires. p.192
Calorem natiuum esse elemẽtarem, cœlesti tamen similem. p.41
Caloris vitalis origo. p.40
Calorem cœlestem ab elementari non differre specie. p.43
Calorem natiuum esse instrumentum formæ p.49
Caloris natiui subiectum p.38
Caloris pabulum & vinculum esse humidum primigenium. p.55
Calorem natiuum iuuantia ad coctionem p.230.

Camphora.

Camphoræ proprietates ex Paracelso. p.62

Caput.

Capitis doloris Causa in febribus p. 364

Cardiaca.

Cardiaca quæ p.176

Casma.

Casmata & cometæ an in cælo sint. p. 30

Catharticum.

Catharticorum subsidiaria. p.203
Catharticum quid & quomodo agat p.174

Causa.

Causa morbi non lædit actionem absque morbo. p.102
Causas male confundi cum morbis ab Hermeticis p.110
Causas morborum non esse solum seminales tincturas p.111
Causa morbi efficiens quid & quotuplex p.130
Causas morborum astralium esse spiritus p.126
Causarum modi quot sint p.130
Causarum diuisio in internas & externas p.130
Causæ externæ quænam sint p. 130
Causa antecedens quid. p.131
Causas morborum ad quatuor humores referri. p.131
Causæ morborum in quibus locis reperiantur p.132
Causas morborum quatuor principiis tribui à Paracelso. p.134
Causas sanitatis & morbi non in solis qualitatibus, quæri ab Hippocr. sed in facultatibus quas per saporum differentias inuestigat p. 139
Causas morborum à succis mineralibus non prodire p.88
Causas morborum non ex salibus nasci,

nasci, neque curationem inde monstrari. p.138
Causarum quænam sunt indicationes. p.217

Causa.

Causæ calefacientes febrem inducentes quinque ex Gal. p.312

Causus.

Causus quotuplex. p.345
Causi signa, causæ & curatio. *Vide* in ardente.

Cephalica.

Cephalica medicamenta. p.176

Chylifica vis.

Chylifica vis num sit in intestinis. p.67

Chylosis.

Chylosis quid; & an sit mutatio substantialis. p.66

Chylus.

Chylus in sanguinem transiturus in hepatis carnem transfunditur. p.68

Chymicus.

Chymicos non destruere temperamentum mixtorum. p.9
Chymicos separare partes substantiales interioris craseos. p.17
Chymicus à Pharmacopœo parum discrepat. p.201
Chymiæ necessitas. p.209

Chymiologia.

Chymiologiæ cultores & Chymici qui.

Chyromantia.

Chyromantia quid significet. p.144

Cibus.

Cibi fastidij causæ. p.365

Cinefactio.

Cinefactio quid. p.199

Circuitus.

Circuitus febrium quid. p.324

Circulatio.

Circulatio quid, & quî fiat. p.200

Coagulatio.

Coagulatio quid, & quî fiat. p.197

Coagulatum.

Coagulatum quid. p.61

Coctio.

Coctio humorum quid. p.332
Coctionis primæ excrementa. p.67
Coctionis secundæ excrementa. p.69
Coctionis tertiæ excrementa. p.79
in Coctione prima non secerni salem, in secunda sulphur, nec retineri Mercurium. p.82
Coctionis humorum causa efficiens. p.230
Coctio quid & quotuplex. p.195
Coctionis finis. p.195

Constitutio.

Constitutio cuiuslibet partis quotuplex. p.114
Constitutio corporis quotupliciter alteratur. p.156

Contagium.

Contagium quid & quot modis transfundatur. p.336

Continens.

Continentes febres synochi quæ sint & quot sint. p.320
Continentes nõ exquisitæ cur exacerbentur. p.324
Continentium causæ. p.321
Continentium signa. p.334
Continentis pituitæ causa. p.342
Continens pituitosa ve à cæteris differ. p.342
Continentis Curatio. p.334

Continuum.

Continuæ febres quid, earumque differentiæ. p.320
Continuæ cur proportionatæ dictæ. p.320
Continuarum causæ. p.321

Continuæ

Continuæ quî conueniant, vel discrepent intermittentibus & continentibus. p.323.& p.333
Continuam alteri continuæ complicatam quæ ostendant. p.362
Continui solutio est tertium morbi genus. p.115

Contrarium.

Contraria contrariorum esse remedia. p.149.& p.215
Contrariorum nomine quid velint Medici. p.152
Contrariis curationem fieri vult Paracel. p.150
In contrariorum adhibitione non semper æqualia gradu præscribi. p.155

Conuulsio.

Conuulsio est morbus acutus. p.391
Conuulsionis curatio pro causæ multiplicitate. p.392
Conuulsæ parti admouentur hepata, & pulmones è viuis animalibus extracti. p.392
Conuulsiones producit medicamētum purgans assumptum. p.393
Conuulsio à refrigeratione & totius corporis congelatione calefactionem indicat. p.394
Conuulsionis idea. p.388
Conuulsio in musculos tantum cadit. p.388
Conuulsio quid iuxta Sennertum. p.389
Conuulsionis Causæ duæ generales ex Hippocrate. p.389
Conuulsio à repletione cum paralysi in causa conuenit ex Philotheo. p.390
Conuulsionis duplex differentia. p. 390

Cælum.

Cœli substantiam non esse ex elementis & principiis extractam aduersus Quercetanum. p.17
Cœlum non immisceri corporibus. p.30
Cœlum esse corruptibile. p.30
Cœlum esse causam inferiorum sed non principium constituens. p.30
Cœli materiam non communicare cum materia horum inferiorum. p. 31
Cœlos ex mundi materiæ præexistente non esse conditos. p.33
Cœleste seminarium an in mixtorum productione fuerit. p.33
Cœlestis influentia admittitur. p.34
Cœli influentia occulta conceditur. p.35

Cohobatio.

Cohobatio chymica præparatio quid. p.21

Colocynthis.

Colocinthidos extractum. p.203
Colocinthidos vis. p.163

Color.

Color corneæ vitiatus an morbus. p.103
Colorum causæ. p.168

Combustibile.

Combustibile seu cremabile quid. p.199

Communitas.

Communitas vasorum quid. p.226

Complexio.

An complexiones habeant locum in corporibus contra Paracelsum. p.63

Complicatum.

Complicatarum febrium curatio. p.363
Complicatarum & compositarum causæ. p.361

Compositio.

Compositionum vsus necessarius p.211
Compositionis medicamentorum quot causæ. p.211

Composi

Compoſitionem conſeruantia, & formam tribuentia compoſito. p.212
Compoſitionis ſcopi quot. p.213
Compoſitiones quam ineptè Paracelſus reiiciat. p.214
Compoſitiones Chymicorum alios ſcopos reſpiciunt. p.214
Compoſitionem qualitatum immaterialium non eſſe admittendam contra Paracelſiſtas. p.13

Compoſitum.

Compoſitæ & complicatæ febres quot ſint earumque differentiæ. p.359
Compoſitarum ſigna. p.362
Compoſitum medicamentum quid. p.157
Non componere naturam eo modo quo artifices diſſoluunt. p.12

Concretio.

Concretio ſalium & Chriſtallorum. p.197

Conformatio.

Conformatio partis quid indicet. p.94

Coquens.

Coquentia humores ad quid tendant & quouſque iis vtendum. p.332

Cor.

Cordi amica vegetabilia. p.96
Cordis anatomia oſſata quid indicet. p.141
Cor eſt ſubiectum febris. p.309
Cor heterogeneum triplici conſtat ſubſtantiâ. p.310
ex Cordis triplici ſubſtantia tres febrium differentiæ eſſentiales deſumuntur. p.10
Corde æſtuante non omnes febres ſimul conſociari. p.313

Corpus.

Corpus conſtat continentibus, contentis, & ſpiritibus. p.38
Corporis partes quod ſymbolum habent cum Planetis, & metallis. p.38
Corporis conſtitutio tripliciter immutatur. p.156
in Corpore humano tres eſſe balſamicas eſſentias. p.59 & p.91
Corpus quî renouetur ex Paracelſo. p.150
Corporis renouationem non eſſe abſque contrariorum mutatione. p.151
Corpus in quatuor quadras diſtinguitur. p.226
in Corporis vna quadra quot ſint oppoſitiones. p.226
Corporis qualitates alias nobiliores eſſe conſiderandas & vnde fluant. p.37
Corpora an reſoluantur in ea ex quibus compoſita ſunt. p.10. & p.22

Corruptio.

Corruptio quî differat à putredine. p.318

Craſſum.

Craſſum quid. p.162

Creatio.

Creationis rerum rationem malè à Quercetano aſſignatam. p.32

Cremor.

Cremor hordei vt paretur. p.359
Cremoris tartari præparatio & vires. p.209

Cruda.

Cruda purgantur obſeruatis conditionibus. p.224

Curatio.

Curatio duplex regularis & irregularis. p.332
Curationem per contrarias qualitates Crollius ineptè reiicit. p.150

Cutis.
Cutis obstructionis Causæ. p.329
Cutis obstructio vt curetur. p.329

D

Dæmon.
DÆmonum societatem habere non licet. p.128
Dariotus.
Darioti sententia examinatur, qui sales minerales vocat morborum causas. p.138
Deliquium.
Deliquium quid. p.198
Delirium.
Delirium vnde. p.364
Densum.
Densum, durum quid. p.161
Deriuatio.
Deriuatio quid. p.229
Deriuationis instrumenta. p.230
Destillatio.
Destillatio quid, ab Hippocrate insinuata. p.93
Destillatio quotuplex. p.194
Detergentia.
Detergentia quæ dicantur. p.330 & p.343
Deus.
Dei actio est substantia. p.46
Dei doctrina cunctis animatis & inanimatis concessa est. p.90
Dei cognitio ex hominis notitia eruitur. p.92
Deus an sit morborum causa. p.127
Deum esse omnium rerum principium. p.13
Dextra.
Dextra dextris, sinistra sinistris consentire. p.225
Diaria.
Diariæ definitio & differẽtiæ. p.314
ad Diarias dispositi. p.312
Digestio.
Digestio duplex, & quid. p.196
Diploma.
Diplomate seu duplici vase coquere quid. p.195
Dispositio.
Dispositio remediorum vt fiat. p.236
Dissimilare.
Dissimilarium partium constitutio in quibus stet. p.115
Dissimilaris pars quid, & quæ in hisce considerantur. p.93
Dissolutio.
Dissolutio vltima rerum elementa monstrat. p.4
in Dissolutione mixtorum facta per chymiam vel pharmaciam, non fieri corruptionem sed alterationem. p.12
Diuinum.
Diuinum in morbis quid significet. p.127
Diuinum aliqui pro qualitate cœlesti morbos causante assumunt. p.128
Diuinum in morbis Galenus sumit pro aëris ambientis dispositione. p.129
Dulce.
Dulcis sapor, eiusque vires. p.166
Dyspnœa.
Dyspnœa vnde. p.364
Δυνάμεις.
Δυνάμεις ἐσιώδεις quid. p.48

E

Ecthyma.
ΕΚθύματα quæ dicantur. p.366
Ecthymatum causæ. p.367
Ecthymatum tempora. p.369
Elementa.
Elemẽta sũt potestate in mixtis. p.10

an

an Elementa ex misto sint separabilia ipsis regeneratis. p.11
Elementa diuersas agendi vires habere in mixtis. p.191
Elementi & principij differentia. p. 1
Elementum quid & quot qualitates eorum. p.2
in Elementis non esse rerum semina. p.3
Elementa quatuor constituuntur. p. 4
Elementarium qualitatum contemplationem non debere chymico sordere. p.8
in Elementorum magisterio non separari elementa nisi analoga. p. 10

Elixatio.

Elixatio quid prout est coctio alimentorum. p.67
Elixatio medicamentorum. p.195

Emeticus.

Emeticus puluis febricitanti praescriptus. p.205

Empiricus.

Empirici circulatores reiiciuntur. In praefat.

Ephemera.

Ephemerae causarum signa distinctiua. p.316
Ephemerae Prognosis. p.316
Ephemerae legitimae curatio. p.316
Ephemerae non exquisitae, & productae, tum spuriae curatio. p.317
Ephemerae nothae, à sanguinis feruore curatio. p.317
Ephemerae pestilentis signa. p.318
Ephemera quae dicatur Ephemera quid & quotuplex. p.314
Ephemera num continua, an periodica. p.314
Ephemerae causae proximae, & remotae. p.315
Ephemerae differentiarum causae. p.315
Ephemerae signa. p.315

Epiala.

Epiala febris eiusque causae. p.341
Epialae signa. p.342

Epilepsia.

Epilepsiae causa à Dogmaticis cum Galeno statuitur. p.380
Epilepsia morbus est astralis à substantiâ spirituosâ, & aurâ malignâ genitus. p.126
Epilepsiae idea. p.380
Epilepsia dicitur iniussa conuulsio. p.380
Epilepsia à quibus oriatur. p.381
Epilepsiam morbum vitriolatum vocant Hermetici, & Paracelsistae. p.381
Epilepsiae sunt obnoxij pueri. p.381
Epilepsiae causa iuxta Fernelium. p.381
Epilepsia inuadit famescentem & iratum. p.381
Epilepsiae duplex differentia. p.382
Epilepsia in melancholiam abit. p.383
Epilepsia vnde oriatur ex Galeno. p.382
Epilepticum morbum puerilem vocat Auicennas. p.382
Epilepsia raro in paralysim migrat. p.383
Epilepsiae curandae duplex ratio. p.384
Epilepsiae quae sunt noxia. p.385
Epilepsiae curatio. p.386

Erysipelata.

Erysipelata parua in pueris. p.366
Erysipelatum causa. p.368
Erysipelatum signa. p.369
Erysipelatum curatio. p.371

Essentia.

Essentiae quintae cum elementis conuenientia ex Paracelso. p.10

Essentia quid. p.10
Essentia quinta variè accipitur, & quid Chymicis. p.29
Essentia quinta num sit cœlestis. p.30
Essentia quinta ab elementari non distat, etiamsi influxu superiorum corporum regatur. p.35
Essentia corporum quibus constet principiis. p.62
Essentia quinta quid Paracelso. p.63
Essentiam separant Chymici, & Pharmacopæi per similes præparationes. p.202

Euacuatio.

Euacuatio ab initio facta iuuat co-ctionem. p.250

Exacerbatio.

Exacerbationes periodicæ continuarum vnde prodeant. p.321
Exacerbatio febris quid. p.320

Exanthema.

Exanthemata quid. p.366
Exanthematum causæ. p.367
Exanthematum seu papulorum signa. p.369
Exanthematum tempora. p.369
Exanthematum curatio. p.370

Excrementum.

Excrementa sanguinis ex analogia vini distillati cum sanguine à Quercet. proponuntur. p.79
Excremēta coctionis triplicis. p.67

Excretio.

Excretionum ad cutem quædam symptomaticæ, aliæ criticæ. p.368
in Excretionibus curandis quid agendum. p.370

Extractio.

Extractio quid & quî fiat. p.197

Extractum.

Extractum Colocyntidos. p.203
Extractum scammonij, & mechoacam. p.203
Extractum trochiscorum alhandal. p.204
Extractum pilularum Libauij. p.204

F

Facultas.

FAcultates occultas non semper ab anima prodire, sed ab alia forma simul iuncta. p.173
Facultas tertia multa sub se continet. p.174
Facultates succorū prodire ex quibusdam substantiis sapore vario constantibus ex Hippocr. p.135
Facultatum medicamentorum tres ordines. p.159
Facultas prima quid. p.159
Facultates primas non esse occultas. p.160
Facultas secunda medicamentorum quid. p.161
Facultatum secundarum tres ordines. p.161
Facultas tertia quid dicatur. p.169
Facultates dari occultas quæ ad primas non reuocantur. p.171

Familia.

Familiæ tres in natura, vna mineralis, alia vegetalis, & animalis quorum vna in aliam nō transit. p.53

Fames.

Famis causæ. p.364

Febris.

Febres nitro sulphureæ iuxta Paracelsum. p.106
Febres ab Hermeticis ac Galenicis camdē agnoscere causam. p.113
Febris putridæ indicationes curatoriæ quot. p.218
Febrium quotnam sint periodi. p.324

Febres

Febres quintanæ, ſextanæ quales & vnde. p.324
Febres non omnes à Bile in Ioubertum. p.323
Febrium recurſus vnde pendeat. p. 322
Febrium recurſus, cur aliquando ſine perfrigeratione. p.323
Febris putrida quid. p.318
Febrium putridarum differentiæ ex tribus capitibus. p.320
Febris putridæ cauſæ immediatæ & mediatæ. p.318
Febrium putridarum iuxta differentias. p.321
Febrium putridarum ſigna. p.326
Febrium putridarum imminentium ſigna prognoſtica. p.328
Febrium putridarum curatiuæ indicationes. p.328
Febrium putridarum ſcopi curatiui p. 329
In febre putrida non ſemper phlebotomiam competere. p.331
Febres putridæ exquiſitæ & nothæ quæ p.321
Febris ſymptomaticæ cum puſtula anthraci ſimili quæ ſit. p.346
Febris vnde dicta. p.309
Febris definitio. p.309
Febris ſub qua ſpecie morbi contineatur. p.309
Febris ſubiectum. p.309
Febrium differentiæ eſſentiales. p. 310
Febris differentiæ ex triplici ſubiecti ratione in Ephemeras, Humorales, Hecticas. p.310
Febriũ differẽtiæ accidẽtales. p.311
Febrium cauſæ vniuerſales quinque. p.312
Febrium ſigna antecedentia. p.313
Febrientes quæ frequentius infeſtant. p.313
Febrium quis pulſus familiaris. p. 313
Febrium Prognoſtica. p.315
Febrium vniuerſalis curatio. p.314
Febres erraticæ. p.324
Febres complicatæ, & nothæ periculoſiores. p.362
Febrium notharum curatio. p.363
Febres an ſolæ periodos ſeruent. p. 324

Feruor.

Feruorem temperantia intus & extra. p.349

Fixatio.

Fixatio quid; & quî peragatur. p. 198

Fœmineum.

Fœmineum ſemen dari. p.90

Fœtor.

Fœtoris putreſcentium cauſa. p.319

Fœtus.

Fœtus maculæ vnde. p.180

Forma.

Formas non eſſe actu in materiâ, ſed de eius potentia educi, contra Anaxagoram. p.17
Formam ſibi ſimilem non generare in ſemine, ſed ſui characterem iuſſu creatoris imprimere, cuius virtute aliarum forma educitur. p. 18
Formas plures partiales admitti à Scotiſtis. p.157
Formam eſſe principem rerum cauſam. p.83
Forma mixti datur præter temperiem. p.158
Forma proprietatum occultarum cauſa quænam ſit, & cur à craſi diſtincta. p.118
Formę morbosnō dari p.121. & 122
Forma proprietatum occultarum cauſa, à vegetatiua diſtinguitur, calido humidoq; inhæret. p.157
Formæ proprietas quî à forma diſtinguatur. p.169
Forma corporum naturalium. p.157

Formatrix.

Formatrix vis Dei doctrinam habet p. 90

Formatrix quî semini communicetur. p.90

Formatio.

Formationes fœtus per Chymicas elaborationes fieri iuxta Hermeticos. p.91

Friabile.

Friabile quid. p.162

Frigida.

Frigida medicamenta quid operantur. p.160

Fusio.

Fusio quid. p.198

G

Galenus.

Galenicorum secta. In præfat.

Galeni locus explicatur. p.331

Gelatina.

Gelatina purgans. p.204

Generatio.

Generationis principia contraria sunt. p.14

Generatio quid. p.88.

Gustus.

Gustus deprauati causa. p.365

H

Hæmatosis.

Hæmatosis qui fiat. p.67

Hectica.

Hectica est intemperies simplex p.113

Hectica quid, eiusque differentiæ. p.311. & p.354

Hecticæ progressæ triplex gradus p.355

Hecticarum causæ. p.355

Hecticorum signa cōmunia p.355

Hecticis cur post cibum sumptum pulsus aliquanto celerior reddatur. p.355

Hecticæ cum putrida mixtæ signa distinctiua. p.356

Hecticæ incipientis signa. p.356

Hecticæ Marasmodis non exquisitę signa p.356

Hecticæ Marasmodis signa. p.356

Hecticæ signa Prognostica. p.356

Hecticæ curatio. p.357

Hecticæ diæta. p.357

Hecticæ pestilentis signa. p.358

Hecticorum medicamenta alterantia. p.357

Hemitritæus.

Hemitritæus verus quid. p.360

Hemitritæus paruus quid. p.361

Hemitritæi Causa. p.362

Hemitritæi signa. p.362

Hemitritæi prognosis. p.363

Hemitritæi curatio. p.364

Hepar.

Hepatis venæ vim sanguinem conficiendi non habent. p.68

Herba.

Herbarum vires ex signaturis perperam indagari. p.149.

Hermeticus.

Hermetici qui. In præfat.

Hermeticos in Anaxagoræ sententiam incidere in suorum principiorum doctrina. p.17

Hermes non ex qualitatum temperie, sed ex proprietatum signis de moribus iudicat. p.146

Hermetici positis falsis principiis, falsas eliciunt conclusiones. p. 150

Homo.

Homo nudus nascitur, & inermis. In præfat.

Hominis excellentiam Dei operatio commendat. In præfat.

Hominis

Hominis formatio ipsius præstantiam insinuat. In præfat.
Homo qui dicatur paruus mundus. In præfat.
Homo cur tot bona amiserit. In præfat.
Hominis lapsum quî Deus reparauit. In præfat.
Hominem diuidi à Paracelso in septem membra principalia, septem planetis & mineralibus respondentia. pag. 57

Horror.

Horror quid, eius Causæ, & differentiæ. p. 327

Humidum.

Humidum diuiditur in fluidum & vaporosum. p. 7.
Humidum viuentium spumosum quotuplex. p. 7.
Hcmidi ad vitam necessitas. p. 55
Humidi & Calidi materia est pinguis, & oleosa. p. 56
Humidum primigenium vocari sulphur à Chymicis. p. 56
Humidi triplex differentia statuitur. p. 57
Humidum salis nomine expressum quid. p. 57
Humidi radicalis, & primigenij natura. p. 58
Humidum radicale ex qua materia reficitur. p. 59
Humidum coagulatum quid ex Paracelso. p. 61
Humida medicamenta quid operantur. p. 160
Humidum quale per calcinationem perditur. p. 200
Humidæ substantiæ consumptionis triplex gradus. p. 354

Humor.

Humores in cerebro contenti pituitosi & spiritibus permissi. p. 375
Humores sunt elementa sanguine præditorum. p. 64.
Humor quid. p. 64
Humores esse in corpore contra Paracelsum. p. 64
Humores cur nosse oportet. p. 65
Humorum existentiam & vsum ostendi ex nutritione. p. 66
Humoralis febris quid. p. 311. & p. 318
Humoralium febrium causæ. p. 318
Humorales febres non solum ex putredine sed ex efferuescentia succorum prodire. p. 318
Humorum diuersitate febres putridas distingui. p. 323
Humores præparantia. p. 332
Humores non sunt in sanguine, vt in propriis conceptaculis. p. 71
Humorum proportio quæ sit in sanguine. p. 71
Humores an actu sint in sanguine p. 71
Humores alimentarios simul generari. p. 73
Humorum Hermetica Anatome. p. 76
Humores secundarij quatuor. p. 78
Humores constare quatuor qualitatibus. p. 83
Humorum nomina immutasse Paracelsum. p. 83
In humoribus tres distinctæ substantiæ animaduertuntur à Dogmaticis & Hermeticis. p. 87
An humores principiis vulgaribus constent an Paracelsicis. p. 83
An humorum, & aliorum principia Hippocrates assignauerit certis rebus, quæ respondent Hermeticorum principiis. p. 85
Humores iuxta suos sapores corpus alterare. p. 87
Humores quatuor elementis respondere. p. 4
Humorum sapores non esse exprimendos

mendos mineralium vocibus. p.83.& 87
Humores constare censent Hermetici spiritibus,& salibus mineralibus. p.83.refelluntur.p.84
Humorum partes Chymicorum vocibus expositæ, cum nostris terminis conciliantur. p.84.& 87
Humores solâ primâ qualitate non nocere sed aciditate, amaritudine,& salsedine. p.135
Humores esse morborum causas. p. 134
Humorum differentiæ vnde duci debeant. p.139
Humores excrementitij per suos sapores designandi,potius quam per mineralium voces. p.140
Humorũ præparatio qui fiat. p.230
Humoris species definitum purgans indicat. p.222
Humore turgente purgandũ. p.222
Humor qui fluit purgandus. p.223
Humor quiescens in primis viis purgandus. p.224
Humores parti infixi non sunt purgandi ante coctionem. p.224
Humorum qualitatis vitia. p.230

Hydrargirum.

Hydrargirum præcipitatum. p.172

Hylech.

Hylech Paracelsi quid. p.36

I

Icterus.

ICteri causa. p.365

Ignis.

Ignem elementis annumerari probatur. p.5
Ignem in corporibus animalium commisceri. p.5
In igne nec Mercurium nec sulphur contineri. p.22
Ignis effectus à Medicis cogniti. p.200

Iliastos.

Iliastos Paracelsi quid. p.61

Imaginatio.

Imaginationis vis, & quî in corpus operetur. p.179
Imaginationem in corpus disiunctam non agere. p.180

Incantatio.

Incantationibus morbos nullatenus sanari. p.178

Indicatio.

Indicatio vniuersalis quænam sit. p. 142
Indicatio vniuersalis an sit vnica. p. 143
Indicatio particularis ab illa Dogmaticorum non dissimilis, ab Hermeticis nõ requiritur. p.142

Inedia.

Inedia,somnus diurnus, coitus immodicus,& potus aquæ Coriandro,aniso,&c. nocentia. p.378

Inflammabile.

Inflammabilia quæ. p.199

Influentia.

Influentias cœlorum admitti. p.34
Influentia cœli quintam essentiam æthercam non introducit. p.35

Infusio.

Infusio quid & quî fiat. p.197

Insipidus.

Insipidus sapor. p.166

Instrumentum.

Instrumentorum vitia quænam. p.216

Intemperies.

Intemperiei febrilis alteratio.p.332
Intemperies variæ per experientiam assignantur. p.113
Intemperiei species. p.114
Intemperies occulta qualis. p.115
Intemperiei curatio. p.216

Intemperiei causæ, & qui curationis indicationes subministrent. p.218
Intemperiei cum materiæ affluxu curatio. p.236

Intermittens.

Intermittentium implicationes trifariam accidunt ex Auicenna. p. 361
Intermittentes implicatæ. p.362
Intermittentes febres quæ sint. p.320
Intermissionis febrium causę. p.321
Intermittentis febris causæ remotæ. p.322
Intermittentium focus. p.322
in Intermittentibus duas aut tres partes esse in vitio. p.322
Intermittentium humor causans febrem in varias partes, tum in venam cauam amandatur. p.323

Inuentio.

Inuentio remediorum quomodo comparetur & per quam regulam. p.215.& p.236

Ioubertus.

Iouberti sententia de causis febrium impugnatur. p.323

Ius.

Iura instaurantia hecticis vtilia. p.359

L

Lac.

LAc hecticis optimum humanum, asininum, caprinum. p.358

Lapidescens.

Lapidescens succus quid. p. 76. & p.137

Lassitudo.

Lassitudo vnde. p.364

Latica.

Latica quæ, & lenta febris. p.341

Lene.

Lene quid. p.161

Lenitas.

Lenitatis causa. p.161

Lentor.

Lentor dentium, & palati causa. p.364

Libauius.

Libauius artis Chymicæ splendorem tulit. p.193
Libauius doctrinæ Paracelsicæ impietatem refellit. in præfat.

Liber.

Libri tenebrarum improbatæ lectionis quos authores habeant. p.176

Lipyria.

Lipyria quid.p.345.signa 347. prognos.p.348.curatio. ibid.

Liquatio.

Liquatio quid. p.198

Lumbus.

Lumborum doloris causa. p.364

M

Madefactibile.

MAdefactibile seu macerabile medicamentum. p.197

Magia.

Magia Paracelsica condemnatur in præfat.

Magisterium.

è Magisterio elementorum non separantur elementa nisi analogicè. p.10
Magisterium Chymicis quid. p.10

Magnes.

Magnetica vulnerum curatio an sit naturalis. p.183
Magnetis virtutem esse mirabilem. p.183

An magnetica vis propagetur à firmamento in corpora. p.183
Magnetis operationes non sunt præstigiæ dæmonum. p.185
Magnetismus in quibusdam rebus naturalibus probatur. p.186
Magnetismum in rebus miraculosis non esse immiscendum; contra Van-helmont. p.186
Magnetica vis non tam potens, vt ad remota agere valeat. p.187
Magnetica vis quorumdam approbatur. p.176
Magnetica vis quæ sit. p.173
Magnetismi causæ proximæ à Van-helmont statuuntur. p.187. refutatur. p.188
Magnetismi patroni sint ne spiritus p.189

Malignitas.

Malignitatem reprimentia medicamenta. p.340

Malignus.

Malignarum febrium diæta. p.341
Malignus morbus quis dicatur. p.335
Malignarum febrium quot species, tum sporadicæ, tum pestilentes. p.335
Malignarum impropriè causę. p.336
Malignarum propriè causæ. p.336
Malignarum febrium signa. p.336
Malignarum symptomata. p.337
Malignarum febrium signa distinctiua. p.337
Malignarum febrium prognosis. p.338
Malignarum prophilaxis, & curatio per indicationes. p.338

Marasmus.

Marasmodis febris non exquisitæ signa. p.356
Marasmodis febris exquisitæ signa. p.356
Marasmi notæ. p.356
Marasmi curatio. p.359

Mare.

Maris salsedo vnde oriatur, & quâ varias partes ex ipsius sale chymici eliciant. p.24

Materia.

Materia subiecta huiusce operis. In præfat.
Materiales qualitates Paracelsistæ falso repudiant. p.9
Materia cœli an eiusdem sit speciei cum materia horum inferiorum p.31
Materia prima omnium vnica est, secunda vero multiplex. p.99
Materiam aut formam morbos per se non pati. p.121

Maturatio.

Maturatio coctionis species. p.195

Medicamentum.

Medicamenta specificâ. p.176
Medicamenta vehementia nocent. p.203
Medicamẽtorum compositio. p.211
Medicamentum quid potestate agẽs p.155
Medicamentorum triplex genus. p.156
Medicamenti ab alimento & veneno distinctio. p.156
Medicamentum simplex & compos. p.157
Medicamentorum facultates & gradus quot. p.159
Medicamentum temperatum quid. p.160
Medicamentum calidum. p.160
Medicamentorum secunda facultas. p.161
Medicamentorum tertia facultas. p.169
Medicamẽta occulta qualitate agẽtia. p.154
Medicamentum purgãs quid. p.174

Medica

Medicamentum sympathicum quî agat. p.180
Medicamenta diuretica. p.344

Medicina.

Medicinam vniuersalem non esse vnicam. p.143
Medicæ artis necessitas. In præfat.
Medicinæ primi cultores. In præfat.

Medicus.

Medicorum sectæ tres. In præfat.

Mel.

Mel tres substantias obtinet. p.23

Melancholia.

Melancholiam præparantia. p.352
Melancholiam purgantia. p.353
Melancholiam naturalem & præter naturam præparantia. p.235

Melancholicus.

Melancholicus excrementitius. p.70
Melancholicus humor an crassus vel liquidus. p.80
Melancholici succi differentiæ. p.80
Melancholici succi differentiæ quid indicent. p.235
Melancholici succi causæ. p.351

Mercurius.

Mercurius sublimatus. p.195 & p.209
an Mercurius sit metallorum materia est incertum. p.24

Metallum.

Metallorum materia est terreum siccum coctum. p.7
Metallorum productio ex elementis quî fiat ex Aristotele. p.27
Metallorum cum partibus corporis analogia. p.38
Metalla an vitam habeant. p.53
Metallica & mineralia an sint vtilia. p.205

Methodus.

Methodus inueniendi remedia per indicationes. p.215
Methodus Dogmaticorum à Crollio probatur reiecta Paracelsica. p.257

Minera.

Mineralis natura in homine non reperitur. p.53
Minera febris quid. p.322

Mista.

Mista non semper reducuntur in ea ex quibus componuntur. p.11
Mistio fit cum generatione. p.11
ex Misto elementa separari ipsis regeneratis. p.11
quod Miscetur dum in aliud mutatur non potest in prius assumptum resolui. p.11
in Misto quî maneant partes miscibilium. p.12
in Mistis alias proprietates comperiri quam in elementis. p.25
ex Mistis quæ Chymici separant sunt partes interioris craseos. p.18
Mixti dissolutionis causa. p.318

Morbillus.

Morbilli quid dicantur. p.367
Morbillorum causæ. p.368
Morbillorum emergentium signa. p.369
Morbillorum Prognosis. p.369
Morbillorum curatio *Vide* variolæ.

Morbus.

Morborum occultorum indicationes, & præsidia. p.219
Morbi substantiæ quatenus admittantur. p.158
Morbus vertiginem patiens quis. p.376
Morb. definitio. p.100
Morbus non habet species in diuersis categoriis. p.111
Morbus non est relatio. p.111
Morbus cur dicitur affectus præter nat. actionem lædens. p.112
Morbi particulæ definitionis explicantur. p.112

Morbus est in parte viuente. p.104
In morbi definitionem argumenta Argenterij diluuntur. p.102
Morbi nũ ex sale, sulphure & mercurio prodeant. p.105
Morbi ex sulphure. p.106
Morbi mercuriales. p.106
Morbi ex sale. p.106
Morborum causas & differentias ex tribus principiis promanare & ab his cognosci iuxta Hermeticos. p.107
Morbi telolacei vnde emergant ex Quercetano p. 109. vnde oriantur. p.112
Morborum differentiæ ab Hermeticis stabilitæ refutantur. p.109
Morborum causæ an sint seminales tincturæ & quomodo agant. p.112
Morbi differentiæ in vniuersum duplices iuxta Dogmaticos. p.113
Morbi species tres ratione subiecti. p.114
Morbos organicos actiones similarium partium lædere. p.115
Morbi conformationis falso negantur ab Hermeticis. p.116
Morbus solutionis continui admittitur. p.116
Morborum totius substantiæ diuersa acceptio. p.116
Morbos materiæ & formæ sub intemperie contineri. p.120
Morbi substantiæ an illæso vulgari temperamento introducantur. p.121. & 124
Morbi substantiales qui dicantur. p.120
Morbi substantiæ ad intemperiem occultam reuocantur. p.121
Morbi materiæ & formæ quibus argumentis probentur. p.121
Morbi totius substantiæ quibus rationibus probentur & reiiciantur. p.122
Morbos occultos vagari per tria morborum genera & ad quod genus reuocentur. p.125
Morbum sacrum iuxta Hippocratem incantationibus non esse curandum. p.128
Morbum per incantationem inflictum, non esse magicè curandum aduersus Paracelsum, & Crollium. p.128
Morborum astraliũ matrices. p.126
Morbi astrales quot mod.s sumantur. p.131
Morbi indicationem non esse vnicam. p.144
Morborum genera quæ remedia indicent. p.215
Morbis intemperiei quot opponantur medicamenta. p.217

Mores.

Mores ex corporis temperie innotescere. p.145

Mundus.

De Mundi creatione vera sententia proponitur ex sanctis Patribus p.53

N

Natura.

NAturæ tria regna seu tres familiæ. p.53
Naturam non componere vi Chymici dissoluunt. p.12
Natura aliquando artem superat & alias ab arte superatur. p.112
Natura vniuersalis quæ. p.13
Natura secunda quænam sit, eiusque instrumentum. p.13
Naturam esse morborum curatricem. p.55

Naturalis.

Naturales facultates quam doctrinam in suis operibus assequantur. p.90

Nausea.

Nausea.

Nauseæ causa. p.364

Nociuum.

Nociua Ægro & à quibus abstinere debeat. p.378

Nomen.

Nomina artis Paracelsum immutasse. p.21

Nomina rerum non esse immutanda. p.83

Nomina noua & inusitata malè ab Hermeticis vsurpari. p.109

O

Obstructio.

Obstructio causa est prohibitæ transpirationis, & quotuplex. p.329

Obstructionis cutis causæ. p.329

Obstructionis vasorum causę. p.329

Obstructionis curandæ quæ auxilia. p.329

Obstructioni quando purgatio cõferat. p.330

Obstructionis vasorum abdominis curatio. p.330

Obstructio omnis phlebotomiam non indicat. p.330

Obstructionis aperientia medicamenta. p.330

Odontica.

Odontica. p.176.

Odor.

Odores vnde procedant. p.168

Odores distingui pro saporũ varietate. p.168

Ex Odoribus medicamentorum tẽperiem vix coniicimus. p.168

Odoriferum.

Odorifera in peste conuenire. p.339

Oleagineus.

Oleagineus humor quis. p.57

Oleosus.

Oleosa corpora inflammationi esse apta. p.56

Oleum.

Oleum scorpionis Matthioli ad pestem. p.340

Operatio.

Operationum naturæ vis an à spiritibus procedat. p.110

Ophtalmica.

Opthtalmica. p.176

Organicus.

Organicarum partium constitutio & morbi. p.115

Oruiatan.

Oruiatani antidotus ad pestem. p.340

Oscitatio.

Oscitatio, & pandiculatio quid. p.326

P

Papula.

Papularum causæ. p.367

Paracelsista.

Paracelsistarum secta tanquam Diabolica & blasphema condemnatur. In præfat.

Paracelsistæ Ignari prauæ dispositionis. In præfat.

Paracelsus.

Paracelsum falso Dogmaticorum remedia contemnere. p.210

Paroxismus.

Paroxismi vertiginosi curatio in quo consistat. p.377

Paroxismi febriles cur aliis longiores. p.325

Paroxismorum ordo. p.325

Paroxismorum procuranda præseruatio. p.378

Pars.
Partes certas respiciunt medicamenta. p.175
in Parte humorosum spirituosum & solidum distingui. p.58
Partis definitio. p.93
Partes similares & dissimilares & quot in iis consideranda. p.94
in Partium substantia ;quænā principia Hermetici considerant,quæ à nostris non distant. p.94
Partis substantiam qui Dogmatici proponant. p.94
Partes similares præter qualitates elementares alias occultas obtinere. p.94
Partium dissimilarium conformatio. p.94
Partium similarium ἐντελεχεία in temperie consistit sicut morbosa dispositio in intemperie. p.115
à Partis temperie quænam indicationes fluant. p.217
Πεμφιγώδεις.
Πεμφιγώδεις. p.312
Pepsis.
Pepseos & pepasmi differentia. p.230
Periamma.
Periammata periapta quænā. p.176 & 180
Perfrigeratio.
Perfrigeratio quid, eiusque causæ. p.326
Periodus.
Periodus quid. p.324
Periodicos affectus alios esse præter febriles. p.324
Periodi febrium triplices. p.324
Periodorum febrilium diuersitatis causa.p.324
Pestilens.
Pestilentes propriè febres quæ. p.335
Pestilentis febris differentia. p.336
Pestilentis febris causæ. p.336
Pestilentium febrium signa communia. p.336
Pestilentium signa peculiaria.p.338
Pestilentium febrium pulsus mediocris vnde. p.338
Pestilentium prognostica. p.338
Pestilentium præcautio. p.339
Pestilentium indicationes curatiuę. p.339
Pestilentium remedia. p.339
Pestilentium febrium diæta. p.340
Pestis.
Pestis quid. p.335
Petechia.
Petechiæ papulæ. p.366
Peticula.
Peticularum curatio, & num phlebotomia conferat. p.370
Periculis erumpentibus, an purgatio conferat. p.370
Peticularum curatio per Alexipharmaca. p.371
Pharmacopæus.
Pharmacopæi Dogmatici & Chymici medicamenta præparando eorum vires detegunt p.202
Phlysacium.
Phlysaciorum natura, & differentiæ. p.367
Phlysaciorum causa. p.368
Phlysaciorum signa. p.369
Phlysaciorum curatio. p.361
Physiognomia.
Physiognomia ad mores hominum inquirendos inseruit. p.145
Phthisis.
Phthisis quid. p.415
Phthisis per antonomasiam ad quid spectet. p.415
Pituita.
Pituitæ multiplex conditio. p.341
Pituitæ prouentus vnde. p.343
Pituitam præparantia. p.343
Pitui

Pituitam purgantia. p.344
Pituitam acidam & vitream præparantia. p.234
Pituitam salsam præparantia. p.234

Planeta.

Planetarum analogia cum partibus corporis. p.38

Planta.

Plantas è mineralibus alimentum non capere vnde succi illi analogi exoriantur. p.85

Plenitudo.

Plenitudo & vires non semper phlebotomia curatur. p.220
Plenitudinis quantitas & qualitas distinguenda. p.220

Plenum.

Plenum quid. p.162

Plethora.

Plethora & quod remedium indicet. p.220

Pleuritis.

in Pleuritide eiusdem lateris vena secanda. p.228
Pleuritis morbus lateralis, laterisque dolor à Celso nuncupatus. p.411
Pleuritidis duplex ab affecta particula differentia ex Galeno. p.411
Pleuritidis causæ internæ, & externæ. p.412
Pleuritidis causæ procatarcticæ. p.412
Pleuritidis exquisitæ pathognomica, seu propria & demonstratiua signa comprehenduntur ex Galeno. p.413
Pleuritidis signa assidentia. p.413
ad Pleuritidis curationem, & empyematis & Phthiseos præcautionem quæ sunt instituenda. p.415
in Pleuræ inflammatione quid captandum. p.416
Pleuritides quando sint malignæ & mortiferæ. p.417

Pondus.

Pondus graue sentit Æger, dum febris exacerbatur, & rigor inuadit. p.414

Potio.

Potiones suaues à Pharmacopæis parantur. p.204
Potiones vulgares licet ingratæ vtiles sunt. p.210
Potionum clarificatio quid. p.205

Præparatio.

Præparationes medicamentorum quot. p.192
Pręparatio ad purgationem duplex. p.230

Principium.

Principia passiua Chymicorũ. p.21
an Principia Hermeticorum Hippocrates nouerit. p.85
Principia Chymicorum sunt mixti partes. p.18
Principia quænam sint ab Hippocrate posita. p.87
de Principiis rerum opinio Platonis & Aristotelis. p.13. & p.14
Principiorum Paracelsi refutatio. p.14
Principia Paracelsistarum nostris non opponi. p.20
Principia Chymicorum non sunt resolutione vltima. p.21
Principia Paracelsicorum ab elementis, & principiis Dogmaticorum non distingui. p.109
Principia Paracelsi non esse noua. p.27
Principia Chymica ex qualitatibus contrariis constare. p.110

Proprietas.

Proprietates rerum non à principio æthereo oriri aduersus Hermeticos. p.53

Proprie

Proprietatum causas neque solas esse substantias, nec solas qualitates, sed vtrasque concurrere. p.169
Proprietates occultas à vulgaribus iuuari. p.171
Proprietates multæ à viuorum forma pendent. p.172
Proprietates occultas à forma manare. p.173

Pseudo.

Pseudo-chymiatri, seu spagyrici medicamenta sub specie suauitatis adulterant. p.204

Pulmonica.

Pulmonica. p.176

Pulsus.

Pulsus febrium quis. p.313
Pulsus Ephemerarum. p.315
Pulsus putridarum. p.326
Pulsus synochi putris. p.334
Pulsus malignarum & pestilentium. p.337
Pulsus quotidianarum. p.337
Pulsus mediocres in pestilentibus vnde. p.338
Pulsus tertianarum, intermittentium. p.347
Pulsus quartanarum. p.352
Pulsus hecticorum. p.356

Punctorius.

Punctorij doloris quadruplex causa. p.413

Purgans.

Purgantia à Galenicis parata eodem pacto purgant, ac extracta. p.203
Purgantium vires vnde prodeant ex sententia Hermeticorum, & Dogmaticorum. p.203
Purgantium quid, & qui operetur, *Vide* Catharticum.

Purgatio.

Purgatio quibus conferat, aut non. p.221
in Purgatione quænam consideranda. p.221
Purgatio num circa morbi statum conferat. p.224
Purgandum in morbo ancipiti in principio. p.224
Purgatio in morbo lethali non est paranda. p.225

Putredo.

Putredinis excellentia ex tribus orta. p.336
Putredinem emendantia quæ. p.331 & p.340
Putredo quotuplex. p.318
Putredo quid ex Arist & Gal. p.318
Putredinis causa efficiens. p.318
Putredinis materia. p.319
Putredinis nobis natæ causæ, non ad prohibitam tantum transpirationem pertinent, sed ex parte materiæ ad multo plura. p.319
Putredinem intra nos excitantia multa. p.319

Q

Qualitas.

Qualitates occultas, ex vulgaribus manifestis non prodire. p.170
Qualitates primas esse instrumenta mutationum. p.150
Qualitates plures in mistis quarum ratio per elementares non redditur. p.170
Qualitates primæ quot, & earum vires. p.192
Qualitates secundæ quot sint. p.192
Qualitatum possibilium differentiæ p.192
Qualitates occultæ quæ totius substantiæ morbos generant, & an sint elementaribus congeneres. p.119

Qualitates occultas à Galeno admitti. p.117
Qualitates occultæ à nobiliori formâ procedunt quam elementares. p.119
Qualitates occultas negantibus respondetur. p.171
Qualitates occultas non solas diffundi in subiectum, sed cum ἀπορροίᾳ. id est effluxu corporeo. p.171
Qualitatem occultam aliquando subsistere destructâ mixti temperie. p.172
Qualitates occultas in vegetatiuis pendere ab alia forma partiali. p.172

Quartana.

Quartana febris quid, eiusque differentiæ. p.351
Quartanæ causæ & signa. p.351
Quartanæ prognostica. p.352
Quartanæ curatio. p.352
Quartanæ quatuor vacuationum genera conferũt. p.353
Quartanæ diæta. p.354
Quartana duplex & triplex. p.324

Quintus.

An Quinta natura sit admittenda præter complexionem ex tribus principiis. p.62

Quotidiana.

Quotidianarum febrium differentiæ. p.341
Quotidiana continens. p.341
Quotidiana continua. p.341
Quotidiana lenta latica. p.341
Quotidiana intermittens exquisita. p.341
Quotidiana continua per subintrantiam. p.341
Quotidiana duplex p.341
Quotidiana notha. p.342
Quotidianarum causæ. p.342
Quotidianæ exquisitæ signa. p.343
Quotidianæ cõtinentis signa. p.343
Quotidianæ continuæ signa. p.343
Quotidianarum Prognoses. p.347
Quotidianarum curatio. p.347
Quotidianarum victus ratio. p.344

R

Rectitudo.

Rectitudo κατ' ἴξιν triplex. p.227

Reliquiæ.

Reliquias sanctorum, & res sacras secum gerere pium, & sanctum est. p.180

Relolleum.

Relolleum quid. p.62

Remedium.

Remedia extraordinaria. p.178
Remedia à mineralibus petita non habere symbolum cum partibus. p.38

Reuulsio.

Reuulsio quid. p.225
In Reuulsione rectitudo obseruanda. p.225
In Reuulsione per phlebotomiam vna quadra non transgreditur. p.226
In Reuulsione diametrum longitudinis, & latitudinis transcurrit Auicenna. p.226
Reuulsionis modus variè indicatur, pro fluxu humorum. p.226
In Reuulsione tria cõsiderari. p.227
Reuulsio facienda in quolibet fluxus tempore. p.227
In reuulsione quæ rectitudinis species seruentur. p.227
Reuulsionis modi iuxta varios partium affectus. p.228
Reuulsionis quantitas. p.228
Reuulsiones quibus præsidiis perficiantur. p.228
Reuulsiones quibus instrumentis perficiantur. p.229

Rigor.
Rigor quid. p.326
Rigor cum perfrigeratione cur appareat, & quibus in morbis. p.326
Rigor aliàs absque perfrigeratione. p.328
Rigoris causa. p.328
Rigoris differentiæ in criticum, periodicum, & symptomaticum. p.328
Rigoris quartanæ febris curatio. p.353
Rosa.
Rosa quid. p.366

S

Sal.
SAl in mixtis vt principium generationis. p.91
In Sale an sit vis concretionis. p.25
Salem saporum causam esse. p.167. & 85
Salem in mixtis reperiri. p.164
Salem in humoribus excrementitiis inesse. p.85
Sales minerales an sint in homine. p.83
Sales an inter causas morborum numerentur. p.137
Salium genera suam à similibus curationem indicare iuxta Dariotum. p.107
Salsus.
Salsus Sapor. p.164
Sanguis.
Sanguinis fluxus vnde. p.365
Sanguis quid. p.333
Sanguis putret. p.333
Sanguinem quæ generent. p.333
Sanguis venalis non est purus. p.70
Sanguis non ex solis tribus succis constat aduersus zurisanum. p.73
In sanguine tres partes reperiri ex Chymicorum sententia. p.75
Sanguinis anatomia Hermeticorum examinatur. p.76
Sanguinis missio fit triplici scopo p.221
Sapor.
Ad Sapores passiuas qualitates conducere. p.163
Saporum differentias pro diuersis salium differentiis ab Hermeticis annumerari. p.85. & 163
Sapor quid, eiusque differentiæ. p.163
Sapores non ex salibus, sed ex temperie & materia pendere. p.167
Sassafras.
Sassafras decoctum. p.343
Semen.
Semen & sanguis maternus elementorum mixtionem testantur. p.4.
Semen humoribus ortum, eiusque diuina vis. p.88
Semen quid eiusque qualitates. p.88
Seminis materia duplex. p.89
Semen est materiale principium generationis & efficiens. p.90
Semen duplex est. 90
Semen duplex in vtroque sexu. p.90.
Seminis vis impressa qualis sit. p.91
Seminis cuiuscumque virtus est vnicuique in suo regno. p.99
Semina rerum non immediatè ex elementis proficisci. p.169
Semitertiana.
Semitertianæ febris differētiæ apud Latinos Arabes majoris & minoris famę. p.346
Serosus.
Serosus humor salsus velut sal resolutus. p.69

Siccitas.

Siccitas non necessariò febri iungitur. p.309

Siccum.

Siccum terreum vt ad mixtionem concurrat. p.7

Siccum resolutum quid. p.61.

Siccorum medicamentorum facultates. p.160

Signatura.

Signatura physiognomonica. p.144

Signaturæ herbarum non admittendæ. p.148

Signum.

Signa physiognomonica vnde ducuntur. p.147

Signa quot sint eorumque fontes. p.143.

Simile.

Similia similium an sint remedia. p.152

Singultus.

Singultus vnde. p.365

Sitis.

Sitis causæ. p.364

Somnus.

Somnum quæ conciliant. p.350

Sopor.

Soporis causa. p.364

Spagyricus.

Spagyricæ artis necessitas vide chymiæ.

Sperma.

Sperma animale vegetabile & minerale, an vnum ortum habeant. p.98

Spiritualis.

Spiritualis substãtia morbum causans vnde prodeat. p.126

Spiritus.

Spiritus hominis nobilitatem demonstrat. In præfat.

Spiritus non esse cœlestis substantię p.49

Spiritum esse caloris innati subiectum. p.39

Spiritus ab humido, & solido distinguitur. p.39

Spiritus an luminosi, & cœlestis substantiæ participes. p.44

Quod spiritibus æthereis tribuitur, nos spiritui insito & elementari assignamus. p.48

Spiritus non agere absque mediis qualitatibus. p.48

Spiritus non esse potentiam essentialem. p.48

Spiritus in corpore esse operationum causas. p.49

Spiritus ex quibus oriantur principiis. p.50

Spiritibus omnes deberi actiones ex Hermet. p.51

Spiritus non esse æthereos probatur. p.51

Spiritus vniuersalis demigratio in elementa & mixta non approbatur. p.53

Spiritum internum hominis non esse sydereum. p.53

Spiritus impuros & noxios nihil cœleste continere. p.55

Spirituosa partium substantia spectatur. p.58

Spirituum vitalium & animalium elaboratio quî fiat. p.77

Spiritus formatricis organum quid moliatur. p.89

Spirituum mutatio temperiem partium lædit. p.94

Spiritus acidos vitriolatos dissoluẽtes in corpore inesse. p.108

A Spiritu vitriolato quî dissoluantur corpora mox coagulentur. p.108

Spiritus læsos non facere morbum quin adsit intemperies, vel mala conformatio. p.111

Spiritus in corpore adeo potentes, ac in mixtis arte distillatis non esse. p.112
Spiritus flatuosus vnde transferatur. p.376

Subintrans.

Subintrantes febres cuius sint ordinis. p.320. & 321. & p.361

Sublimatio.

Sublimatio quid,& quî fiat. p.194

Sublimatus.

Sublimatus mercurius purgans. p.195

Substantia.

Substantia tota an à temperie differat iuxta Galen. p.117

Sudorificum.

Sudorifica in febribus pestiletibus. p.369

Sudor.

Sudoris febrilis parcioris curatio & prognosis. p.365
Sudoris febrilis copiosi curatio. p.365
Sudoris continui ; & debilitantis causæ, & curatio. p.366
Sudoris à raritate cutis curatio. p.366
Sudoris à retentrice imbecilla curatio. p.366
Sudoris ab irritata expultrice curatio. p.366
Sudoris ab humorum tenuitate curatio. p.366

Symiotice.

Symiotice Hermetica. p.141

Symptoma.

Symptomata repleti capitis sunt signa phrenitidis & proinde mortifera. p.377
Symptoma quid. p.374
Symptomatum ratio,& curatio perardua & difficilis. p.374
Symptomata primo & per se functiones non lædere. p.107
Symptomata significare morbi speciem. p.144

Synochus.

Synochus non putris quæ, & curatio. p.317
Synochus putrida exquisita quid. p.333
Synochi legitimæ causæ. p.333
Synochi legitimæ & exquisitæ signa. p.333
Synochi putris curatio. p.344
Synochus biliosus. p.345

Syncopalis.

Syncopalis humorosa. p.341
Syncopalis signum distinctum & prognosis. p.342
Syncopalis humorosę curatio. p.344
Syncopalis minutæ causa. p.346
Syncopalis minutæ signa. p.348
Syncopalis permittit cibum in accessione. p.351

T

Tartarum.

Tartarum quid. p.76
Tartarum an sit causa morborum. p.136
Tartarum quotuplex, & à quonam coaguletur. p.136

Temperamentum.

Temperamentorum differentiæ ex Hippocr. & Galen. p.60
Temperamentorum duæ differentię ex Paracels. p.61
Temperamentum tripliciter spectatur. p.120

Temperies.

Temperies an ex astris pendeat. p.36

Terminus.

Termini obscuri Paracelsici exponuntur. p.211

Tertiana.

Tertiana.

Tertianæ duplicis & triplicis signa. p.347
Tertianarum febrium prognosis. p.348
Tertianarum curatio. p.348
Tertianarum victus ratio. p.350
Tertiana continua, quæ febris, vnde producta, eiusque sedes. p.345
Tertiana intermittens quænam, eius causa, & sedes. p.345
Tertianæ exquisitæ extensæ, & τριταιοφυοῦς causæ, sedes, & idea. p.346
Tertiana duplex quid. p.346
Tertiana notha, eius causa, & sedes. p.346
Tertianæ malignæ causa, & sedes p.347
Tertiana continua symptomatica quæ. p.347
Tertianæ continuæ legitimæ signa. p.347
Tertianæ continuæ nothæ, signa & causæ. p.347
Tertianæ intermittentis vtriusque signa. p.347
Tertianæ simpliciter dictæ summè exquisitæ extẽsæ, & tritæophyes signa. p.347

Transpiratio.

Transpiratio prohibita an sola putredinis causa. p.319

Triturabile.

Triturabilia quænam. p. 198. cur torrentur & vstulantur medicamenta. p.199

Tussis.

Tussis causæ vnde. p.364

V

Vacuatio.

VAcuationis indicationes & scopi. p.220
Vacuatio particularis quot modis fiat. p.219

Vaporabile.

Vaporabile quid. p.162

Variolæ.

Variolarum definitio, ipsarum nothæ, & differentiæ. p.366
Variolæ fatuæ. p.367
Variolarum causa remota. p.367
Variolarum causa propria. p.367
Variolas ex menstrui inquinamento non prodire. p.368
Variolas non esse hæreditarias. p. 368
Variolarum signa. p.369
Variolarum prognosis. p.369
Variolarum curatio p.371
Variolis quãdo phlebotomia competat. p.371
Variolis an purgatio prosit. p.371
Variolarum expulsionem impediẽtia: aut nimis irritantia curatio. p.372
Variolarum diæta. p.372
Variolarum symptomata vt curentur. p.372
ad Variolarum insultus Epilepticos. p.373
ad Variolarum alui fluxum. p.373

Vegetabile.

in Vegetabilibus salis vitriolati copiam inesse vt in vino. p.84

Vena.

Venæ Lacteæ dantur. p.64
Venæ sectionem quænam indicent. p.221

Venenum.

Venena ex quibus eruantur. p.177

Ventriculus.

Ventriculum roborantia. p.344

Verbum.

Verba nullam vim habent ad morbos sanandos. p.178
an Verba per accidens sensum immutent. p.179

Vertigo.

Vertiginis causa nonnunquam in capite consistens. p.375

Vertiginis immediata, & coniuncta causa. p.374

Vertiginis idea. p.374

Vertiginem Capitis percussio parit. p.377

Vesicantia.

Vesicantia quãdo applicanda. p.340

Vigilia.

Vigiliæ causæ. p.364

Vita.

Vitæ nomine abutuntur Chymici. p.52

Vitalis.

Vitalis indicatio est per similia. p.155

Vnctuosus.

Vnctuosus sapor. p.166

Vniuersum.

Vniuersi partes in homine repræsentari. p.97

Volatile.

Volatile quid in aëre & mixtis. p.23

Vomitus.

Vomitum prouocantia. p.344. 349 & 353

Vrina.

Vrina quid. p.51.& p.76

ex Vrinis varij sales secernuntur. p. 84

Vrinæ hecticorum. p.355

Vstio.

Vstio quid. p.199

Vulnus.

in Vulneris curatione an vis magnetica pulueris sympathici locum habeat. p.184.& p.185

F I N I S.

